BREVIARIOLUM ACTUUM SANCTORUM EXERCITANDO & VERRENDO...

Johann Martin Klee, Nicola Valentano Lisini

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE ROMANO
32
10 D
28

Digitized by Google

Ad simplicitatem ejus. P. Fr. Michael Fasini a Valentano
Min: Obs. 1819

Digitized by Google

BREVIARIOLUM ACTUUM SANCTORUM

EXERCITANDO & VERRENDO
SPIRITUI SINGULIS IN DIES
SINGULOS

REFLEXIONIBUS

TRIFARIAM TAMEN SECTIS
INSTRUCTUM

AC

SANCTORUM PATRUM

SENTENTIIS EXCULTUM
OPERA

R. P. JOAN. MARTINI KLEE,
IMPERIALIS & EXEMPTÆ ECCLESIÆ
MARCHTALLENSIS SACRI & CANDIDI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS CANONICI & SUPPRIORIS.

EDITIO SECUNDA & CORRECTIOR.
CUM PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMPTIBUS MATTH. RIEGERI BIBLIOP. 1752.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO Ac AMPLISSIMO
DOMINO
S.R.I. PRÆLATO,
DOMINO
MARTINO
Celeberrimi, Imperialis, & Exemp.
Collegii ROTHENSIS
Sacri, & Canon. Ord. Præmonſt.
ABBATI Vigilantiſſimo:
Ejusdemque Canonici Ordinis per Circa-
riam Sueviæ
VICARIO GENERALI, & VISITATORI
emerito:
Domino, ac Patri Gratioſo.

Digitized by Google

Reverendiſſime, ac Ampliſſime Domine

S.R.I. PRÆLATE,

Domine, ac Pater gratioſe.

PRodit tandem è præli fuligine in lucem & uſum, pridem concipi cœptum, per intervalla continuatum, & denique, fautrice DEI gratiâ, ad extremam lineam perductum *Breviariolum actuum Sanctorum*, compendiò referens iſtorum vitas, additis in eas *reflectionibus* ſingulis, trifariàm ſectis. Patrocinium ambit, quò à *Momorum* cavillis ſibi non metuat: nec illud aliud, quàm *Reverendiſſimæ* ac *Ampliſſimæ Paternitatis Tuæ*, cujus aliàs *in ære* perinde eſt, atque ipſum *Marchtallum*. Id verò jam ab Anno reparati per DEUM hominem orbis 1171. *Rothi filia*, multô ſuô & ſolatiô, & quæſtu, audiit. Sub eum enim annum B. M. ODINO, Primus *Rothi* Abbas, *Conradô Truchſeſſiô à Waldpurg*, *Tannenſi Dynaſtâ*, & *Güttâ Comitiſſa Wildenbergiâ*, progenitus, *Marchtallum*, cum lectiſſimis aliquot viris, direxit beatæ itidem memoriæ *Eberhardum*, fratrem germanum: cùm jam anteà ad quatuor *Canoni-*

ci

Digitized by Google

ci *Ordinis* Eccleſias, *Staingadenſem* in Bavaria; *Wiltinenſem* in Tyroli; *Augienſem* in Suevia; *Lutrenſem* in Alſatia, felices, & vere religioſas deſtinâſſet *Colonias*. Gemina hæc Ordinis Sidera, *Odino* & *Eberhardus*, quàm honori & æternæ memoriæ ſunt florentiſſimæ in hanc horam *Illuſtriſſimorum Comitum de Waldpurg*, *Sueviæ Ducatûs*, *Imperiique Romani Dapiferorum*, & *Pincernarum hæreditariorum*, familiæ; tam perpetuo etiam ornamento ſunt geminis *Canonici Ordinis* Eccleſiis *Rothenſi*, & *Marchtallenſi*. Ornamento, inquam, ſunt à ſanctitate in utroque ad patrata etiam prodigia celebri: quæ quidem ſanctitas in *Odinone* tantæ fuit fragrantiæ, ut unò aliquando tempore Præſul Religioſiſſimus *Rothi* dilectos numeraret filios ultrà *ducentos Clericos* & *Laicos* (inſigne, profectò, *Seminarium* virorum fortium) neque tamen in concedendo Præpoſito Primo deſiit *Rothi* erga *Marchtallum* liberalitas. Dedit *Udalricum* Præpoſitum II. Dedit *Gerlochum* Præpoſitum III. Dedit *Berchtoldum* Præpoſitum XVII. Dedit denique *Conradum* Præpoſitum XXIV. Viros, ut ex *Annalium* fragmentis colligimus, Studiô Religionis, Doctrinâ, Oeconomiæ peritiâ, ſummos: indé-

indêque famâ immortali digniſſimos. An non igitur æquum, vigere in *Marchtallo* recentem acceptorum per quinque ſæcula, & ultrà, beneficiorum memoriam? an non juſtiſſimum, *filiam* in *Matrem* tantam, devotiſſimis ferri obſequiis? præſertim, ubi priorum Patrum illorum amor in Te, *Reverendiſſime Præſul!* tam non intepuit, ut vivacioribus etiam flammis arſerit? ab annis enim prope *quadraginta*, quibus ad clavum digniſſimus ſedes, *Marchtallum* ſemper tibi in animo fuit, ſemper in affectu: tumque potiſſimùm, ubi per *Mavortis* furias & *Vulcanios* ignes, cuncta videbantur peſſum itura. Tum, inquam, *Reverendiſſime Domine!* re ipsâ monſtrâſti, *hæreditarium Patris titulum* Tibi competere, cùm *filiæ* neceſſitates, non ſecus atque Tuæ fuiſſent, largiſſimô miſeratus es affectu. Gratiæ ſunto munificentiæ tantæ, & à benefico cœlo mille vices! gratiæ iterum ſunto charitati, quâ propagando in exteras etiam *circarias* Splendori Ordinis, vivum earum *omnium virtutum*, quæ talem addecent Præſulem, exemplum Te præſtas. Quodſi enim loquamur de *Religione*: ſinceriſſimus ſemper apud Te perſtitit DEI cultus, imô & optimus, *Religioſiſſimus* DEI

cul-

cultus est, inquit Lactantius, *imitari*. L. 5. Instit. c. 10. Si de *probitate* cum *modestia* connexa: videtur nunquam non Tuo hæsisse in animo illa Salustii gnome: *esse, quàm videri, probus malis*. Si de *prudentia*: constat, pridem hanc suorum alumnorum in classem te cooptâsse, siquidem verè dixerit Aristoteles: *prudentes censemus, qui ea, quæ sibi, quæque hominibus conducunt, dispicere possunt*. 4. Eth. c. 5. si de *doctrina*: insignis hæc est, quia *scientiæ Sanctorum* nec negligens, nec inimica. *Qui fructuosa*, inquit Æschylus, Athenienſis, *non qui multa scit, sapit*. Si de *cura subditorum*: hæc adeò cordi semper Tibi fuit, ut non videaris aliud cogitâsse, quàm illud Claudiani:

Tu civem, patrémque geras; ut consule cunctis,
Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna.

Si de *Clementia*: hæc sanè regimen Tuum tam fecit prolixum, cùm asserat memoratus Poëta:

Non sic excubiæ, nec circumstantia tela, quàm tutatur amor.

quô videlicet *amantes* subditi, clementer *amantem* stringunt Præsidem. Si de *majestate*: semper hæc talis fuit, qualem exigit Tacitus;

monendo principem: *triſtitiam, & arrogantiam exuas.* Si de *Oeconomiæ peritia*: eam adeò deprædicat Imperialis *Collegii Rothenſis* ſtatus, ut aliô encomiaſte opus non ſit. Hæc igitur virtutum (pauciſſimas tamen dixi) *encyclopædia*, jam annô præteriti Sæculi 1691. poſt obitum videlicet R^mi D^ni *Nicolai* noſtri, movit Illuſtriſſimum Ordinis Caput, ut Te per *Sueviam*, *Alſatiam*, & *Gryſoniam* Vicarium ſuum vellet & faceret: quam quidem ſpartam per annos ſexdecim, & ampliùs, usque ad fractas videlicet ſeniô vires, ſic ornâſti, ut *Canonicus Ordo* plurimùm ſe Tibi obſtrictum lubens fateatur. Ignoſce, *Reverendiſſime Præſul*, ſi modeſtiæ Tuæ gravis ſim: neque *fucum* vel *palpum* ſuſpicare. Obſequor Clariſſimo *Lipſio*, cujus in dedicatoria, quam notis in libros politicorum præmiſit, hoc eſt effatum: *publicè intereſt, aliquod virtutibus præmium, aut præconium ſaltem eſſe: & ne iis ſit tantùm ex conſcientia merces.* Cape igitur, tantus in exercitio virtutum practicus, *Breviariolum* earum virtutum, quas *Sancti* fecêre ſibi tam familiares. *Sancti*, inquam: quorum in ſyllabo (etſi nondum Eccleſia id pronuntiârit) etiam reperiri minimè dubitamus Tuum illum, imo (boni communicatio-

nicatione) noſtrum *Wilhelmum*, angelum terreſtrem, & angelici illius *Aloyſii*, felicem æmulum. Cape, inquam, *Breviariolum* iſtud ab obſtrictiſſimo, & cognomine Tibi filio, *Marchtalli* nomine; ac cùmprimis voluntate, ſecundiſſimis nuper auſpiciis electi *Reverendiſſimi Præſulis* noſtri, dicatum & nuncupatum. Memorato denique *Marchtallo*, quem ad hoc ùsque temporis punctum, favorem paternum quàm diutiſſimè adhuc (da DEUS, & divi omnes) elargire. Ita, votorum filialium interpres, cupio

Reverendiſſimæ ac Ampl.mæ
Paternitatis Tuæ

Marchtalli Calend. April.
Anno, 1711.

Servus & filius devotiſſimus P.
Joan. Martinus Klee, Canon.
Marchtall. Supprior.

FACULTAS REVERENDISSIMI DOMINI *VICARII GENERALIS.*

DEI gratiâ nos *LEOPOLDUS* Imperialis & exemptæ Canoniæ Augiæ candidæ (vulgò Weiſſenau) Sacri Ordinis Præmonſtratenſis Abbas: ejùsdemque Canonici Ordinis per Sueviam, Alſatiam, & Gryſoniam Vicarius & Viſitator Generalis &c. Dilecto nobis in Chriſto Filio *P. Joan. Martino Klee*, Imperialis & Exemptæ Eccleſiæ Marchtallenſis Canonico, & Suppriori, Licentiam impertimur, typis mandandi Opuſculum, *Breviariolum actuum Sanctorum* dictum: modò id à deputandis ad hoc theologis reviſum fuerit & cenſum. *In Augia Candida. Calend. Februarii. 1711.*

LEOPOLDUS.

Cenſura Theologorum Ordinis.

SI *omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci*; veriſſimè id aſſecutus eſt Adm. *R. P. Joannes Martinus Klee*, Imperialis Eccleſiæ Marchtallenſis Exempti Ord. Præmonſtr. Canonicus & Suprior, ſuô Opuſculô, *Breviariolum actuum Sanctorum* &c. intitulatô; ubi per ſingulas paginas colligere licet *utiliſſimam* ſalutis doctrinam qua ipſius ſacræ ſcripturæ, quà Patrum ſententiis ſolidè

dè firmatam, quà etiam exemplis, & vestigiis Sanctorum, ad oculum, ceu digitô demonstratam: cognata insuper Authori styli facilitate & *dulcore* clarè ubique propositam, sine ulla aut Fidei Orthodoxæ, aut morum honestatis offensa; ut post attentissimam lectionem, partum hunc argumenti ejusdem *secundò genitum*, Authori æquè honorificum, ac summè meritorium, dignissimum judicem, qui natu majorem *radium virtutis* in lucem sequatur publicam; quatenus cœpta ab illo iste perficiat, pleniùs illuminando animum salutis suæ, & profectûs cupidum: optando præprimis, ut quisquis *Breviarium* quotidie recitans, *Breviariolum* hocce singulis pariter diebus sedulô meditari, orationem *mentalem vocali* sociando, *corde* & *voce* simul ad Patriam anhelando minimè pigritetur, fructu sanè neque in tempore, nec æternitate pœnitendo. *Sorethi 29. Novembr. 1710.*

P. Georg. Ludovicus Mangoldt,
SS. Theol. Doctor, Protonotarius Apostolicus, Ordinis Præmonstrat. ibidem Canonicus: Tyrocinii spiritualis Magister, & *Prior*.

Cen-

Digitized by Google

CENSURA.

OPus præſens, cui titulus: *Breviariolum Actuum Sanctorum &c.* ab *A. R. P. Joanne Martino Klee*, Imperialis & Exemptæ Marchtallenſis Eccleſiæ Canonico & Suppriore, ſtylô brevi, clarâque facundiâ elaboratum; prælô & præconiô dignum cenſeo. Fidei ſiquidem orthodoxæ conſonum, bonisque moribus non adverſum; & quàm ad incipientium utilitatem commodum; tam ad feliciorem omnium chriſtianæ perfectionis verè ſitientium, uſum, congruum eſſe videtur. *Marchtalli 2. Martii. 1711.*

P. Franciſcus Antonius Sulzer, ibidem Sac. Ordin. Præmonſtratenſ. Canonicus: SS. Theolog. Doctor, & Juris Canonici Emeritus.

Ap-

Digitized by Google

Approbatio Ordinarii.

LEgi opuſculum hoc, ab *A. R. & Clariſſimo D. P. Joanne Martino Klee, Imperial. & Exemptæ Eccleſiæ Marchtallenſis Canonico, ac p. t. Suppriore* compoſitum, nihilque in eo reperi bonis moribus, vel orthodoxæ fidei contrarium: ſed potiùs inveni quaſi *Iliadem* in *nuce*, hoc eſt: tot actus & virtutes Sanctorum quaſi in compendio, ut omnes, qui hoc *Breviariolum* vel poſt ordinarium *Breviarium*, vel aliàs opportunô tempore ſibi commendatum habituri ſunt, neceſſariò in aliquam Sanctorum ſequelam ſint trahendi. Quare illud tam ob materiæ præſtantiam, quàm D. Authoris zelum, & commendatione, & typô digniſſimum cenſeo. *Conſtantiæ 20. Decembris. 1710.*

Andreas Feürſtein, Doctor, Celſiſſimi Conſiliarius: inſignis Collegiatæ Eccleſiæ S. Stephani Parochus, Canonicus, & Cenſor Librorum Ordinarius.

Bene-

Digitized

Benevole Lector!

Biennium eſt, & ultrà, quòd meam tibi fidem obſtrinxerim de vulgandis *Sanctorum Vitis*, cum *ſingulis* ad ſingulas *reflexionibus*. Et, en! promiſſi ſolutionem. Primùm tamen nolim ſuſpicari te, dare me non aliud, quàm *cramben recoctam*. Experire (pignore quôvis contendo) fateberis, aliter ſe rem, quàm putâras, habere. *Breviariolum* nuncupo *actuum* eorum, quibus claruerunt in vita *Sanctorum* præcipui. *Breviariolum*, inquam, nuncupo, velut ſi *ſummulam* dicerem. Quis enim in pagellis tam paucis juſtam dederit *ſummam*? ſcripſi porrò pari prorsùs intentione *Breviariolum* iſtud, quâ nuper *radium virtutis*: ut videlicet in utroque noſtrûm augeſceret ſerium *imitationis ſtudium*: ad quod obtinendum, *validè*, niſi vehementer me fallam, collaborabunt ſingulæ *reflexiones*, ſingulis *Sanctorum Vitis* ſubjectæ, ſi, ut oportet, non *obiter* & *perfunctoriè*; ſed *ſeriò*, ſed *attentè* volvantur, penſentur, ruminentur. Et, ſanè, dictum hoc *imitationis ſtudium* finem eſſe debere præcipuum ejus lectionis, quam *Sanctorum* geſtis impendimus, quamvis apud *Aſcetas* indubium ſit: ampliùs tamen idipſum affirmabit *meditatio in* 16. *Decembris* clariſſimi, pientiſſimique ſcriptoris *P. Stephani Groſex*, *S. J.* quò te, *Candide Lector*, remitto. Tabellam, ad calcem operis, *mendorum*, dare conſtitueram: ſed intermiſi, quòd non occurriſſet aliquod (citrà faſtum dico) quod nauſeam tibi ciere debeat. Cuperem ſolùm, in feſto

S.

Digitized by Google

S. Ivonis, 19. Maii. ad complendum ſcripturæ ſenſum, ultimæ, quæ vitam divi terminat, lineolæ, ſuperaddi verbulum, *iniqui*: quod omiſſum iniquè non eſt, ſed ex incuria veniabili *typothetæ*: quâ præterea contigit, inverſas aliquando fuiſſe literas: nonnunquam alias aliis erronée ſuffectas: ſemel etiam diem non debitè numeratum: quæ ſingula tamen talia non ſunt, ut torquere te debeant, probè gnarum, eâ demum *die* typum nævi penitus expertem proditurum, quam nulla *nox* interpolat. Subtexui, quò deſideriis tuis in nullo deſierem, *Feſta Mobilia.* Scire demum te volo, ſingula denuo velle me dixiſſe, ſcripſiſſe, conſonè Decreto *URBANI VIII.* edito V. Junii, Anni 1631. totamque lubucratiunculam devotiſſimè ſubjicere judicio *S. Matris Eccleſiæ.* Hic nuper, & modò, ſcopus meus. Tu, *benevole Lector!* fruere labore meô: ſique boni quidpiam occurrat, DEO mecum in acceptis id refer. Errores verò non imputes alteri, quàm mihi. Denique (tuâ patientiâ non diutiùs abutar) animum identidem advertas velim ad id, quod dixit *Hermes* Ægyptius: *unicus* (præcipuus ſanè) *DEI cultus eſt* (etiam Sanctorum) *non eſſe malum.* Vale.

Be-

Benevole Lector!

SIstimus en! tibi, ſecundîs recuſum typis hocce *Breviariolum*. Multorum deſideria dudum jam, ut prælo iterato ſubdetur, ſuaſerunt, quatenus ſub iſto ſapidus reflexionum ſuccus denuò in publicum promanaret, ac ſitibundas ſuæ ſaluti vacantium recrearet fauces. Et verò perſuasêre tandem cupidi illi Sanctorum imitatores, ut petitis eorum annueremus eò libentius, quò confidentius Authoris Scopum aſſecuturos nos non dubitaremus. Optaverat is, ſui *Breviarioli* non tam *breviter* omnia decurrentem *Lectorem*, ſed *ſeriò*, ſed *attentè* omnia volventem, penſantem, ruminantem *imitatorem*. Hic ſcopus, hic finis hujus *Breviarioli*, & tuæ vitæ, *candide Lector*! curſûs *breviſſimi*. Atque, ne in inquirendo tibi magis arridentis, aut neceſſariæ virtutis prototypo diu allaborandum, indicem duplicem, Sanctorum unum, alterum & rerum, ſecundæ huic editioni ſubnectendum duximus. Idem denique te monemus, quod Author candidiſſimus in Præf. Edit. Marchtall. te ſcire voluit, ſingula à ſe dicta, ſcriptáque conſonè Decreto Urbani VIII. edito V. Junii Anni 1631. totámque lubucratiunculam devotiſſimè ſubjicere judicio *S. Matris Eccleſiæ*. Utere, fruere,

Vale.

IN-

Digitized by Go

INDEX.

Nominum Sanctorum.

Menſis Januarii.

1. Circumciſio D ni N. J. Chriſti. 1
2. S. Macarius Alexandrinus 3
3. S. Genofeva V. 4
4. S. Titus. 6
5. S. Eduardus Angliæ Rex. 7
6. SSS. 3. Reges. C. M. B. 9
7. S. Raymundus ex Ord. Præd. 11
8. S. Laurentius Juſtinianus. 12
9. SS. Julianus, & Baſiliſſa. 14
10. S. Marcianus Confeſſor. 15
11. S. Theodoſius Abbas. 17
12. S. Arcadius M. 18
13. B. Godefridus Canon. Præmonſtr. 20
14. S. Felix Nolanus. 22
15. S. Paulus Eremita. 23
16. S. Furſeus Anglus confeſſ. 25
17. S. Antonius Eremita. 26
18. S. Priſca Virgo Romana. 28
19. S. Abundantia Virg. 29
20. S. Sebaſtianus M. 31
21. S. Agnes V. & M. 33

)( )(22. Vin-

22. Vincentius M. - - - 34
23. S. Joannes Eleemoſinarius. - 36
24. S. Timotheus Epiſc. - - 37
25. Converſio S. Pauli. - 39
26. S. Paula Vidua Rom. - 40
27. S. Joannes Chryſoſtomus. - - 42
28. S. Jacobus Pœnitens. - - 44
29. S. Sulpitius Severus. - 46
30. S. Aldegundis Antiſtita. - 47
31. S. Marcella Vidua Romana. 49

Februarius.

1. S. Ignatius Epiſc. Antioch. - 50
2. Purificatio B. V. Mariæ. - - 52
3. S. Blaſius Epiſc. - - 54
4. S. Theophilus. - - 55
5. S. Agatha V. & M. - 57
6. S. Dorothea V. & M. - 59
7. S. Theodorus M. - - 60
8. Marina V. - - 62
9. B. Aldericus Ord. Præmonſtr. - 64
10. S. Guilielmus Aquit. Dux. - 66
11. S. Victoria V. M. - - 68
12. S. Antonius Epiſcop. - - 69
13. S. Martinianus Anach. - - 71
14. S. Auxentius Abbas. - - 73
15. S. Georgia V. - - - 75
16. S. Juliana V. & M. - 77
17. B. Alexius Servita. - - 78
18. S. Simeon Epiſc. & M. - 80
19. S. Conradus Confeſſ. - - 82

20. S. Eu-

20. S. Eucherius Episc. 83
21. S. Pipinus. 85
22. S. Petrus Damiani. 87
23. S. Lazarus Religiosus. 89
24. S. Spiridion. 90
25. S. Matthias Apost. in an. bissext. 92
26. S. Tharasius Episcop. 94
27. S. Mechtildis V. 96
28. S. Leander Archi-Episc. 97
29. S. Romanus Abbas. 99

Martius.

1. S. Siviardus Abbas. 101
2. S. Ceadda Episc. 103
3. S. Cunegundis Imperatrix. 104
4. S. Casimirus Poloniæ Rex. 106
5. S. Conon Confessor. 108
6. S. Coleta V. 110
7. S. Thomas Aquinas. 112
8. S. Philæmon M. 113
9. S. Franciſca Romana. 115
10. SS. 40. Martyres. 117
11. S. Sophronius Jerosolym. Epis. 119
12. S. Gregorius Magnus. 120
13. S. Euphrosina V. 122
14. S. Petrus Abbas. 124
15. S. Longinus M. 126
16. S. Abraham Anachoreta. 127
17. S Gertrudis Virgo. 129
18. S. Eduardus Angliæ Rex. 131
19. S. Josephus Christi D. Nutri. 133

Digitized by Google

20. S. Joachim Parens B. V. - 135
21. S. Benedictus Abbas. - 136
22. B. Eelko Can. Præmon. & M. 138
23. S. Benedictus Religiosus. - 140
24. S. Simon Tridentinus. - - 142
25. Annuntiatio B. V. M. - 144
26. S. Ludgerus Episcop. - 145
27. B. Eustachius Monach. Clun. 147
28. B. M. Wilhelmus Can. Rothensis. 149
29. S. Cyrillus Diaconus & M. - 151
30. B. Amadeus Sabaudiæ Dux. 153
31. S. Guido Confessor. - 155

Aprilis.

1. Walericus Puer. - - 157
2. S. Franciscus de Paula. - - 159
3. S. Burgundophora Abbatiss. - 160
4. S. Zosimas Anachoreta. - 162
5. S. Vincentius Ferrerius Conf. 164
6. S. Guilielmus. - - 166
7. B. Joseph Hermannus Præmonstr. 168
8. S. Wicterpus Episcop. - 170
9. S. Maria Ægyptiaca. - 172
10. S. Antonius Mart. - 174
11. S. Leo Magnus. - - 175
12. S. Zeno Episc. Veronensis 177
13. S Justinus Philosoph. & M. - 179
14. S. Lydwina Virgo. - 181
15. S. Cosilda V. - - 183
16. S. Joachimus Confess. - - 185
17. S. Stephanus I. Cisterc. Abbas 187
18. S. Eleu-

Digitized by Google

18. S. Eleutherius M. - - 189
19. S. Elphegus Cantuar. Archi - Epiſc. 191
20. S. Agnes de mon. Polit. Dominic. 193
21. S. Anſelmus Cant. Archi - Epiſc. 195
22. S. Theodorus. - - 197
23. S. Adalbertus Pragenſ. Antiſt. 199
24. S. Bona Virgo. - 200
25. S. Marcus Evangeliſta. - 202
26. S. Marcellus Papa, & M. 204
27. S. Antimus Epiſcop. - 206
28. S. Theodora V. & M. - - 208
29. S. Petrus Martyr. - - 210
30. S. Catharina Senenſis. - - 212

Majus.

1. SS. Philippus & Jacobus Apoſt. 214
2. S. Antonius Archi - Epiſcop. - 216
3. Inventio S. Crucis. - - 218
4. S. Monica Vidua. - - - 220
5. S. Angelus Carmelita. - 222
6. S. Joannes Damaſcenus. - - 224
7. S. Stanislaus Epiſcopus. - 226
8. Apparit. S. Michaelis Archang. - 228
9. S. Gregorius Nazianzenus. - 230
10. S. Gordianus Mart. - - 232
11. S. Mamertus Epiſcop. - 234
12. S. Pancratius M. - - 236
13. S. Joannes Silentiarius. - 238
14. SS. Victor, & Corona. - - 240
15. B. Jacobus Novit. Præmonſtr. 242
16. S. Ubaldus Epiſcop. - 244

 17. S. Pa-

Digitized by Google

17. S. Paſchalis Baylon, Recoll. 246
18. S. Ericus Sueciæ Rex. - - 248
19. S. Ivo Confeſſor. - - 249
20. S. Bernardinus Senenſ. - - 251
21. B. Godricus Eremita. - 253
22. S. Baſiliſcus Mart. - - 255
23. B. Wipertus Epiſc. ex Ord. Præm. 257
24. S. Simeon Stylites. - - 259
25. S. M. Magdalena de Pazzis. 261
26. S. Philippus Nerius. - 263
27. Venerab. Beda Presbyter. - 265
28. S. Germanus Epiſcop. - 267
29. S. Theodoſia M. - - 269
30. S. Gualtericus Abbas. - - 271
31. S. Petronilla Virgo. - - - 273

Junius.

1. S. Simeon Siculus. - - 275
2. S. Blandina V. & M. - - 277
3. S. Clotildis Franciæ Regina. - 278
4. S. Optatus Milevit. Epiſc. 280
5. S. Bonifacius Germ. Apoſt. - 282
6. S. Claudius Archi Epiſcop. - 284
7. S. Robertus Abbas. - - 286
8. S. Medardus Epiſcopus. - 287
9. S. Primus, & Felicianus MM. - 289
10. S. Margarita Scotiæ Reg. - 291
11. S. Barnabas Apoſt. - - 293
12. B. Hroznata Can. Præm. - 295
13. S. Antonius Patavinus. - 297
14. S. Baſilius Magnus. - 300

15. S. Landelinus Abbas. - 302
16. S. Ludgardis Virgo. - - 304
17. S. Rainerius Confeſſ. - 306
18. S Eliſabetha Antiſtita. - 308
19. SS. Gervaſius, & Prothaſius. 310
20. S. Irisberga Virgo. - - 312
21. S. Aloyſius Gonzaga. - 314
22. S. Paulinus Epiſcopus. - 316
23. S. Chriſtina Mirabilis. - - 318
24. S. Joannes Baptiſta. - 320
25. B Henricus Can. Præmonſtr. 322
26. S. David. Anachoreta. - 324
27. S. Samſon Confeſſor. - - 326
28. S. Potamiana V. & M. - 328
29. SS. Petrus & Paulus, Apoſt. - 330
30. S. Martialis Epiſcopus. - 332

Julius.

1. S. Simon Salus Confeſſ. - 334
2. Viſitatio B. V. M. - - 336
3. S. Clara Inda V. - 337
4. S. Udalricus Epiſc. Auguſtanus. 339
5. S. Wilhelmus Confeſſ. - 341
6. S. Goar Presbyter. - - 343
7. S. Edilburga V. - - 345
8. S. Chilianus Epiſc. M. - - 347
9. BB. Ædrianus & Jacobus Can. Præmonſtr. Martyres. - - 349
10 S. Felicitas cum 7. Filiis. - 351
11. S. Norbertus Præm. Patriarcha. 353
12. S. Joan. Gualbertus Conf. - 355
13. S. Eugenius Epiſcopus. - 357
14. S. Bonaventura Cardin. - - 359

Digitized by Google

15. S. Jacobus Niſibenſis Epiſc. 361
16. B. Milo Epiſc. Tarvanenſis ex Ord. Præmonſtrat. 363
17. S. Alexius Confeſſor. 365
18. S. Arnulphus Epiſcopus. 367
19. Arſenius Confeſſ. 369
20. S. Wilgefortis V. & M. 371
21. S. Praxedis Virgo. 373
22. S. M. Magdalena. 375
23. S. Birgitta Vidua. 377
24. S. Chriſtina V. & M. 379
25. S. Jacobus Apoſtolus. 381
26. S. Anna Deiparæ Mater. 383
27. SS. 7. Dormientes MM. 385
28. S. Nicetas Martyr. 387
29. S. Martha Virgo. 389
30. SS Maxima, Donatilla, & Secunda, VV. & MM. 391
31. S. Ignatius Loyola. 393

Auguſtus.

1. SS. Fides, Spes, Charitas VV. & MM. 396
2. S. Maria de Portiuncula. 398
3. S. Petrus Epiſc. Anagniæ. 400
4. S. Dominicus. 401
5. Dedicatio B. V. ad Nives. 403
6. SS. Juſtus & Paſtor MM. 405
7. S. Albertus Carmelita. 407
8. S. Cyriacus Diacon. M. 409
9. SS. Firmus & Ruſticus MM. 411
10. Laurentius Levita M. 413

11. S. Equi-

11. S. Equitius Abbas. 415
12. S. Clara Virgo. 417
13. B. Gertrudis Ord. Præmonſtr. 419
14. B. Wilhelmus Wercinius Ab. 421
15. Aſſumptio B. V. Mariæ. 423
16. S. Rochus Confeſſor. 425
17. S. Clara de monte Falcon. 427
18. S. Helena Imperatrix. 428
19. S. Marianus Eremita. 430
20. S. Bernardus Abbas. 433
21. S. Humbelina ex Ord. Ciſterc. 435
22. S. Symphorianus M. 437
23. SS. Claudius, Aſterius, & Neon. 439
24. S. Bartholomæus Apoſt. 441
25. S. Ludovicus Galliarum Rex. 443
26. S. Alexander Miles M. 445
27. S. Cæſarius Epiſc. Arelat. 447
28. S. Auguſt Eccleſ. Doct. 449
29. Decollatio S. Joan. Baptiſt. 451
30. S. Bononius Adoleſcens. 453
31. S. Aidanus Epiſcopus. 454

September.

1. S. Ægidius Confeſſor. 457
2. S. Juſtus Epiſcopus 459
3. S. Simeon Stylites junior 461
4. S. Roſalia Virgo. 463
5. S. Victorinus Epiſcop. 465
6. S. Eleutherius Conf. 467
7. S. Stephanus Epiſc. Dienſis. 469

Digitized by Google

8. Nativitas B. V. Mariæ. - 471
9. S. Audomarus Epiſc. - - 473
10. S. Nicolaus Tolentinas Conf. 475
11. B. Daniel Can. Ord. Præmonſtr. 477
12. S. Juventius Ticienſ. Epiſc. - 479
13. S. Mauritius Epiſc. - - 481
14. S Catharina Genuenſis. - 484
15. S. Aycardus Abbas. - - 486
16. S. Editha Virgo. - - 488
17. S. Lambertus Epiſc. - 490
18. S. Thomas à Villa - Nova. - 492
19. S. Januarius Benevent. - 494
20. S. Euſtachius M. - - 496
21. S. Matthæus Evangeliſta. - 498
22. S. Mauritius cum Sociis. 500
23. S. Emeramus Epiſcop. - 502
24. S. Gerardus Epiſcop. - - 504
25. BB. Rogerius, & Theodoricus Abb. ex Ord. Præmonſtr. - - 506
26. S. Nilus Abbas. - 508
27. S. Elzearius Comes. - 510
28. S. Wenceslaus M. - 512
29. S. Quiriacus Anachoreta. - 514
30. S. Hieronymus Eccleſ. Doct. 516

October.

1. S. Franciſcus Borgias. - 518
2. S. Leodegarius Epiſcop. - 520
3. S. Gilbertus Ab. Can. Præmon. 522
4. S. Franciſcus Aſſiſius. - 524
5. S. Placidus M. - - 526

6. S. Bru-

Digitized by Google

INDEX.

6. S. Bruno Confeſſor. - 528
7. S. Oſitha. V. & M. - - 530
8 S. Pelagia Pœnitens. - 532
9. S. Dionyſius Areopagita. - 534
10. S. Serbonius Epiſcop. - - 536
11. S. Jacobus Alemannus. - 538
12. S. Walfridus Epiſcop. - 540
13. S. Carpus Confeſſor - 542
14. S. Dominicus Loricatus. - 544
15. S. Thereſia de JESU. - 546
16. S. Gallus Abbas. - - 548
17. S. Andreas Cretenſ. M. - 550
18. S. Lucas Evangeliſta. - 552
19. S. Varus Miles, & Mart. - 554
20. S. Fides. V. & M. - - 557
21. S. Urſula cum 11000. VV. - 559
22. S. Joannes Bonus. - 561
23. S. Severinus Boëtius M. - 563
24. S. Martius Anachoreta. - 564
25. SS. Chryſanthus, & Daria. 566
26. S. Fulco Epiſcopus - 568
27. S. Elesbaan Rex. - - 570
28. SS. Simon, & Judas Apoſt. 572
29. B. Richwera Can. Præmonſtr. 574
30. SS. Zenobius, & Zenobia MM. 576
31. S. Wolfgangus Epiſcop. - 578

November.

1. Feſtum omnium Sanctorum. - 581
2. Commemoratio fidelium defunct. 583
3. S. Wenefrida V. & M. - 585

3. S. Ca-

4. S. Carolus Borromæus. 587
5. S. Malachias Episc. Hyberniæ. 589
6. S. Leonardus Confess. 591
7. S. Willibrordus Episc. 593
8. S. Godefridus Abbas, & Episc. 595
9. S. Theodorus Martyr. 597
10. S. Tiberius Martyr. 599
11. S. Martinus Episcop. 601
12. S. Didacus Confess. 602
13. B. Siardus Ord. Præmonstr. 604
14. S. Albertus Magnus. 606
15. S. Leopoldus. 608
16. S. Edmundus. Episcop. 610
17. S. Gregorius Thavmat. 612
18. S. Odo Confess. 614
19. S. Elisabeth, Landgravia. 616
20. S. Dasius Martyr. 618
21. Præsentatio V. Mariæ. 620
22. S. Cœcilia V. & M. 622
23. S. Trudo Presbyter. 624
24. S. Firmina V. & M. 626
25. S. Catharina V. & M. 628
26. S. Conradus Episc. Constant. 630
27. S. Jacobus Interciſ. M. 633
28. S. Stephanus M. 635
29. S. Radbodus Episcopus. 637
30. S. Andreas Apostolus. 639

December.

1. S. Philaretus Confessor. 641
2. S. Bibiana V. & M. 643

3. S. Fran-

Digitized by Google

3. S. Franciſcus Xaverius. 645
4. S. Barbara V. & M. 647
5. S. Sabas Abbas. 649
6. S. Nicolaus Myræ Epiſcop. 652
7. S. Ambroſius Mediolan. Epiſc. 654
8. Conceptio B. V. Mariæ. 656
9. S. Gorgonia. 658
10. S. Eulalia V. & M. 660
11. S. Daniel Stylita Conf. 662
12. B. Hayto Can. Præmonſtr. 664
13. S. Lucia V. & M. 666
14. S. Nicaſius Epiſc. & M. 668
15. S. Victoria Cœleſtin. Fundatrix. 670
16. S. Ædo Archi-Epiſc. Viennenſ. 672
17. S. Lazarus Epiſcopus. 674
18. S. Modeſtus Epiſcop. 676
19. S. Megengor. 678
20. SS. Ammon, & Socii MM. 680
21. S. Thomas Apoſtolus. 682
22. S. Anaſtaſia M. 684
23. S. Servulus Confeſſ. 686
24. S. Tharſilla V. 688
25. Nativitas D. N. J. C. 690
26. S. Stephanus Proto-Martyr. 692
27. S. Joannes Evangeliſta. 694
28. SS. Innocentes MM. 696
29. S. Thomas Archi-Epiſc. M. 698
30. S. Laurentius Confeſſ. 700
31. S. Melania Junior, Romana. 702

Feſta Mobilia.

Feria 4tâ Cinerum. 704
Feria 5tâ Cœnæ Domini. 706

Feriâ ſextâ Paraſceves. 708
Sabbathô Sanctô. 710
Reſurrectio D. N. J. C. 712
Aſcenſio D. N. J. C. 713
Feſtum Pentecoſtes. 715
Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis. 717
Feſtum Corporis Chriſti. 719
Feſtum Dedicationis Eccleſiæ. 721



BRE-

Digitized by Google

BREVIARIOLUM ACTUUM SANCTORUM.

KALENDIS JANUARII.

Circumciſio Domini noſtri J. C.

OCtavô die ſaxeus culter in tenellulum *JESUM* ſævit. Vide, quàm fuerit *in laboribus à juventute ſua.* Cruore primitùs effuſô corpuſculum rubet: imbres etiam lacrymarum ex utróque proruunt oculo. Plorat nimirum non ſortem ſuam, ſed tuam: delicta ſcilicet *juventutis tuæ*, quibus emendandis tantum pati dignata eſt *Infantia* ejus. Redhibuit tamen Pater æternus amori iſti filii ſui in nos peccatores, honorem quô major excogitari non potuit: JESU videlicet nomen. *Vocatum eſt nomen ejus JESUS.* Et congruebat hoc nomen Circumciſionis actui ac circumſtantiæ: *meritò*, inquit Bernardus, *dum circumciditur puer, Salvator vocatur: quòd videlicet ex hoc jam cæperit operari ſalutem noſtram, immaculatum illum pro nobis ſanguinem fundens. Serm. 2. de Circumciſ.* Agnoſce vulnera tua, & pro illis JESU nomine utere velut emplaſtrô.

SENTENTIA.

NEc tantùm lux eſt nomen JESU, ſed & cibus. An non toties confortaris,

quoties recordaris? quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat bonos mores, caſtas fovet affectiones? aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleô iſtô infunditur: inſipidus eſt, ſi non hôc ſale conditur. *S. Bernard. Serm. 15. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. BOnum auſpicium quod à *JESU* eſt. Meritò illi, à quo omne principium, primitias damus ætatis juxta ac reliquæ vitæ, quô donô nullum acceptius. Singula ergo vitæ momenta *JESU* amori conſecrata defluant, ne diu vivendo parùm aliquando vixiſſe nos doleamus, cùm omne id vitæ noſtræ perditum ſit, quod DEO victum non eſt: ac, ut deinceps felici morte claudamus annos temporis noſtri, auſpicaturi poſtmodum nunquam finiendos æternæ gloriæ.

II. Per primam ſanguinis effuſionem cum Nomine Salvatoris, quod *JESUS* ſonat, *JESUS* ſibi onus impoſuit procurandæ ſalutis noſtræ. Quid formidabimus deinceps, cùm Salvatorem habeamus & ſalvare potentem & volentem, juxta ſuummet effatum: *Venit filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat.* Fidamus illi: nulli parcet labori, ætate provectior, ad ſalvandum nos, qui infans adhuc ſuum tam prodigè nobis ſanguinem donavit.

III. Cor noſtrum nobis loquitur *JESUM* eſſe omne bonum. Sit ergo ille nobis in vita *JESUS*, ſit *JESUS* in morte: Qui, ſi commiſerimus unde damnari jure poſſimus, non perdidit, unde

unde ſalvare nos poſſit, dum Nomen ſuum arrham nobis eſſe voluit & pignus non dubiæ (niſi quidem ipſi nolimus) ſalutis noſtræ: *nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

II. JANUARII.

S. Macarius Alexandrinus.

TErram exoſus, ſolisque cœlis deliciis ſatur, harum jugi memoriâ tenerrimas nunquam non fudit lacrymas. Abſtinentiæ fuit tantæ, ut totô trienniô quatuor aut quinque tantùm panis uncias in cibum ſumpſerit, ac tantundem aquæ, adhibitô, condimenti totius locô, unô in annos ſingulos olei ſextariô. Cupidinis aliquando telis petitus, culicum aculeis generoſus pugil nudum ſeſe expoſuit menſibus ſex. Cellam habuit lucis omnis expertem, in qua totum quadrageſimale tempus inſolitô rigore tranſigere conſuevit. Centum annos cùm ſanctiſſimè vixiſſet, & dierum & meritorum plenus cœlum petiit. Diſce primùm amore beatæ immortalitatis aſpera quæque pati: tum verò etiam frugalitate & abſtinentiis annos tibi non diminui, ſed accreſcere.

SENTENTIA.

ANime mi! ne te in terras è cœlo demitte: ibi *DEUM*, & cum *DEO* DEI aulam omnem habes. *S. Macarius in vita.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ADvertit *Macarius*, multiplici aſtu & dolô hoſtium turbari ſolere precan-

tium animos. Eas dæmonis fraudes ut eluderet, ſuam mentem jugiter DEO divinisque affixam habuit: ratus, hoc unum negotium præ aliis omnibus maximi eſſe pretii. Quis noſter ad cœleſtia guſtus? quis calor in expugnando animi torpore.

II. Ad id unum incubuit *Macarius*, ut ſoli DEO ſerviens, nihil cum mundo, carne, & dæmone commercii haberet: certus, ſervitutem DEI ſine hujus injuria diſpertiri non poſſe. Quàm infida ſæpiùs ſervitus noſtra, quâ alternè famulamur, jam DEO, ſed tepidè: jam peccato, ſed toti!

III. Ut animam ſervaret vegetam, corpus aſperitatibus attenuavit. Quid nos corpus molliter tractamus? cur malumus ſpiritum infirmari, quàm carnem? clamant, errare nos exempla Chriſti, & SS. Quid *Chriſtiani* dicimur, ſi curſu præeuntem Chriſtum non conſequimur? ſi intra metam deficimus? *Ibi porrò figas tui curſûs profectûsque metam, ubi DEUS poſuit ſuam. S. Bernard.*

III. JANUARII.

S. Genofeva. V.

VItæ religioſæ *ſignum*, nummum cruce inſignem capit à *B. Germano*, quô virgo ipſa Virgini ſponſo velut arrhâ ſe obſtrinxit. Quod in templis eſſet aſſidua, à matre colaphô; hæc à DEO, ob temeritatem, cœcitate caſtigata fuit. Jejunia impensê coluit. Vinum, *virginitatis venenum*, neſciit. Quoties cœlum aſpexit, lacrymis illa, illud gaudiis diffluere viſum. Quomodo non tuta caſtitas hiſce excubiis? quomodo non terra ſordeat ex tam crebro cœli intuitû?

SEN-

SENTENTIA.

DUplicatum eſt bonum virginitatis, quia in hoc mundo ſollicitudine caret ſæculi: & in futuro præmium caſtitatis recipiet. Sine dubio, qui caſti perſeverant & virgines, angelis DEI erunt æquales. *S. Bern. de modo bene vivendi. Ser. 21.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Genofeva* adhucdum parvula, togæ mundum muliebrem, ſæculi delicias, nuptiásque carnales, *cruci*, & caſto *Chriſti* connubio poſthabuit. Nos per Sacramentum Baptiſmi eidem animarum noſtrarum ſponſo copulati ſumus, fidem juravimus, perfidiam ejuravimus, renuntiando dæmoni, omnibusque pompis & operibus ejus. Quoties tamen interea, eheu! abierunt hæ animæ noſtræ poſt *amatores alteros?*

II. Portamus *theſaurum* noſtrum *in vaſis fictilibus:* ſæpiùs deperdimus, quia non cautè portamus. Si præterea, dum cibô & potû immoderatè utimur, ſupra bruta homines obbruteſcamus, ſi DEI locô, *venter DEUS nobis ſit*, quid mirum finem ſequi *confuſionem æternam?* quid mirum ex tot incendiis in fumum nos abire & atros cineres?

III. Si, *ubi theſaurus, ibi cor:* debuit profectò *Genofeva* corpore in templis eſſe, animô atque oculis in cœlo. Sciverunt gentiles quod ignoramus nos, aut diſſimulamus, rectum videlicet corporis ſtatum, & *os ſublime*, contra quàm

cœteris animantibus, ideo nobis data, ut cœlum ſpectemus, *tollamúsque erectos ad ſidera vultus.* Ut quid igitur occini nobis patimur? *ô curvæ in terras animæ!*

IV. JANUARII.

S. Titus.

PRodiit è *S. Pauli* diſciplina: maximi Magiſtri non degener diſcipulus. Virgo vixit & obiit. Una illi cura laborare gnaviter in Eccleſiæ novellæ vinea pro uberrimo animarum lucro, quô nullum grandius. Animæ corporis ergaſtulo ſolutæ dixêre Angeli, ut *requieſceret à laboribus ſuis*, æternis in cœlo præmiis donanda. Hæ ſcilicet *feriæ* hos *dies profeſtos* conſequuntur.

SENTENTIA.

QUid eſt corpus humanum, niſi equus ſpiritus? equo compateris, & ſeſſorem negligis? quid eſt vulnus in corpore, niſi foramen in veſte? veſti compateris, & fratrem veſtitum non curas? corpus non eſt, niſi tabernaculum militantis in eo ſpiritus: quanta dementia eſt, tantopere curare fiſuram in tabernaculo, & militantem in eo non attendere? *Guiliel. Paris. l. de Animab. Hom. c. 4.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. GRandis Paſtorum dignitas, ſed non minor eorundem obligatio, tranſigendi

gendi vitam dignitati parem. Fructûs exigui, imò ſæpe nullius, quæ cauſa alia, quàm mores à prædicatione abſoni? quomodo non illius doctrina negligitur, cujus vita deſpicitur?

II. Animæ fidelium *depoſitum* ſunt Creatoris, Redemptoris *pignus*, Spiritus ſancti *arrha*. *Depoſitarius* ille, cui cura illarum demandata. Audiet is aliquando, atque opinione ſua fortè citiùs: *redde depoſitum, repone pignus, arrham reſtitue.* O quàm ſevera exactio! Væ iis quorum incuriâ periêre iſta, vel deteriorata fuêre.

III. Paſtores animarum in ſacri ſuggeſtûs ſpeculâ ſtatuuntur, ut impendentem impiorum cervici juſtitiæ divinæ gladium ſeriâ prædicatione prænuntient. Hoc ſi negligant, ſi ſegniter exequantur, audiant, & contremiſcant ſibi loquentem DEUM. *Ezech. 33. v. 8. Si me dicente ad impium: impie morte morieris: non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua: Ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

V. JANUARII.

S. Eduardus Angliæ Rex.

RArô hic mortalibus exemplô *virginitatem conjugio* copulavit, ſanctiſſimè æmulatus matrimonium *MARIÆ* & *JOSEPH*. Ægrum regiis humeris ad aram usque deportavit: onus ſcilicet leve *humilitati*. Miraculis mortalis adhucdum homo mirùm refulſit. Mortalitatis ſuæ terminum à *S. Joanne Evangeliſta*, cui addictiſſimus vixit, perdidicit. Corpus exanime, veluti in vita luxu-

riæ, ita deinceps corruptionis ſordibus fœdari non potuit. Sic nempe vivunt, ſic occidunt virgines.

SENTENTIA.

BEne Angelus ad Virginem mittitur, quia ſemper eſt angelis cognata virginitas. Profectò in carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis. Unde in carne angelicam gloriam acquirere, majoris eſt meriti, quam habere. Eſſe enim angelum felicitatis eſt, eſſe verò virginem virtutis, dum hoc obtinere nititur cum gratia, quod habet Angelus ex natura. Utrumque tamen & eſſe virginem & angelum, divini muneris eſt officium, non humanum. *S. Auguſtinus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MIrum eſt *virtutis* ingenium, adinvenit ea quæ non niſi DEO propior mens capit, imò & hæc difficulter. Quid tam inſolitum, quàm conjugii cum virginitate nexus? verè, *non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus deſuper datum eſt.* DEUM lauda anima mea, quòd tibi tanta media ſint, & viæ, propagandæ gloriæ ejus.

II. Elegantiſſimè combinavit S. EDUARDUS virtutes geminas, *caſtitatem* & *humilitatem*, quarum poſterior priori tam eſt neceſſaria, ut ſine ea tantundem, nec plus valeat, quàm luce & oleô de-

deſtitutæ virginum fatuarum lampades. Imò ſi Bernardo credis: *Humilitas magis neceſſaria eſt quàm virginitas. Bernard. Hom. 2.* Falleris ergo quisquis virgo *humilitatem* negligis: neutrius enim præmia capies.

III. Corruptio quid niſi peccati pœna, quâ primus homo ex terra compactus & luto, ut in terram, lutúmque denuò defluëret, damnatus fuit? tolerabilior tamen iſta, quàm alia, quâ putris & ſordibus infecta in vegeto corpore circumfertur anima. Ut corpus communi mortalitatis lege in pulveres & ſaniem abiturum, glorioſum olim cum anima reſurgat, hujus corruptionem ſedulò devita. Ita non modò *animæ, ſed & corpora meliora erunt poſt reſurrectionem, quàm erant ab initio. S. Auguſt.*

VI. JANUARII.

Sancti tres Reges
Caſpar Melchior & Balthaſar.

OBſtupuit mundus factum tam inſolitum: ruere videlicet in genua coram parvulo paupere, ſinu pauperis itidem Matris receptô, faſciis vilibus involutô, cœli, aëris, ventorum injuriis, ſtabuli fœtoribus expoſito, ruere, inquam, in genua coram miſello hoc parvulo purpuratos proceres, eundémque tenerrimô affectuæque ac muneribus ſibi demereri. Quinam *Reges*, ſi non iſti, qui animum usque adeò obfirmarunt contra omnes difficultates, quas movebat delicatior naturæ indoles?

Digitized by Google

SENTENTIA.

BEne ſancti viri Scripturæ ſacræ teſtimoniô Reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum infrænant, modò æſtum avaritiæ temperant, modò gloriam inclinant, modò ſuggeſtiones livoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt. Reges ergo ſunt, qui tentationum ſuarum motibus non conſentiendo ſuccumbere, ſed regendo præeſſe noverunt. *S. Auguſt. in Pſ. 118.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. REges à *regendo* dici, nemo ferè eſt, qui ignoret. Regimen animæ in corpus Numen contulit, quando rationis uſu hominem donavit, voluitque jam extunc, ut ſub homine eſſet appetitus illius, ejusdémque ille dominaretur. *Væ terræ cujus Rex puer eſt. Eccleſ. 10.* Væ item animæ, quæ puerili formidine præoccupata, ut ne corpus offendat, diſſimulando ſuum in illud imperium, *DEUM* offendere non veretur!

II. Solæ paſſiones animi ſunt, quæ ſuum animæ regimen in corpus potiſſimùm diſputant, hæ tamen æque ac *mundus* & *dæmon* cogere non poſſunt, ſed allicere tantùm, ſuadere ſolùm mala, non perſuadere. Vide quàm fortes è cœlo, & DEI gratia ſuppetias habeat *imperatrix anima!* ſi modò iisdem opportunè uti nôrit, ac velit.

III. Ta-

Digitized by Google

III. Talis si *Rex* fueris, tui scilicet, tuarúmque passionum, tutò convenies *Regem recens natum:* tantóque gratior, quantò donis pluribus instructior. Si Religiosus sis, auri locô *paupertatem* porrige paupertatis amantissimo: myrrham *castitas*; thus *obedientia* compensabunt. Si Sæcularis, aut è Clero, oblationis normam à sancto Gregorio. *Hom. 10.* cape: *aurum*, inquit ille, *offerimus, si sapientiæ lumine splendemus: Thus, si orationis studiô recalemus: Myrrham, si carnis vitia mortificamus.*

VII. JANUARII.

S. Raymundus ex Ord. Prædicat.

ACunis insignem se *Virginis* cultorem probavit, cujus amorem unàcum lacte materno imbibisse videri poterat. Crevit ille amor cum annis, tum maximus, ubi *Ordini Prædicatorio*, Virgini *DEIparæ* plus cæteris obstricto, *Raymundus* nomen dedit. Patronæ suæ monitu sodalitatem pro liberandis vinctis instituit. Pallium non semel, sed crebrius pro navi serviit, ut mare trajiceret. Angelô usus est velut cubiculariô, qui ad statas eum de nocte preces excitabat. En quàm diligentibus *DEUM* & *MARIAM* omnia prosperè cadant.

SENTENTIA.

MIrabiles, nec non amabiles tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam salutem. O Domina, quàm beati sunt, quos viderunt oculi tui! *S. Bonav. 3. P. Stim. Div. Am. c. 19.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. *QUàm bona* DEI para Virgo *bis, qui* rectô erga illam *sunt corde!* quàm providè agunt, qui à puero illius esse cupiunt! omne tempus deperditum puta, quod non impendisti amorî *JESU* & *MARIÆ*. Quàm cuperes aliquando, non feciſſe te jacturam tam grandem!

II. Reliquæ totius praxis devotionum in DEIparam hoc caput esto, ut totum te, quantus es, illi dones. Quid nimiæ sint hæ expensæ? imò quomodo non maximi & lucri, & fœnoris, dum ita agendo *MARIAM* tibi obligas ad peculiarem tui custodiam? Fœda semper *avaritia*, sed fœdior hæc, quâ *DEO* & *MARIÆ* te subtrahis.

III. Quoties interdiu æquè ac noctu *Custos Angelus* aurem tibi vellit, ut ad servitia DEI, DEIparæque alacer progrediâre: nec tamen cum *Raymundo* monenti obsequeris! ut idem Angelus te olim clientem suum à mortis somno ad gloriam excitet, illi morem gere; *MARIAM* dilige: nam *MARIA si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ.* S. Bernard.

VIII. JANUARII.

S. Laurentius Justinianus.

ADolescens adhuc à *divina Sapientia* ad complexum, & osculum vocatus, cum casto hoc *Amore* perpetuum mundi *odium hausit.* Ne ex ampliſſimis proventibus episcopalibus ditior factus, penè cum divitibus de expugnando cœlo desperaret, pauperes (quos ut *cæli Janitores* habebat) multâ pecuniâ corrupit. Totus cœterà fuit

in

in amore *Crucifixi*, quem omnibus meritorum pretiô, quô unô tamen gloria cœleſtis emitur, vacuis, vadem ſubſtitutum & cupiit & ſuaſit. Hæc ſcilicet ſunt, quæ *Sapientiæ divinæ magiſteriô docemur & diſcimus.*

SENTENTIA.

CRux Chriſti clavis eſt Paradiſi, infirmorum baculus, Paſtorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ ſalus, & corporis omnium malorum averſio. *S. Damaſc.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *SApientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam. Proverb. 1. v. 20.* imò & intrà te *ludum* aperit. Si *timoris Domini* characterem & notam habuerit anima tua, fiet tibi quod *Laurentio* noſtro: diſcipulus eris, affectu & complexu tantæ Magiſtræ dignus. Sin minus: ſcito *in malevolam animam* illam non intraturam, neque habitaturam in *corpore peccatis ſubdito.* Væ porrò tibi, ſi in ſapientiæ ſchola *amuſum* te mors deprehendat!

II. Docebit te illa, quod *Laurentium:* erga egenos ſeu pecuniâ, ſeu virtutibus non eſſe parcum, & ſordidum, ſed impendere illis *eleemoſynam* vel temporalem, vel ſpiritualem, pro conditione ſtatûs tui. Quæ hactenus fuit liberalitas tua? quæ bonorum cum aliis communicatio?

III. Docebit etiam te, ſi audias, ſapientia, *non in alio gloriari niſi in cruce Domini JESU Chri-*

Chriſti: acceptare illam de manu DEI veluti pignus futuræ hæreditatis. O quàm inſigne *Pædagogium Sapientiæ!* quàm inexcuſabilis item ruditas eorum, qui ejusdem documenta negligunt! His certê accidet, quod comminatur Apoſtoli ore æterna veritas. *1. Cor. 14. Si quis ignorat, ignorabitur.*

IX. JANUARII.

SS. Julianus, & Baſiliſſa.

ARduum initiò videbatur his conjugibus, quod naturæ ipſi, imò quod angelis fuit mirandum, licitis conjugii voluptatibus *virginitatem* præferre. Metum ademit, atque animos addidit, ut auderent *fortia*, *JESUS* cum *MARIA*, dum utrique conjugi nomen ſuum in *album vitæ* relatum oſtendit. Fuitque is operis iſtius heroici fructus, ut *Baſiliſſa* virgo obiret, *Julianus* & virgo & martyr. Quid fluctuas anime? quid ad minimam difficultatis umbram trepidas? non hæc fortitudinis nota eſt, ſed imbellis animi.

SENTENTIA.

FOrtitudo, atque conſtantia via regia eſt: à qua declinat ad dexteram, qui temerarius eſt, & pertinax: ad ſiniſtram, qui formidoloſus eſt & pavidus. *S. Auguſt. in Origin. ſuper Iſa.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. TAntùm *proficies, quantùm tibi vim feceris.* Spondet hoc pro te, atque omni-

omnibus aliis religioſiſſimus ſcriptor *Thomas de Kempis*. Totus enim in virtute profectus *ſolidâ animi magnitudine* obtinetur. Quid terreant difficultates, quæ contra occurrunt, dum *divina gratia* (modò eam requiras) illas veluti nebulam & fumum diſſîpat? vide ergo quàm non ſolus in acie ſtes, quàm non ſolus pugnes.

II. Ut militi generoſo gratior præda eſt, quæ poſt acrem conflictum à fugato hoſte obtinetur, quàm quæ obvia incurio ſub oculos cadit: ita ingenuo Chriſti pugili æſtimabilior virtus, quæ difficilior, cum probè noverit regnum cœlorum non niſi violentè rapientibus in ſpolium & lucrum cedere.

III. Viderunt *virginei* iſti *conjuges* nomina ſua ſcripta in *Libro Vitæ*. Noli putare rem levem eſſe ſcribi in *Libro Vitæ*, aut non ſcribi. Illi enim non inſcriptus, certò ſcribêris in *Libro Mortis*. Quid tum futurum ſit, audi ex Apocal. c. 20. & obſtupeſce! *Qui non inventus eſt in Libro Vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*. Item c. 12. *Non intrabit in eam* (cœleſtem Jeruſalem) *aliquid coinquinatum &c. Niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni*.

X. JANUARII.

S. Marcianus Confeſſor.

FUit Sanctus iſte typus compatientis malo alieno animi. Per diem totus erat in alendis pauperibus: noctu ut idem exerceret, urbem obambulabat. Veſtis aliquando propriæ, cùm aliud ad manum non eſſet, diſpendium facere voluit, ut

mi-

miſellum tegeret, quæ charitas tam fuit cœlo probata, ut veſti *laneæ* reponeret *auream.* Sic debitorem ſibi DEUM faciunt, qui ſua pauperibus erogant.

SENTENTIA.

FÆcundus eſt ager pauper, citò reddit donantibus fructum: via cœli eſt pauper, per quam venitur ad Patrem. Incipe erogare, ſi non vis errare. *Auguſt de verb. Dom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAgni in ſe pretii, & apud DEUM meriti eſt *eleemoſyna*, ſi fiat, ut fieri debet, non ad oſtentationem, ſed miſerationem: hôc enim modô quæſtuoſiſſima eſt, dum liberaliter eroganti pro divitiis perituris in hac vita *gratiam*, quæ charitati ex æquo debetur; in altera *gloriam*, quæ miſericordibus repromiſſa eſt, confert. Diſcute eleemoſynas quas feciſti hactenus, & vide, num omni nævô careant.

II. *Eleemoſynam dare non ſemper in poteſtate noſtra eſt*, inquit Chryſoſt. ſuper Epiſt. ad Galat. Sunt enim aliqui non ſui ſed alieni juris, quibus arbitrarium non eſt, diſponere de rebus ad *uſum* ſibi conceſſis citra voluntatem concedentis. Non abjiciant animum iſti, nec de merito ex miſericordiæ operibus conſequendo deſperent: *faciant primò*, quod Aug. monet. l. 1. *de Civit. c.* 27. *Eleemoſynam in ſe ipſos.* Magis enim hîc quàm alibi *amor incipere debet à ſe ipſo.*

III.

III. In censum eleemosynæ spiritualis, ut idem Aug. in Enchirid. advertit, veniunt etiam, *ignoscere proximo: diligere inimicos:* uti & alia, quæ doctrina christiana puero tibi suggessit. *Absconde*, si te amas, & hanc *eleemosynam in sinu pauperum* (spiritualium) *& ipsa orabit pro te ad Dominum.*

XI. JANUARII.

S. Theodosius Abbas.

Mira in sancto hoc Abbate fuerunt omnia. *Mira* in DEUM fides, *mira* sui diffidentia: *mira* in superos devotio, *mira* in vita tam præclara humilitas: *mirus* in proximum affectus, *mirum* sui odium. *Mira* item quæ egit, quando grano unico totum implevit granarium: quando paucis panibus supra centum mensis providit: quando ejusdem cilicium belli duci pro loricâ serviit: quando suorum Religiosorum nonnemini suavissimam, & supra communes facilem mortem obtinuit. Unde putas, tot, támque insignes gratiæ? utique ab unâ in DEUM fiduciâ. Si *maledictus homo, qui confidit in homine*, cur tua in homines fiducia major, quàm in DEUM?

SENTENTIA.

TAnta est fidei (& fiduciæ in DEUM) virtus, tántaque potestas, ut cultoribus suis etiam ipsa elementa contra naturam suam famulari compellat. *S. Zeno serm. de trib. puer.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SI Sanctorum gesta exempla nobis esse debeant, & amussis, ad quam vitam nostram coaptemus, videndum modò, quæ *mira* in nobis *miris* respondeant, quæ in divo miramur *Theodosio*. *Mira* nobis, ut illi, collata gratia, ingrediendi iter perfectionis, quid si & *mira* nostri ab ejusdem progressu distantia? si *mirus* noster in spiritualibus tepor & torpor, quid porrò *mirum*, DEUM suam sæpius gratiam, *mira* cæteroquin præstantem, retrahere?

H. *Mirum* id maximè, tantam DEI in nos esse patientiam, post diuturnum adeo ejus abusum. Ut Sancti DEI in naturalibus *mira* effecerunt per veram in DEUM fiduciam, ita nos *mira* in nobis ad frugem reducendis effici videremus, si pari in DEUM fiduciá manum cum gratia movere non pigeret.

III. Dum ergo constat, sæpius DEUM attraxisse cor hominis per miracula; moveant nos quæ *mira* hactenus operatus est in nobis & circa nos. Fiet tum, ut & nos *mira* operemur: innumeros ut *Theodosius* pascendo: hostium insultus ab aliis avertendo: mortem iis felicem comparando; imò spiritualiter mortuos suscitando, quod omnium maximè *mirum*, si *Hieronymo* credis, cujus verba sunt: *mortuam animam suscitare, majus est miraculum, quàm corpus.*

XII. JANUARII.

S. Arcadius M.

VIdit obstupuítque ævi illius Christianitas in *Arcadio* tot ferè martyria, quot membra.

Vilue-

Viluerunt sævo Judici ungulæ, plumbatarum ictus, equulei horror, sartaginum fervor, & quæ usuali aliàs in reos lege carnificum manus tractârat. Nova excogitavit supplicia, ut in homine DEUM vinceret. Nervorum omnium connexa in Martyre dissolvi, junctûras discussâ compage rumpi, incidi ab articulis manus, à cruribus pedes voluit, totúmque corpus laniari, ut se ipsum *Arcadius* velut vivum cadaver spectaret. Frustrà tamen fuere singula. DEO uni, cui Martyr devotissimus vixerat, pari constantia immortuus est, ut æternùm in cœlo viveret.

SENTENTIA.

SOlennitates martyrum exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat quod celebrare delectat. *S. Augusst. serm. 4. de Sanct.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CORpus hoc tibi datum esse, velut *nobile instrumentum* propagandæ gloriæ DEI, nosti, & ultrò fateris. Anima ergo est, cui commissum uti hôc instrumentô non qualitercúnque, sed in conscium finem. Unde jam quòd corporis membra toties ad illicita famulari compellantur? átque id *animô* vel dissimulante, vel, quod pejus est, approbante?

II. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Inter illa & corpus hominis tot membris tam decorè compactum. Veluti tamen re quamvis optimâ malè quandóque utimur: ita &

ſæpè nimis (pro pudor) hôc noſtrô corpore; átque utinam citra tam grandem ſaltem conditoris ignominiam!

III. Acclamat nobis ſuo è ceſpite glorioſus Chriſti pugil *Arcadius*, ut oculos, ut manus & pedes, ut membra omnia, quæ ſcandalo hactenus fuerunt vel nobis, vel aliis, abſcindamus, eruamus, projiciamus. Sequamur Chriſti, illiúsque monita, certi, magis è re noſtrâ & bono futurum, corpore truncos, animâ autem vegetos cœlum intrare, quàm utrísque corruptos mitti in *gehennam ignis.*

XIII. JANUARII.

B. Godefridus Canonicus Præmonſtrat.

RArum fuit Orbi ſpectaculum, videre illuſtriſſimum hunc Comitem *Cappenbergenſem*, ſpretis omnibus mundi divitiis quas habebat ampliſſimas: relictis nobiliſſimi conjugii deliciis, quibus pro voto perfrui poterat, unà cum lectiſſimá conjuge, pauperi Chriſto ſub D. Norberti inſtituto manus dantem, ejusdémque jugo ſuavi nobilia colla ſubdentem. Potuit hîc uno velut ore cum apoſtolorum principe fidenter eloqui: *ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te!* dum caſtra ſua in cœnobia ſacri Ordinis commutari voluit, in religione vero veluti alter *Paulus* deſideriô æternorum tabeſcens, nil crebriùs cupiit, quàm *diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Palam id faciebant verba multùm ipſi familiaria: *utinam veniat aliquando hora tranſitûs noſtri!* quod piè vovit, feliciter adeptus eſt, ubi nondum tricenarius, cœlo tamen maturiſſimus, ad beatam immortalitatem abiit.

abiit. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SENTENTIA.

MOri nolle, indicium est parvi profectus. *S. Augustinus in Quæstion. 19.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DEsipuisti aliquamdiu cum mundo, religiosa anima! dum bona ejusdem, & divitias adamasti: tum verò sanior sensus rediit, ubi quisquilias illas generoso pede proterere ausa, in paupertatis votum jurasti. Audi applaudentem tibi *Bernardum: Paupertatem æquo animo ferre, virtus patientiæ est: sponte appetere, sapientiæ laus est.* Gratias refer Sapientiæ increatæ, à cujus luce derivatus in te est radius hic sapientiæ sacratioris.

II. Facultates tuæ collatæ iis, quas *Godefridus* reliquit, parvulæ sunt, & ferè nullæ. Inde tamen ne pusillanimis efficiâre. Multùm reliquisti, si cum pauculis iis *affectum* quóque abjeceris *habendi.* Illô videlicet plenè abnegatô, suum etiam pretium *remis* & *retibus* derelictis.

III. Liberior pauperi tibi via aspirandi ad eas divitias, quas cœlum largissimas dabit. Quid vota intra cordis angustias compingis? evolent liberè, quo sanctus amor impellit. Dic cum *Godefrido:* utinam veniat hora transitûs mei, quâ liberer de corpore mortis hujus! quâ subintrem domum Domini, in quâ gloria, & divitiæ, in qua melior dies una, quàm mille quibus in terris vivitur: in quâ DEUS beatorum pars in æternum.

ſæpè nimis (pro pudor) hôc noſtrô corpore; átque utinam citra tam grandem ſaltem conditoris ignominiam!

III. Acclamat nobis ſuo è ceſpite glorioſus Chriſti pugil *Arcadius*, ut oculos, ut manus & pedes, ut membra omnia, quæ ſcandalo hactenus fuerunt vel nobis, vel aliis, abſcindamus, eruamus, projiciamus. Sequamur Chriſti, illiúsque monita, certi, magis è re noſtrâ & bono futurum, corpore truncos, animâ autem vegetos cœlum intrare, quàm utrísque corruptos mitti in *gehennam ignis.*

XIII. JANUARII.

B. Godefridus Canonicus Præmonſtrat.

RArum fuit Orbi ſpectaculum, videre illuſtriſſimum hunc Comitem *Cappenbergenſem*, ſpretis omnibus mundi divitiis quas habebat ampliſſimas: relictis nobiliſſimi conjugii deliciis, quibus pro voto perfrui poterat, unà cum lectiſſimá conjuge, pauperi Chriſto ſub D. Norberti inſtituto manus dantem, ejusdémque jugo ſuavi nobilia colla ſubdentem. Potuit hîc uno velut ore cum apoſtolorum principe fidenter eloqui: *ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te!* dum caſtra ſua in cœnobia ſacri Ordinis commutari voluit, in religione vero veluti alter *Paulus* deſideriô æternorum tabeſcens, nil crebriùs cupiit, quàm *diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Palam id faciebant verba multùm ipſi familiaria: *utinam veniat aliquando hora tranſitûs noſtri!* quod piè vovit, feliciter adeptus eſt, ubi nondum tricenarius, cœlo tamen maturiſſimus, ad beatam immortalitatem abiit.

Digitized by Google

abiit. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SENTENTIA.

MOrinolle, indicium est parvi profectus. *S. Augustinus in Quæstion. 19.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DEsipuisti aliquamdiu cum mundo, religiosa anima! dum bona ejusdem, & divitias adamasti: tum verò sanior sensus rediit, ubi quisquilias illas generoso pede proterere ausa, in paupertatis votum jurasti. Audi applaudentem tibi *Bernardum: Paupertatem æquo animo ferre, virtus patientiæ est: sponte appetere, sapientiæ laus est.* Gratias refer Sapientiæ increatæ, à cujus luce derivatus in te est radius hic sapientiæ sacratioris.

II. Facultates tuæ collatæ iis, quas *Godefridus* reliquit, parvulæ sunt, & ferè nullæ. Inde tamen ne pusillanimis efficiâre. Multùm reliquisti, si cum pauculis iis *affectum* quóque abjeceris *habendi.* Illô videlicet plenè abnegatô, suum etiam pretium *remis* & *retibus* derelictis.

III. Liberior pauperi tibi via aspirandi ad eas divitias, quas cœlum largissimas dabit. Quid vota intra cordis angustias compingis? evolent liberè, quo sanctus amor impellit. Dic cum *Godefrido:* utinam veniat hora transitûs mei, quâ liberer de corpore mortis hujus! quâ subintrem domum Domini, in quâ gloria, & divitiæ, in qua melior dies una, quàm mille quibus in terris vivitur: in quâ DEUS beatorum pars in æternum.

XIV. JANUARII.

S. Felix Nolanus.

UT fidem in Chriſtum propugnaret, variè ab hoſtibus oppugnari patienter ſuſtinuit. Vinculis primùm innodatus, libertatem ſpiritûs nunquam deperdidit: imò & illis miniſteriô angelicô ſolutus abiit. Néque tamen paratas ſibi inſidias effugiſſet, nî aranearum telæ pro muro illi ſervîſſent, ipſique angeli famelico ſex menſibus cibum paráſſent. Injurius in DEUM eſt, qui de illius providentia úsque adeò diffidit, ut in obviis paſſim periculis trepidet, átque animô cadat.

SENTENTIA.

NIhil dare poteſt mundus, quod non fallat; unus DEUS eſt, à quo certum debemus ſperare auxilium. Quanta malitia fuit *Aman?* machinationes ejus contrà Judæos fuerunt peſſimæ, quas excogitaverat; ſed diſponente DEO, *Aſſuerus*, momentò juſſit omnes irritas fieri. *S. Ambroſ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PRudentiùs non rarò ageres, ſi, uti mala foris impendentia, & quos tibi hoſtes fingis; ita metueres eum, quem intra te contines, quem tecum circumfers. Verè *inimici hominis domeſtici ejus.* Alii quicúnque tibi inſidias ſtruunt, uno divinæ providentiæ nutu in fugam agi poſſunt. Eos quos intùs alis, niſi collato

lato cum gratiâ divinâ ſtudiô tuo mactè impugnes, nunquam porrò expugnabis.

II. Dæmon, homines mali, quantumcúnque inſidientur, nocere nec minimùm citrà DEI placitum, & voluntatem, permiſſivam ſaltem, poſſunt. Exemplum tibi eſto unus *Athanaſius*. Quàm evidens circa illum fuit divinæ cuſtodiæ pretium! quàm liquida Numinis providentia! ſæpiùs inimici ex *Athanaſio* de *Athanaſio* quærebant, ſed fruſtra: quia ſcilicet *nondum venit hora ejus*, quâ DEO decretum erat, evocare illum ex his ſæculi turbis.

III. Securus proin de divinâ in te curâ, pericula ride, & diſſimula, quæ forinſecùs accidunt: non item quæ à paſſionibus tuis ſunt, & diſcolis animi motibus. Hîc enim cùm neglectus & diſſimulatio grandia ſæpe mala parturiant, tu *viriliter age*, *prælia prælia Domini cum lætitiâ*, nec deſiſte dum DEUS *ponat inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*.

XV. JANUARII.

S. Paulus Eremita.

UT maturè, veluti *Samuel junior*, DEUM ſibi loquentem audiret, divino Spiritu ductus, in ſolitudinem abiit: ibidémque conſtantiſſimus ad usque centeſimum decimum vitæ annum perduravit. Veſtiarium intrà palmæ ramos; penuarium intrà corvi roſtrum habuit: à quo dimidiatum panem accepit tamdiu, dum ad adventum *Antonii*, paris in palæſtrâ hâc pugilis, DEI providâ bonitate multiplicaretur annona. Viſa eſt ab eodem *Antonio Pauli* anima corpore ſoluta, quòd

in terris obliqua neſciiſſet, rectà ad cœlos conſcendere. Erras, ſi dubium tibi ſit bona hæc alterius, quàm ſanctæ ſolitudinis fructum fuiſſe.

SENTENTIA.

EXperto crede, aliquid ampliùs invenies in ſylvis, quam in angulis, ligna & lapides docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis. *S. Bernard.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUin cum *Paulo* ſylvarum abdita & receſſus petas, tua fortaſſis conditio obſiſtit, devota anima! & vitæ ſtatus. Sed illud non neceſſarium. Solitudo animæ eſt, quæ ſuadetur: quanta hæc præ illâ ſit, ex Gregorio Doctore in ſpiritualibus exercitatiſſimo cape. *Non prodeſt ſolitudo corporis*, inquit, 50. Moral. *Si deeſt ſolitudo mentis.* Vide, quàm bonitas DEI variis de incommodis tibi præcautum velit.

II. Solitudo hæc mentis, prô! quàm fœcunda virtutum parens! ſub illa animum hominis ad meliora DEUS erudit, ut *Samuelem* olim profundô noctis ſilentio. Cur non cum illo rogas? *loquere Domine, quia audit ſervus tuus:* cur adeo frequentiam hominum ambis, & congreſſum, cum tamen, nolis velis, cum religioſiſſimo Thomâ de Kempis fateri debeas, *toties minorem te hominem rediiſſe hactenus, quoties inter homines fuiſti?*

III. Ut ſolitudinis hujus guſtum capias, iis utere mediis, quibus *Paulus.* Curâ videlicet rerum omnium, etiam neceſſariarum, in unam DEI

pro-

Digitized by Google

providentiam rejectâ, cum *Magdalena* optimam electurus partem, ſedeas ſecus pedes Domini, audiásque verbum illius, quod in abſcondito ad cor tuum loquetur. Ita primùm quæres regnum DEI, & juſtitiam ejus.

XVI. JANUARII.

S. Furſeus Anglus Confeſſor.

RAptus aliquando ſanctus hic Confeſſor in extaſin, ex obſcura valle ſub ſe poſitâ, quatuor flammas in quatuor mundi partes diſpergi vidit, quæ mirâ ſævitiâ & voracitate terram undique populabantur. Ab Angelo Doctore ductoréque, præter arcana alia, ipsámque viſionis hujus explicationem, intellexit, graviter DEUM ſubiraſci cùm aliis hominibus, tum, atque potiſſimùm, viris principibus, ac eccleſiæ doctoribus, quòd hi, cùm divino lumine inſtructi, nôſſent præ cæteris bonum diſcernere à malo, mallent tamen ſequi inanem ſanctitatis ſpeciem, quàm rem ipſam. Si remotior ab hiſce incendiis ſis, liberatori DEO gratias refer.

SENTENTIA.

MUndus eſt, ubi malitiæ plurimum, ubi ſapientiæ modicum, ubi omnia ſunt viſcoſa, omnia lubrica, omnia operta tenebris & obſeſſa laqueis, ubi periclitantur animæ, & affliguntur corpora, ubi omnia vanitas & afflictio ſpiritûs. *S. Bern. in ſerm.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VIdit *Antonius* mundum laqueis plenum: *Anſelmus* veluti putrem ſor-

dium omnium colluviem: *Furſeus* peſtiferis ignibus conflagrantem. Quid tandem in illo magnum præter pericula, & nequitiam? quomodo non totus in maligno poſitus? felicem te, quem emiſſa de alto manus Domini eripuit de aquis hiſce multis, ne ſubmergereris; extraxit ab iſtis ignibus, ne in favillam abires, & atros carbones.

II. Dixerat dudùm Auguſtinus l. 2. de Civit. *In terrâ, & ſupra terram, & infra terram ignis eſt.* Si alius non foret, quam concupiſcentiæ: heu! quot nobiliſſimas ille animas depaſcitur! quot à fœdis hiſce incendiis in æternos decidunt rogos! fuge hunc ignem manibus, quod dicitur, & pedibus: neque ſolùm amburi metue, ſed & leviter calefieri.

III. Si aliorum curam geras, ſive Prælatus, ſive Doctor, flammis ejusmodi verbô, & exemplô reſtinguendis totum te impende. Non levis hæc tua obligatio. Si in te ardeat charitatis in DEUM & proximum flamma: illas ſopire adnitêris, ut has tantò liberiùs ſpargas. Nec inde defectum, aut jacturam patieris, ſed inſigne ſacri hujus incendii augmentum. *Ille in amore DEI major eſt, qui ad illius amorem plurimos attrahit.* Greg. in Homil. ſuper Evang.

XVII. JANUARII.

S. Antonius, Eremita.

JUvenis adhuc, ut perfectus eſſet, Evangelii monitô, abiit, vendidit omnia, deditque pauperibus. Æmulatus in aliis chariſmata meliora, brevi tempore è tyrocinio virtutis ad perfectam illius no-

notitiam juxtà ac praxin tranſiit. Dæmonis inſultus, utut arduos, tandem riſit, ceu vanas ſuperborum ſpirituum oſtentationes. Merita victoriarum præmia recepturus, annô vitæ centeſimô quintô ad cœlos abiit. Quàm bonum illi fuerit portáſſe jugum Domini ab adoleſcentia ſua!

SENTENTIA.

QUàm pulchra & quàm ſplendida gemma morum eſt verecundia in vita & vultu adoleſcentis, quàm vera & minimè dubia bonæ ſpei nuntia, bonæ indolis index! virga diſciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, ſpecialis gloria conſcientiæ, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, naturæ laus, & inſigne totius honeſti. *S. Bernard. ſerm. 86. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CErea in vitium juventus eſt, tam facilè illud, àtque aquam imbibit. Nobiliſſima illa ætatis pars, quàm fœdè proteritur! annorum primitiæ, quàm parcè DEO ceduntur! felicem te, ſi à teneris cum *Antonio* indagâſti, quæ ſit voluntas DEI, bona, & beneplacens. Felicem, ſi recentiſſimum pueritiæ tuæ mulſum DEO propinare maluiſti, quàm vilem ſenii vappam.

II. Totus ab *Antonio* differs, dum chariſmata in aliis meliora exploras tantùm, ut diſcutias, & occultes: vitia verò ut propales, & imiteris. Non hic agendi modus eſt charitatis. Per hanc cum aliorum virtutes facere poſſes tuas, tu è contra

Digitized by Google

tra illas dissimulando, vitia præeligis. An non stolida hæc est negotiatio?

III. Quid mirum dæmonum insultus adeò te formidare? nôsti scilicet tuâ te culpâ sæpiùs ab eorundem suggestionibus devictum. Verùm sagaciùs cum *Antonio* totum illorum apparatum examina, & videbis, imò ridebis terriculamenta imbellium animorum. Sta ergò audacter in acie, assiduus esto in pugnâ, certus, quod *non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.*

XVIII. JANUARII.

S. Prisca Virgo Romana, & Mart.

VOluit Christus *Virginem* hanc ætate tredecim annorum, sanguine nobilissimam, formâ eximiam, toti mundo palàm facere, quantum *virtutis* & *castimoniæ* robur esset, dum primò verberibus inhumaniter exceptam, adipe subin ferventi delibutam, leonibus objectam, fame triduanâ excruciatam, ferreis ungulis discerptam, in ignes projectam, capite demùm minutam, his tamen tormentis omnibus superiorem fecit. An non horror succutit artus, dum tanta perpessam cogitas tenellam *Virginem?* unde hoc, quàm ab animi tui imbecillitate?

SENTENTIA.

VIrginitas illis, qui rem accuratè perpendunt, magnum quidem martyrium videtur: sunt enim crudeles quidam carnifices, corporis voluptates; imò verò car-

Digitized by Google

carnificibus crudeliores. *S. Chryſoſt. Orat. de S. Theclâ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm faveo tibi duplicem aureolam, *virginitatis*, & *martyrii*, glorioſa *Virgo*, quibus à ſponſo coronata æternùm triumphas! par mihi præmium ſpondes, ſi non refugiam ſiccum illud *martyrium*, quod ſubeunt, quotquot voluptatum illecebris ſeriò animum præcludunt: qui luxuriæ non actum modò, ſed & umbram peſte pejus, & dæmone fugiunt.

II. Quoties id agunt piæ animæ, ut mille cum ſuſpiriis voveant: ô ſi cum myriadibus *Martyrum* licitum mihi fuiſſet *amore DEI* ſanguinem, vitam, famam, &c. profundere! ô ſi in fruſta cum iisdem diſcerpi! ô ſi mori tot vitis, quot laceratis artubus! en! quàm & pax noſtra *martyrii* fertilis ſit, ſi veluti *Martyres* tormenta; nos pravos concupiſcentiæ motus ſuperemus.

III. Hi tortores tui ejus ſunt indolis, ut dum expugnati penitùs videntur, bella redintegrent. An non enim eos ſæpiùs, à quibus vigilantibus ſuperati ſunt, dormientes umbratili pugnâ divexant? ut ergò Sancti cum beſtiis, ita tu cum concupiſcentiis congredere. Neque tamen triumphum ante victoriam cane, memor dicti illius: *inter omnia certamina duriora eſſe prælia caſtitatis, quòd hic quotidiana ſit pugna, & raro victoria.*

XIX. JANUARII.

S. Abundantia Virg.

MIrus fuit plauſus in natali, non minùs, quàm luctus in obitu ſanctiſſimæ iſtius *Virgunculæ*, dum

dum utrobique æs campanum ultrò & genethliacum, & leſſum ſonuit. Vix octennis Sponſo JESULO familiariſſima vixit, à quo etiam donum accepit, pomum aureum, non diſcordiæ, ut *Paridis* erat, ſed intimæ conjunctionis. Dedit illa in vicem hibernos flores, cúmque illis ſemet, veluti lilium. O quàm pulchra in ſuperum etiam oculis, atque æſtimatione caſta eſt generatio!

SENTENTIA.

SI voluntatem DEI quisque nôſſe deſiderat, fiat amicus DEO: quia ſi voluntatem hominis nôſſe quisquam vellet, cujus amicus non eſſet, omnes ejus impudentiam deriderent. Non autem quisquam efficitur amicus DEI, niſi purgatiſſimis moribus. *S. Auguſt. l. 1. contra Manich.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VIdes quàm ſimilitudo ſit *Mater Amoris!* quid enim *abundantiam* fecit tantis abundare gratiis, quàm ab ipſis incunabulis magni æſtimata mentis, & corporis puritas, ac vitæ innocentia, quibus caſtiſſimo DEI Agno quoquo modo conformari & cupiit, & conata eſt? monſtroſum æque, imò magis eſt, DEUM converſari cum homine ſordido, quàm columbam corvis junctam evolare ad cadavera.

II. Sancta hæc familiaritas, quâ amicè converſantur JESUS, & anima, omnem odit ſimulationem. Seriam eſſe oportet, ut conſtans ſit. Quoties, mi anime! propenſiſſimum fingis affectum

ctum erga dilectum tuum, ſed fingis tantùm? ſimul enim familiaria tibi facere vis, quæ DEO diſplicent: ſimul ambis amicitiam mundi, quæ inimica eſt DEO. Fruſtrà ergo hujus tibi affectum polliceris, niſi alia ab affectu excludas tuo.

III. Majora ſacræ hujus amicitiæ emolumenta ſunt, quàm ut capiantur hâc paginâ. Evanuit ſæpiùs amicorum carnalium fidelitas, labilis, fluxa, inconſtans, ut illi: non item ea, quæ aliquando cum DEO inita eſt. Hanc enim nonniſi vitium diſſolvit: pœnitentia tamen reſtaurat, charitas fovet & ſervat. Quid optabiliùs? ſi, quod *Ariſtot. ſenſit. 8. Eth.* nullus, etiam habens omnia bona, eligeret vivere ſine amicis: quomodo tibi deinceps placeat vivere extrà hanc JESU amicitiam?

XX. JANUARII.

S. Sebaſtianus Mart.

MIlitem egit ſtrenuum ſub ſignis, átque imperio *Diocletiani*, cui mirè gratus fuit ob peritiam bellicam; magis DEO ob animi candorem, quem nec minimùm obfuſcârunt unquam craſſæ cæterùm vitæ militaris licentiæ, dicam, an petulantiæ? quòd, fidei in DEUM integerrimæ, trepidos, ac vacillantes in fide chriſtianâ firmaret, transfugas reduceret, ſenſit nutare priſtinum in ſe Cæſaris affectum, undéque DEO placuit, inde tyranno diſplicuit in tantùm, ut ad palum alligatus tamdia ſagittis peteretur, dum animâ è corpore ſolutâ DEUM metam contingeret, denominatus ab eo potens peſtiferorum advocatus. Sic honorabitur, quemcûnque ſæculorum rex ſuis in caſtris bene meritum honorare voluerit.

SEN-

SENTENTIA.

QUàm pulchrum eſt, quàm decorum, vulnus à charitate accipere! alius jacula carnei amoris accepit, alius terreno cupidine vulneratus eſt; tu nuda membra tua, & præbe te jaculo formoſo, ſiquidem DEUS ſagittarius eſt. *Origen. hom. 24. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUid magni demum fuerit, animam telo amoris divini ſauciam, ſuos hos ignes aliquando explicâſſe ſponſo divino, cùm idem præclarus animarum noſtrarum procus (ita eum appellat *Nyſſen. orat. 13 in Cant.*) tum ſuam nobis dilectionem probaverit, cùm adhuc peccatores eſſemus? ſagittam hanc *ſalutis Domini* quisquis infixam ſibi non ſenſerit, lethali ſtupore totus obriguit.

II. Quantilla portio, putas, eſt cor tuum? vix ad milvi refectionem ſufficit, *uti Hugo Victor. l. 3. de an.* æſtimat, & metam illud eſſe jubes ſagittariis in perniciem tuam paratiſſimis, mundo, carni, dæmoni! ô quoties illi centrum occupant, dum interim ſagittæ potentis, etſi acutæ, ſine fructu tranſeunt? an non mereris, ut olim te fulminet vox tonitrui in rota, & vaſtent carbones deſolatorii?

III. Totum ergò te divinis expone jaculis: feres ab hac cuſpide tantùm lucri, ut continuò ſentias, velut *Cleophas*, átque alter cum eô in itinere vulneratus, cor tuum ardens in te, ſacrô illô igne, quem Dominus miſit in orbem, voluit-

que

que accendi validè. *Eja* ergo *dulciſſime JESU! tranſfige ſaluberrimo vulnere amoris tui medullas animæ meæ, ut verè ardeat, langueat, & liqueſiat, & ſolo tuo deſiderio deficiat.* S. Bonav. Solil. c. 2.

XXI. JANUARII.

S. Agnes V. & M.

HAnc tredecim annos natam annulô ſibi ceu ſponſam ſubarrhavit, paranymphô Angelô, ſpecioſus formâ præ filiis hominum. Idémque angelus cyclade texit, ne à lenonibus nuda conſpiceretur. Ferrum animæ viam fecit, quâ tranſitis calle impollutô carnis ſpurcitiis, lucidas ſponſi ſedes adiret glorioſa, ſecutura æternum DEI agnum agnella, intérque paradiſi vireta poſt eum curſitatura. En quo nitore candicare debeat, quisquis olim intra æternæ felicitatis paſcua cum DEI agno, cúmque *Agnete* pabulari vult!

SENTENTIA.

OMaculæ veteres! ô maculæ fædæ & turpes! quid tamdiu hæretis? abite, diſcedite, & ne præſumatis ampliùs oculos dilecti mei offendere. *Hugo Victorin. in arrhâ animæ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DEI filius, rex gloriæ, hunc olim mundum ſubintravit, deſponſaturus ſibi uxorem, ſe dignam. Apoſtoli, velut paranymphi, miſſi ſunt, ſollicitè colligere animas ad veram DEI eccleſiam, tanquam ad gynæceum regium:

gium: ubi & tibi, mea anima! favore Numinis manſio fuit facta. An hucusque vel ſemel gratias retuliſti beneficio tam ſublimi?

II. Acceperunt hæ animæ primò lavacrum regenerationis, tum chriſma & oleum, ut ſic lotæ, & delibutæ, perpurgatis quibuscúnque maculis mundas ſe ſiſterent divino ſuo ſponſo. Acceſsêre Sacramenta, tanquam pigmenta pretioſiſſima, quibus myſtica illa reinduceretur pulchritudo, quam adeò deturpârant originalis piaculi ſordes. Quæ hactenus in te cura munditiæ fuit? quonam in pretio Sacramenta?

III. Denique ſubſecutus eſt cibus verè regius, carnes agni immaculati, quibus animæ interiùs ſaginatæ noxiam præteritorum jejuniorum maciem depellerent. Qui olim excuſabis tuam perfidiam, quâ ſtimulante ſepoſitis ſingulis his favoribus toties abiiſti poſt amatores alteros, quoties miſera ſponſum è cordis thalamo per peccatum expuliſti? *Væ animæ audaci, quæ ſperavit, ſi à te receſſiſſet, ſe aliquid meliùs habituram!* S. Auguſt. l. 6. Conf. c. 16.

XXII. JANUARII.

S. Vincentius Martyr.

CÆlum præluſiſſe videtur robori invictiſſimi hujus athletæ, quando eundem *Vincentium* dici voluit. Ferè ſine numero fuêre tormenta, quæ tyrannis ingenioſa excogitârat, ad ſternendum hunc pugilem; ſed fruſtrà ſæviit impiorum conatus. Vicit *Vincentius* verbera, equuleos, prunas ardentes, ungues ferreos, candentes laminas, fragmenta teſtacea, & validô ſuccenſam igne cra-

craticulam, levitæ *Laurentio* ſuppar, ſi non ſuperior. An talia unquam à te DEUS argumenta petiit probandæ tuæ fidei? timeo, ne delicatum ſub ſpinoſo capite membrum argueret.

SENTENTIA.

MArtyrum fiducia, fortitudo, & tolerantia ex ulceribus, & vulneribus Chriſti. *S. Bernard ſerm. 61. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PAginam verſa, ſi lubet, & fideliter à doctore mellifluo erudiêre, qui in tribulatione te habeas, & unde robur emendices. Ulcera, & vulnera Salvatoris unguentum ſtillant, quô invulnerabilis redditur, quisquis in arena dimicat Chriſti pugil. Sæpiùs te levi ictu proſtratum quereris? tibi culpam imputa, quod imparatus manum cum hoſte conſerere attentâris.

II. Et quid ſi illa, quæ *Vincentio*, patienda tibi obtingerent? en quàm ad ſolam memoriam infirma caro cohorreat! optimus planè DEUS eſt, quòd fragilitati tuæ conſulens minoribus impenſis cœlum venale tibi faciat. Tu verò ſordidus nimium ac avarus, quòd nec modicô illud comparare ſtudeas.

III. Miſerum neſcire te, tum primùm DEO te cordi, & curæ eſſe, quando adverſitatibus probè exercet. An non enim eos, quos amat, arguit, & caſtigat? planè velut amici amicorum dextras ſtringunt, ac premunt quoúsque doleant, in amicitiæ ſignum; ita & DEUS ſuâ premit, quos

Digitized by Google

amat, manu, in amoris argumentum. Nî desipis, audacter cum Seraphicâ Virgine *Thereſiâ* DEUM inclama: *Domine aut pati, aut mori.*

XXIII. JANUARII.

S. Joannes Eleemoſynarius.

POtuit ſanctiſſimus hìc patriarcha verè edicere cum Huſſæo Vate: *ab infantia mea crevit mecum miſeratio:* adeò totus fuit in ſublevandis pauperum indigentiis. Palatium illius Alexandriæ credi poterat hoſpitale non *urbis*, ſed *orbis*, tanta erat mendicabulorum, illud indies ambientium frequentia. Gloriatur hodiéque *eleemoſynarii* nomine, plusquam Cæſares olim *Auguſtorum titulô.* Néque vetat illum dici uſurarium DEI: *fœneratur* enim *Domino, qui miſeretur pauperis.* Prov. 19. à S. Petro in æterna cœlorum tabernacula viſus eſt introduci, egregius hic opum contemptor: dignus utíque commorari cum illo, in cujus domo ſunt *gloria, & divitiæ.*

SENTENTIA.

QUidquid tribuitur pauperi, ſi ſubtili conſideratione penſatur, non eſt donum, ſed mutuum, quia quod datur, ſine dubio, multiplicatô fructu recipitur. *S. Gregor. in Regiſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn extrà veri orbitam abiit Chryſoſtomus, quando *Homil. 35. ſup. Gen.* eleemoſynam ſemini ſimillimam dixit. Co-

lo-

lonum vides largâ manu jacientem ſemina: an hæc perire putas? minimè id quidem: ſed ubi in culmos, & ſegetes maturuerint, centuplum refuſura noſti. Sic eleemoſynam quisquis hactenus *diſperſit*, *deditque pauperibus*, abundantiſſimam gloriæ meſſem vel recepit, vel tutò ſibi ſpondeat.

II. Parvæ in DEUM fiduciæ eſt, qui, dum hic adeò ſeſe oppignoravit, de retributione dubitat. Et quid ſi DEUS ſubtrahat aliquando, unde aliis largiri negligis? nunquid enim & nos omnes mendici ſumus, magnum illum patremfamilias indies ſtipem flagitantes? demus ergo, ut detur.

III. Doles non eos tibi ſuppetere redditus, quos uberrimos habuit liberaliſſimus hic patriarcha. Verum quid opus? ſi habeas duo minuta æra, qualia gazophylacio olim impoſuit vidua paupercula, egenis eroga. Si & hæc deficiant, hauſtum aquæ frigidæ mendico porrige, certus non perditurum te mercedem tuam. *Si potes dare, da: ſi non potes, affabilem te fac.* S. Aug. in Pſ. 13.

XXIV. JANUARII.

S. Timotheus Epiſcopus & M.

MUltam, imò plurimam profectûs ſui partem *Paulo* in acceptis debet minimè degener hic ejusdem diſcipulus. Optimos ab apoſtoli ore mores imbibit: magis ab exemplo, quô tyroni præluxerat magiſter egregius. Valetudine quantumvis dubiâ, vitam egit, ut plurimùm, auſteram: adeò ut nec modicum biberet vinum, niſi juſſus. Sæpiùs *Corinthum*, *Macedoniam*, *Italiam* obertabat, ut in tam raro operariorum numero, ipſe

pro ſuâ virili, aliquam animarum meſſem faceret. Noviſſimè *Epheſi* chriſtianâ libertate dæmonum cultores redarguens, non jam ab ovibus, ſed lupis, paſtor bonus denſis fuſtium ictibus adeò exceptus eſt, ut brevi animam poneret, æternâ in cœlis gloriâ donandam. Tanti refert à teneris probè fuiſſe educatum.

SENTENTIA.

NOn tantùm curemus habere bonam conſcientiam, ſed quantùm poteſt noſtra infirmitas, quantùm vigilantia fragilitatis humanæ, curemus nihil etiam facere, quod veniat in malam ſuſpicionem infirmo fratri. *S. Auguſtinus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. AUdieris u ique ſemel, ſi non ſæpiùs, neminem ſibi ſoli natum, ſed unicuique mandâſſe DEUM de proximo ſuo. Curam ergò proximi habe, non quâ eidem de perituris tantùm proſpicias, ſed quâ dubium facili manu ac viâ (exemplô ſcilicet bonô) ad bonum adducas. Veriſſimum enim Philoſophi Romani effatum: *Longum iter eſt per præcepta: breve & efficax per exempla: plus ex moribus, quàm ex verbis trahimus.* Senec. Ep. 6.

II. Si alios docendi ſpartam nactus fueris, illam ſic orna, ut probè tamen memineris, priùs tibi faciendum quod doces, quàm docendum, quod alii faciant. Ut enim turpiſſimùm dicere, & non facere; ita ordo præpoſterus, & raræ plerumque efficaciæ, docere & facere.

III. Utut

Digitized by Google

III. Utut naturâ omnes ſimus æquales, indole tamen, & geniô differimus plurimùm: indéque ſollicitè curandum tibi, ut malis è familiarium ſyllabo proſcriptis, bonorum conſortium ambias. Ut enim (quod in proverbio dicitur) cicada cicadæ chara, ut graculus graculo aſſidet; ſic malus vel ſimilem ſibi colit, vel facit. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo pervertêris*, Pſ. 17. Peſtilens aura malorum eſt contubernium. Locum mutet, qui infici metuit.

XXV. JANUARII.

Converſio S. Pauli.

VErè fuit *mutatio dextræ excelſi*, quæ *Saulum* in *Paulum*, juratum eccleſiæ novellæ hoſtem, in ſolertiſſimum fidei propagatorem; vas contumeliæ in vas electionis; lupum rapacem, *è tribu Benjamin*, in agnum manſuetiſſimum transformavit. Multùm tamen, mihi crede! ad feliciſſimam hanc *Metamorphoſin* contulit paratiſſima *Sauli* voluntas ad primum Numinis monitum in *Paulum* immigrare ſeriò cupientis: contrà quàm hodie agat piger peccator, qui *vult, & non vult*, qui vocanti DEO idem *lentè & ſomnolentè* reponit, quod aliquamdiu tergiverſari ſolitus Auguſtinus: *modò, ecce modò, ſine paululùm.* l. 8. Conf. c. 5.

SENTENTIA.

EXſpectat DEUS delinquentes, benignè ſuſcipit revertentes. *S. Bern. ſerm. 9. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUoties, oro te! DEUS oſtium cordis tui pulſavit, reformaturus in te hominem interiorem, tu verò eôdem ſeu neglectô, ſeu, quod pejus, pervicaciter exclusô, ſordibus tuis indormiſcere porrô perrexiſti? quid jam mirum ſi tibi obtingat, quod olim ſponſæ ingemiſcenti de dilecti ſui fuga: *at ille declinaverat, atque tranſierat*, Cant. 5. merita id caſtigationis genus fuerat, quod morâ ſatis incivili pulſantem ſæpiùs non admiſiſſet.

II. Si adeò extra DEI gratiam nihil poſſimus, ut & ipſum juſtificationis initium ab eadem dependeat, quanta, per DEUM! dementia eſt, medio ad *converſionem* ſic neceſſario, ſic reniti! quantæ interim, ob ejusmodi neglectum, gratiæ ſubtrahuntur? miſeros nos, qui culpâ, atque incuriâ noſtrâ tot lapides offenſionis congerimus, ad quos neceſſe habeamus, in ſalutis noſtræ negotio graviſſimè ſæpiùs impingere.

III. Præſtolatur DEUS *converſionem* noſtram: *convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos*, Zach. 1. v. 3. An & hoc intrà debiti DEO obſequii orbitam, ſervum exſpectari à Domino? ubi tamen cum hac quoque duritia fruſtrà nos exſpectat, olim terribile illud in refractarios fulminabit: *perditio tua ex te.* En quos ipſi ponamus obices *converſioni* noſtræ!

XXVI. JANUARII.

S. Paula vidua Romana.

UT totam hanc ſuo DEUS deputaret ſervitio, nexus maritalis abrumpi debuit, qui *Paulam* quô-

quôquô modo deflectere in obliqua adhuc poterat. *Lege tamen viri ſoluta*, adeò conſtans atque tota erat in DEI obſequio, ut nec illorum inſultibus cederet, qui (*ariete bonis propoſitis prô, quàm exitiali*) pietatem illius contemptim traduxerant. Vultum, qui variô olim fucô infectus hominibus illam amabilem magis, quàm DEO reddiderat, ex lege talionis caſtigatura, lacrymis ſic ambuſſit, ut DEO placeret ſummè, unde mortalibus jamjam diſplicere cæperat. Par fuit in caſtigando corpore rigor, qui tenuit tamdiu, dum anima, carnis ergaſtulô ſoluta, ad beatæ perennitatis patriam avolaret. Verè profectûs in virtutibus parens unica, firma in bene cæptis conſtantia.

SENTENTIA.

INcaſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur; quia fruſtra velociter currit, qui priusquam ad metam venerit, deficit. *Gregor. l. 1. Moral.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. EGregiam hanc virginem, parvô admodùm annorum ſpatiô, ad eximiam ſanctitatem provexit ſimillima ſibi ſemper in exequendis piis propoſitis conſtantia. Potiſſimam profectui tuo remoram ponit, quod modò velis, & fervidè: modò voluiſſe te non memineris; & negligenter. Sicut *deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel:* ita reverà non ſegniter exequendum, quod ſalubriter aliquando ſtatutum fuerit.

Digitized by Google

II. Craſſiùs ab honeſto aberrant illi, qui *reſpectu humanô* à bonis abſterrentur. Unde, quæſo, hæc mentis cœcitas? ſi boni ſint, quorum metu bonum te fieri piget, error judicii eſt bona negligere. Approbaturi enim idipſum in te forent, quod in ſe cuperent. Si mali: eorum cenſura te nec malum, ſi bonus ſis, efficiet: nec meliorem, ſi malus.

III. Satis latam huic inconſtantiæ ſemitam aliquando parat, quod tuo magis innitaris robori, quod tamen fragile, quàm gratiæ DEI, quæ firma. Hæc tribuit non tantùm velle (quod unum non ſufficit) ſed etiam perficere pro bona noſtra voluntate. Age ergò, & quam ſemel pede maſculô viam terere cœpiſti, virili animô percurre. *Nihil non poteris per gratiam, modò animus non deſit.*

XXVII. JANUARII.

S. Joannes Chryſoſtomus.

QUod meriſſimum *aurum* loqueretur *aureus* hic orator, *aureum* itidem nomen obtinuit. Non ſemel inter dicendum, concionem ſic alloqui auditus: *ego omnes Conſtantinopolitanorum civium noxas in animo fero: omnes ac ſingulos cujuscúnque ætatis oculis meis chariores habeo: ut idcirco animus meus ſit ipſis cœlis capacior. Quòd ſi aliquid gaudii intrà me perſentiſco, inde ortum habet, quòd certus ſim, mentem eſſe veſtri amore, ſtudiôque veſtræ ſalutis plenam.* Sic agit, ſic loquitur, quisquis eſt *paſtor bonus*, qualis fuit Chryſoſtomus, qui frementè contra ſe *lupô* infernali à *lupa* tamdiu circumactus eſt, dum à *ſummo paſtore*

in

in cœlum evocaretur, debita ſollicitudini ſuæ præmia capturus. An par tibi hactenus *animarum* æſtimatio?

SENTENTIA.

NUlla eſt excuſatio paſtoris, ſi lupus eô ſciente oves comedat. *S. Greg. in regiſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUanti inter metalla pretii aurum, tanti ſedulus *animarum paſtor* vulgum inter reliquum: utinam ne tantæ raritatis! hoc potiſſimùm ævo, quô mundus totus in maligno poſitus eſt, dum (quod planè horrendum) *ſicut populus, ſic ſacerdos.* Iſa. 24. Imò *hic* ſæpiùs *illô* deterior. Quàm præſtaret olim excordem hujusmodi *mercenarium pecudi* paſcendæ operam locâſſe, quàm *animabus!*

II. Animæ theſauro inæſtimabili, Chriſti ſervatoris ſanguine redemptæ, tibi, *paſtor amice!* veluti pretioſum depoſitum creditæ fuêre, ubi illarum curam ſuſcepiſti. Si improvidè iſtud factum à te fuerit, hocque *depoſitum* culpâ tuâ deteriorari, imò perdi contigerit, quônam ſatisfacies? utinam iſtiusmodi cogitatio ſæpiùs tuum ſubeat animum, inde potiſſimùm, quòd hactenus fortè ovium tuarum *lanam* & *lac* chariora, quàm *ſalutem* habueris.

III. Non modò privatorum, ſed ipſius etiam imperatricis mores peſſimos, ſtrictura ſalubri ſæpiùs puniit *Chryſoſtomus*, nihil mulieris iram, nihil aliorum offenſam reveritus. Sæpè invalecunt vitia paſtorum culpâ, quod hi (*ſpeculatores*

planè

planè *cæci*, *canes muti non valentes latrare*) dum iis obicem non ponunt, ea quadantenus approbare non ineptè putentur. *Formidinem hanc in pastoribus subinde parit, vita propria, parum à vulgi vitiis abiudens. Nec imperatoris est, libertatem dicendi negare: nec sacerdotis, quod sentiat, non dicere.* S. Ambrosius.

XXVIII. JANUARII.

S. Jacobus Pœnitens.

VIvô hic sanctus exemplô docuit, quàm facilè in præceps eat, quem DEI *gratia* vel momentò deserit: quàm item veterano militi æquè ac tyroni mille tendantur ab *orco invido* insidiæ. Quadraginta jam annis eremi incola, iis inclaruerat virtutibus, ut plura etiam operaretur miracula. Mirum illi in dæmones imperium, quos è corporibus obsessis facilè adeò ejiciebat, ut unâ manuum impositione deterrimus hostis hospitiô cedere cogeretur. Qui tamen in ipsummet suum mastigem è puellâ immigravit, ubi *solum* cum *sola* versantem incautiùs, primùm ad fœdæ libidinis, tum homicidii vitium induxit: præcipitaturus in ipsum quoque desperationis barathrum, nî DEI bonitas *pœnitentem* ferali sepulchrô clausum decenniô abdidisset. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* 1. Cor. 10.

SENTENTIA.

CItò potest perdi per negligentiam quod multô labore vix tandem acquisitum est per gratiam. *Thom. de Kemp. l. 1. de Imit. c. 22.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. EN! quàm caſu miſerabili conciderit *cedrus* hæc nobiliſſima, in qua fruſtra ſuſpicari *cariem* quispiam voluiſſet. Quid demum cannæ paluſtri reliquum, ſi columnas æreas humi ſternat tentatio unica? verè omnino neceſſarium, nos, abjectâ procul omni præfidentiâ, *cum timore, & tremore operari ſalutem noſtram.*

II. Si cultiore veſtimentô indutus fueris, quàm ſollicitè loca caves, quæ fuliginem illi affricare, vel ſordes quôquô modo inſpergere poſſunt. At non eadem tibi de ornatu animæ cura. Lutum tractas ſæpius, per declivia incedis & lubrica: miraris tamen te labi aliquando, átque unô oculi nictu perdere eas, quas tantô jam tempore congeſſeras meritorum opes. An hoc eſt regulari ad dictamen prudentiæ chriſtianæ?

III. Etſi peccandi occaſio ubique ſit fugienda, ea tamen cum primis celeri curſu declinanda eſt, quæ *pudicitiam* in diſcrimen vocat. Optimè ad verum *Auguſtinus* inquit, duriora hæc eſſe certamina, quod pugnam, etſi quotidianam, raræ adeò excipiant victoriæ. Quid cauſæ ſubeſt? id certé, quod confabulari prolixiùs cum delicato hoc hoſte ſæpiùs malimus, quàm fugâ præpete, quæ una victoriam in hoc conflictu parit, rebus noſtris conſulere. *Ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui ut ceperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad Petram;* Hieronymus ad Euſtoch. Virg.

XXIX.

XXIX. JANUARII.

S. Sulpitius Severus.

PRodiit è disciplinâ *D. Martini tyro* hic tam probè excultus, ut *Bituricensium* Archiepiscopus fieri meritus sit. Carò illi stetit, imò in DEI oculis ferè contemptibilem reddidit, familiaritas nimia, quâ aliquamdiu *Pelagianis* convixerat, quorum etiam erroribus misere depravatus est. Sed resipuit in tempore, ac, quò linguam, à qua potissimùm in grande adeò discrimen conjectus fuerat, debitâ illi pœnâ non dissimulanter plecteret, perpetuum sibi silentium voluit indictum. En! quàm facilè sit malorum consortiô utentem, fieri malum.

SENTENTIA.

QUi malorum contagiô non corrumpitur, is insigniter bonus sit oportet. *Eras. in Epist.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VErè Plutarch. de liber. educ. *Si claudo vicinus ambulaveris, & ipse claudus ambulare disces.* Sanctum hunc *Archiepiscopum* ferè subvertit incauta malorum societas. Quod illi circa fidem, idem tibi circa mores accidet. Cereus naturâ tuâ in vitium flecti, ubi malum in te exemplum prævaluerit, meliora in aliis suspicies quidem, probabísque: deteriora tamen sequêris.

II. *An non filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis*, dum, si quæ pestilentis auræ suspicio animum

mum exterret, continuò res ſuas componunt, ſéque contagionis periculo ſubducunt: iſtis è converſo in media contrahendæ luis diſcrimina ultro ſeſe conjicientibus? morbida facta pecus, caulâ ejicitur, ne totum corrumpat ovile: ſocietas mala, ne pereat anima, non modò non vitatur, ſed de induſtria expetitur, temerè aditur, ægrè deſeritur.

III. Piceus eſt malorum convictus, eos etiam tenet, & inquinat, qui ſuôpte motu manſiſſent integri, ſi ſoli. *Auguſtino* fidem habe: furtum is adoleſcens fecerat pomorum, planè non facturus, niſi eò induxiſſet nequiſſimorum conſodalium invitatio. Ut verò in leviore hoc delicto; ita in aliis aliorum ductu facilè ad obliqua deflectimns, cúm ſcilicet dicitur: *Eamus, faciamus, & pudet non eſſe impudentem.* S. Auguſt. l. 2. Conf. 9.

XXX. JANUARII.

S. Aldegundis Antiſtita.

SAncta hæc *Malbodienſis Antiſtita* corculum fuit *Virginis Deiparæ*, adeò hæc illi favebat, non modò dum adhuc mortalis *peregrinabatur à Domino* ſed & ubi migrandum hinc fuit. Quinque enim ante obitum diebus iis eandem blanditiis demulſit, ut jamjam in paradiſo verſari ſibi videretur *Aldegundis*. Horâ fatali jamdum in ſtante adfuit iterum lectiſſima VERBI parens, grandi divorum agmine cincta, devotámque ſibi hanc animam applaudente totô cœleſtium geniorum chorô ad caſtiſſimas agni nuptias abduxit. Verè dimi-

dium

dium beatitudinis mortalis adhuc homo obtinet, quisquis MARIÆ cordi est.

SENTENTIA.

QUicunque sibi MARIÆ optat præmium, imitetur exemplum. *S. Ambr. de Virg.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INnocentissimus amor est: quo suos DEIpara cultores deperit, hi illam. Amicitia integerrima, quâ utrinque conglutinantur animæ *Virginis benedictæ*, & fervidorum ejusdem clientum. Nulla hic vobis pars, quotquot à semita *Marianarum virtutum* exerratis. Hoc præ cæteris animos fovet, qui non pauca sanctitatis illius vestigia, velut sibi impressa, fideliter retinent.

II. Nec tamen ideo peccator diffidat. Renovetur spiritu mentis suæ, novúmque induat hominem: experietur in brevi præsentissimam *Virginis* opem. Utque spiritu mentis suæ renovetur, potissimùm *Virginis* suffragio id consequi satagat. *Amicitia*, ut Hieron. inquit, *parem aut facit, aut accipit.* Non dedignatur MARIÆ eminentia peccatorem etiam amicitiâ suâ dignum facere.

III. Quàm lætaberis in obitu tuo ex saluberrima amicæ hujus præsentia, ubi istius per vitam integerrimam spem tibi feceris. Diffluant alii, ut solent, téque relinquant solum: non aberit *pia Virgo.* Fidelis est, non modò usque ad mortem, sed in ipso ejusdem puncto: imò post illud juratos sibi servos ad æterna inducit gaudia, ut

ubi

ubi illa est, illic sint & *ministri* ejus. *Accessum ad DEUM habemus per MARIAM.* S. Bernard. de Advent. Dom. ser. 2.

XXXI. JANUARII.

S. Marcella Vidua Romana.

FUit matrona hæc nobilissima quàm verbis admodùm parca, tam in loquendo mirè circumspecta. Nulli virorum, ne sacerdotibus quidem ac Religiosis, nisi præsentibus coram arbitris loqui consueverat. Ac ne cum verbis animus (ut plerúmque solet) in vana diffluëret, & frivola, vix domò unquam pedem efferebat, solitudinis amantissima, nisi divinum officium aditura. Hâc exactâ sui custodiâ tantas â DEO gratias promeruit, quantæ vix ulli alteri matronæ obtigerunt. Sic scilicet DEUS devotas sibi animas, etiam in mediis urbibus ad solitudinem ducere, easdémque in abscondito alloqui consuevit.

SENTENTIA.

SI te subtraxeris à superfluis locutionibus & otiosis circuitionibus, nec non à novitatibus & rumoribus audiendis, invenies tempus sufficiens & aptum pro bonis meditationibus intendendis. *Thom. à Kemp.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. JUre dixeris *sanctam* hanc *viduam* silentii amantissimam prodigium sui temporis extitisse, cùm, quòd argutè nonnemo dixerat,

xerat; prodigium videri poſſit *fœminam* eſſe & *tacere.* Interea hôc etiam locô fœminæ nos præcedunt, palmam utique præreprturæ iis, quibus adeò familiare eſt inutilibus diſtendi nugis, paſci colloquiis.

II. Metuendùm valde, ne ad diſtrictum olim tribunal hanc linguæ intemperantiam ſuâ verborum parſimoniâ caſtigent gentiles pythagorici. Turpe nobis eſt id amore Numinis, & præmii ſempiterni negligere, quod unô honeſtatis amore tam ſollicitè obſervârant illi. Scilicet infrà illos ſapimus, & vitiô naturæ noſtræ depravatæ in luce mediâ cœcutimus.

III. Paria in nobis damna progenerant circumcurſationes ineptæ. Audimus multa, loquimur non pauca, quæ aliud in nobis atque aliis non agunt, quàm ut pia animi cogitata laboriosè prius congeſta validi inſtar venti diffient, inque auras abripiant. Rarò redditus atque exitus ſimiles ſibi ſunt: ſed ubi hic vel innocens fuerit vel otioſus, ille reverà vitioſior erit. Non enim à vero abluſit, qui dixit: *quoties inter homines fui, minor homo redii.* Thom. Kemp. l. 1. de Imit. c. 20.

FEBRUARIUS.

I. FEBRUARII.

S. Ignatius, Epiſcopus Antiochenus & M.

TAntus fuit ſancti hujus Epiſcopi in JESUM affectus, ut quò citiùs eô perfrueretur, fidenter acerba omnia; imò ipſa diaboli tormenta

menta in se provocaret. Unde verò hic JESU amor? unde fervidum illud desiderium cupientis quaquâ demum viâ *dissolvi, & esse cum Christo?* inde profectò, quod augustissimum JESU nomen, cordi ejusdem legibili sat charactere inscriptum fuerit, ut toti postmodum orbi *mors sancta* detexit. Quid mirum, dixisse eundem sæpiùs, *aliud se loqui non posse, quàm JESUM?* enatum scilicet est *argumentum* hoc *divinissimum ex* ipsâ *cordis abundantia.*

SENTENTIA.

DIlectionis aculeus, JESUS est hic crucifixus. *S. Bernard. de dilig. DEUM.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FElicissimum se credat, quisquis *cordi* suo JESUM sic recondidit, ut hic prospera inter & adversa frequenter inde saliat in os. Talem *loquela sua manifestum faciet*, cujas sit: testabitur nimirum fore illum aliquando concivem eorum, quorum beatitudo, ac felicitas unica, delectari post DEUM in sacratissima JESU *humanitate, ad dexteram Patris æterni collocata.*

II. Fuit hic ignis, quô erga JESUM ardebat *Ignatius*, tantæ virtutis, ac efficaciæ, ut omnem ferarum rabiem extimescere *Ignatium* prohiberet. Nunquid animi levitas, quâ adversi nihil tolerare vis, satis te in amore JESU frigidum arguit? suspira ergo, atque ex intimo cordis affectu DEUM roga: *ô ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris: charitas DEUS meus accende me!*

III. Mirum, fuiſſe *D. Bernardo* ſuaviſſimum hoc JESU nomen *mel in ore, melos in aure, in corde jubilum:* ſic præterea affeciſſe *D. Auguſtinum* adhuc puerulum, ut fidenter is fateatur, *l. 3. Conf. c. 4. Hoc nomen ſecundùm miſericordiam tuam Domine! hoc nomen Salvatoris mei, filii tui, in ipſo adhuc lacte matris tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat: & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis literatum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.* Tibi verò usque adeò videri inſipidum! crede, niſi palatô cordis ſollicitè perpurgatô, nunquam guſtabis, videbísque, *quàm ſuavis ſit Dominus.*

II. FEBRUARII.

Purificatio Beatiſſ. Virginis MARIÆ.

POſtquam impleti ſunt dies purgationis MARIÆ, ſic ſacer textus loquitur, *Luc. 2. ſecundùm legem Moyſi: tulerunt JESUM in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino.* Dubium nulli fuerit, ſanctiſſimam Virginem ſuo cum filio legi Moſaicæ nequaquam fuiſſe obſtrictam: fecit tamen *humilitas,* ut *debitum* ibi Virgo crederet, ubi *debitum* non erat: imò ſecundùm Doct. Angel. ſer. 2. de Purif. *ſuperabundans puritatis amor.* Nemo noſtrum mundus à ſorde, nec ſi infans unius diei fuerit. Unde ergò tantus in nobis efflagitandæ deſuper *purificationis* neglectus?

SENTENTIA.

TEmpus purgationis advenit, quando Mater ſummæ puritatis, de cujus purga-

gatione dies festus est, nobis pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis, quô debeamus purgari. *Guerricus Abbas.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UTi, quod lucidissimum est, tenebrosum non est: ita nec immundum, quod (veluti DEIpara) purissimum est. Conceptus ejusdem non vulgaris, non ordinarius fuit, uti mulierum: sed miraculosus, sed planè virgineus. *Ferant ergo* (inquit Origenes) *legis onera mulieres: Virgines verò ab his habeantur immunes.* Tu dulciter protestare: *tota pulchra es,* Virgo puerpera! *& macula non est in te!*

II. Arguit mira hæc DEI, & Virginis humilitas, quod Guerricus Abbas advertit, *serm. 4. de Purif. superbiam filiorum Evæ, quæ promptior est ad excusandum, quàm ad expurgandum commissa.* Quid mirum nos, dum spiritu elationis acti, adeò refugimus nostram *purificationem*, non modò *in sordibus esse, sed sordescere adhuc?* purgare ergo in vita, ne mortuus eò devenias, ubi nulla, vel nimiùm pœnalis à maculis expurgatio.

III. Obtulit virginea parens DEO *Filium suum primogenitum*, ut Numen æternum velle noverat, quod rerum ferè omnium primitias: primogenita item tam in hominibus, quàm jumentis sibi vendicabat. Quin & tu Virginem imitaris, tuáque DEO offers primogenita? ut porrò noveris quænam hæc sint, dubium enodat doctissimus Salmeron *Tom. 3. tr. 41. Primogeni-*

tum cordis noſtri, pura, ac ſincera, atque incorrupta eſt animi noſtri intentio.

III. FEBRUARII.

S. Blaſius, Epiſc. & M.

OMnem movit lapidem vaferrimus dæmon, ut ſanctum hunc præſulem à vero Numinis cultu ad idololatriam abduceret. Egit primùm blanditiis, tum minis: noviſſimè virgis, equuleô, pectinibus ferreis: ſed fruſtrà. Ne manus iniquitati & fœdæ in DEUM injuſtitiæ *Blaſius* daret, caput ferro ſubdidit, jam tum martyrii laureâ dignum. Quisquis *Chriſti* pugil luctari aliquando cæpiſti, arenam ne deſere, dum Victor coronêris.

SENTENTIA.

FOrtitudo via regia eſt, à quâ declinat ad dexteram, qui temerarius eſt, & pertinax; ad ſiniſtram, qui formidoloſus eſt, & pavidus. *S. Aug. in Orig. ſuper Iſa.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. AUdis *S. Blaſium* latuiſſe initiò, datâque operâ declinaſſe *Diocletiani* ſævitiem: ne ſuſpicêre dejectionem animi, aut timiditatem inconſultam. Prudentia hæc fuit. Dum frequentiùs temet in pericula conjicis, maſculum interea animum tibi pollicens: quid mirum, hoſtium ſubtilitate ſæpiùs te circumveniri, & ubi victoriam ſomniabas, victum prolabi?

Digitized by Google

II. *DEI* velut *Agonothetæ* ſupremi eſt, pugnæ modum, tempus, & locum tibi definire. Ubi ergo is in arenam te ablegaverit, cum præſule *Sebaſtêno* hoſtibus quibuscúnque fortiter te oppone: certus, nec hoc *ſiccum Martyrium* ſuâ cariturum laurô. *Mori à perſequente, Martyrium in aperto opere: ferre verò contumelias, & odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.* S. Gregor. in Homil.

III. Invocatur ſanctus hic antiſtes, adverſus faucium damna, quòd puerum olim è præſenti mortis diſcrimine liberârit, cui ſpina piſcis transversùm fauces occupârat. *Si exaltationes DEI* tam raræ ſint *in gutture tuo*, contrà quàm ſervi *DEI* in more poſitum habeant, nonne hæc *Angina* eſt, corporali quâvis periculoſior? intercluſura indubiè ſpiritum devotionis, niſi maturè, opitulante etiam *S. Blaſiô*, malo remedium apponas.

IV. FEBRUARII.

S. Theophilus Eccleſiæ Adanenſis Oeconomus.

UT *Oeconomiæ* officio reſtitueretur, qui paulò anteà Epiſcopatum à Metropolitano ſibi delatum excelsô prorſus animô recusârat, dæmonem in conſilium vocavit, *prô! quàm ſine conſiliô!* opis præſtitæ mercedem ſeipſum dedit, ſuôque pactum hoc ſanguine roboravit, ejuratô perfidè DEO, Virgineáque parente. Quid ſceleſtiùs agere poterat? pœnitenti tamen, & quadraginta dierum ſpatiô *MARIAM* inclamanti, hæc, *verè miſericordiæ Mater*, non modò *ſyngraphum*, dæ-

moni ereptam, reſtituit: ſed pro gratiarum *auctario* triduò poſt ejus etiam animam cœlo intulit. Huc Virginis Matris affectus progreditur, ut perfida etiam ſibi filióque ſuo capita in gratiam recipiat. *Quid amicis faciet?*

SENTENTIA.

Diabolus prius tentandum virtutibus ſpoliat, quàm qui tentatur, intelligat. *S. Greg. l. 33. Moral.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. IN ultimam ferè perniciem *Theophilum* conjecit *Injuriola* graviter nimis apprehenſa. Sic ſcilicet nobis blandimur, ut nos ipſos omni contumeliâ dignos fictè, átque in ſpeciem dicamus: minimô verò læſi verbulô, ſuperos inferósque in ultionem imploremus. Non hîc eſt *humilitatis* actus, ſed fædiſſimum *hypocriſis* vitium, & ſuperbiæ fructus.

II. Major utíque DEO irrogari injuria nequit, quam eô deſertô inire *fœdus cum morte, & cum inferno facere pactum.* Etſi tu intereà verbis conceptis *DEUM* nunquam ejuraveris: toties tamen eidem abrenuntiaſti, quoties, peccando mortaliter, dæmonis jugo, quem in baptiſmo execratus fueraś, liberè colla ſubdidiſti. Quantò jam *Theophilo* meliorem te credis?

III. MARIÆ utíque in acceptis *Theophilus* retulerit, quod è damnationis barathro, cui utrumque jam pedem intulerat, denuò emerſerit. Euge anime mi! maxima te exſpectant dona, gratiæ

ſine

ſine numero, ſi fideliter DEO, conſtanter MARIÆ famuleris. Quinimò ſi ceſpitare, ſi labi te aliquando contingat, ne diffide: manum porriget Virgo ſeriò inclamata: nam (quod fidenter illi eccleſia dicit) *peccatores non abhorres, ſine quibus nunquam fores tantô digna filiô.*

V. FEBRUARII.

S. Agatha. V. & M.

NOn ſcrupulosè adeò illuſtriſſimæ ſuæ proſapiæ dignitatem attendit lectiſſima hæc Chriſti ſponſa, ut inde ei vileret *humilis Chriſtianorum ſervitus:* quinimò hanc ipſam longè antehabuit *regum opibus ac ſuperbiæ*, optimè gnara, *ſervire DEO*, perinde eſſe *atque regnare.* A quo jurato *DEI viventis* ſervitio ad *falſorum Numinum* cultum non colaphi, non laminæ candentes, non teſtæ præacutæ, non equuleus, non vivi carbones, non denique mamillarum (quibus *Virgini* aliàs opus non fuerat) crudelis abſciſſio, vel latum abducere unguem potuerunt. Tumulandæ is honor obtigit, qui nulli alteri. Angeli centeni venuſtiſſimorum juvenum ſpeciem induti, marmor ſepulchro advolverunt, hâc inſcriptum *Epigraphe: mentem ſanctam ſpontaneam, honorem DEO & Patriæ liberationem.* Hoc culmen honoris aſſequitur conſtans DEI ſervitus.

SENTENTIA.

SOla apud DEUM libertas eſt, non ſervire peccatis: ſola apud DEUM nobi-

litas, clarum esse virtutibus. *S. Hieron. in Epistol. ad Celant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FElix profectò *Christianorum* conditio, quibus, quantumcúnque obscurô ac humili locô natis, facillimum per DEI gratiam accensèri *intimæ admissionis amicis:* eòque honoris conscendere, quo omnis sæculi fastus nunquam enitetur. An paratus fores tuam hanc dignitatem, uti *Virgo Agatha* fecit, propriô tueri sanguine? propugnare Martyriô?

II. Quàm turpe est ingenia nobiliora studiis dehonestari minoribus: tam deforme Christianum (magis *Religiosum*) sordidari vitiis. Indignamur non rarò liberis, adeò nihil de parentum virtute referentibus: nec indignamur nobis, tam nihil *Christum* imitantibus, à quo tamen (illustri planè titulô) *Christiani* dicimur.

III. *Agnosce ô Christiane dignitatem tuam* (hortatur S. Leo ser. 1. de Nativ. Dom.) *& divinæ consors factus naturæ* (en *nobilitatis* tuæ apicem) *noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* Si mundus nugis suis te irretire; si dæmon tentationibus sternere; si carnis incendia animæ tuæ vestem amburere satagant, *Agathæ* subsidium implora: ut *terræ;* sic *animi motus* compescet: ut *materialem;* sic *diabolicum* hunc *ignem* suâ ad DEUM prece sopiet. Tu interim tentatoribus tuis audacter dic: *major sum, & ad majora genitus, quàm ut vitiis serviam.*

VI. FE-

VI. FEBRUARII.

S. Dorothea V. & M.

VIrgini *Virgo* rurſus ſubnectitur, ordine quàm eleganti! par illi cum priore in ſervitio *Chriſti* conſtantia, par tormentorum contemptus. Gladiô perimendæ, quòd multa prius, nuptias carnales exoſa, de ſponſi ſui, déque *paradiſi* præſtantia dixiſſet, per jocum acclamavit *Theophilus* advocatus: *eja tu Chriſti ſponſa, mitte mihi de paradiſo ſponſi tui mala, roſásque.* Condixit Virgo: indubia, *apud DEUM non eſſe impoſſibile omne verbum:* inque media hyeme *fructus, floresque Theophilo* ſubmiſit, qui ocultiore quâdam vi, hunc adeò in *ſponſi odorem currere* fecerunt, ut quò illum aſſequeretur, ſuum etiam ſanguinem, & vitam *glorioſus pugil* profunderet. Num verum quod D. Baſil. de Virg. dixit: *Paradiſus patria noſtra eſt?*

SENTENTIA.

SI quotidiè oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam parvô tempore tolerare, ut Chriſtum videre digni eſſemus in gloria venientem, & ſanctorum ejus numero ſociari: nonne erat dignum pati omne quod triſte eſt? *Venerab. Beda ſerm. 18. de SS.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ÆQua, vel iniqua rerum æſtimatio, amorem illis conciliat, vel odium, aut certè neglectum. Nunquam tantô fervore

ad

Digitized by Google

ad ſponſi ſui *paradiſum* ſuſpiratura fuiſſet *Dorothea*, niſi ejusdem pulchritudinem mentis oculis penitiùs inſpexiſſet. Ut quid, anime mi! *terræ* hæc *deſerta*, *invia*, & *inaquoſa*, quæ *ſub maledicto* eſt, magis tibi arridet, quam illæ *Paradiſi* delitiæ?

II. Quodſi is gaudiorum locus adeò incognitus ſit, indéque nulla ejusdem cupido hactenus in te fuerit exorta, audi quàm eum adumbret S. Petrus Damiani in aureo ſuo Rythmo: *Hyems horrens, æſtas torrens illic nunquam ſæviunt: flos perpetuus roſarum ver agit perpetuum. Gaudent lilia, rubeſcit crocus, ſudat balſamum. Virent prata, vernant ſata, rivi mellis influunt. Pigmentorum ſpirat odor, liquor & aromatum: pendent poma floridorum non lapſura nemorum.*

III. Jure DEO ſancti dicant ſinguli: *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* Cùm tamen & illi eò non aliâ viâ fuerint inducti, quàm *Dorotheæ* pedibus tritâ, *multarum* ſcilicet *tribulationum:* non te porrò pigeat iisdem inſiſtere veſtigiis. *Tu non poteris quod iſti & iſtæ*, quos *innumerabiles* numerat martyrum illuſtre collegium? *delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum.* S. Greg. Homil. 37. in Evang.

VII. FEBRUARII.

S. Theodorus M.

NUllam *laribus aureis argenteisque* injuriam irrogavit: maximam verò *DEO optimo* voluptatem *Theodorus* exhibuit, quando eos, quos adorare debuerat, in fruſta comminutos paupe-

rum

rum prædam fecit. Hanc pietatem *Licinius* imperator eô remuneratus eſt præmiô, quô mundus ſolet. Sanctum hunc pugilem, quò acerbior cruciatus foret, *puerorum* manu cadere voluit, eorundem ſagittis pro ſcopo expoſitum. Sed nihil illi potuêre in *virum*, ab *Angelo* propugnatum. *Gladius* ergo animam corpore ſolvit, cœlóque transmiſit. Arenam ſubintranti cœlum acclamâſſe auditum eſt: *macte Theodore: ego tibi adero.* Quis præſidiis hiſce firmatus de victoriâ deſperet?

SENTENTIA.

PEnſa fili horum fructum laborum, & celerem finem, átque præmium nimis magnum: & non habebis inde gravamen, ſed fortiſſimum patientiæ tuæ ſolamen. *Thom. Kemp. de Imit. l. 3. c. 44.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUod *Theodoro*, idem Chriſtus tibi ſpondet: *macte Chriſtiane: ego tibi adero.* Fruſtra ergo formidas hoſtium inſultus, quibus continuò impeteris. *Sagittæ parvulorum ſunt*, ſine viribus (ut explicat Card. Bellarm.) ſine nervuo, nil penitùs effecturæ, ubi *ſcutô circumdabit te veritas ejus.* Certa proin' viriliter, dum arenâ excedere jubeat *diribitor*, qui de cœlo te ſpectat.

II. Qui cum infirmiore congreditur vix non certam ſibi ſpondet victoriam. *Omnia* tu, potes *in eo qui te confortat: nihil* contrà te *mundus*, *caro*, ipſéque *dæmon.* Nequit enim hic, quantum-

tumcunque sæviat, voluntatem tuam, etsi *naturâ suâ ad malum proclivem*, cogere. Quid hoc hoste infirmius? nemo igitur perit, nisi qui perire mavult, quàm vincere.

III. Acrior instabit pugna, ubi *vicina mors* bonam jam virium partem attriverit. Tum enim, si quando aliàs, fortissimè te oppugnabit hostis, *sciens quod modicum tempus habet*. Sed nec ibi quidquam proficiet, si per quotidianos passionum tuarum triumphos, per serium peccati odium pugnæ illi ultimæ præluseris. *Sic ergò curre, non quasi in incertum: sic pugna, non quasi aërem verberans. Hoc age, quod agis*, nec ulla luctæ difficultas te absterreat. *Non est glorioſa victoria, nisi ubi fuerint laborioſa certamina.* S. Ambr. 2. Offic.

VIII. FEBRUARII.

S. Marina. V.

HÆc ut *illusori mundo* in vicem *illuderet*, sexu dissimulatô, *virilem* quàm *vestem*, tam *animum* induta Religiosum adiit asceterium, próque *Marina*, *Marinus* audiit. Eum parvô temporis intervallô in virtutibus progressum fecit, ut ipsis quóque dæmonibus formidabilis, non semel è corporibus hominum eosdem expelleret. Accusata subinde (*diaboli invidiâ*) stupri, puellæ illati, *tacuit:* ipsô etiam monasterio exturbata, præ illius foribus *culpæ alienæ* tam rigidam à se pœnam *triennió* exegit, ut cœlum sortem illius miseratum, primò *Religioſæ Communitati*, & paulò post *beatæ felicitati* redderet. Patuit tum in cadavere ad ablutionem denudato *Virginem viros*

inter

inter vixiſſe caſtiſſimam, rarô planè mortalibus exemplô: & *Marinam* animô *maſculô* irrogatam ſibi calumniam non excusâſſe *muliebriter*, ſed tuliſſe *fortiter:* certam, *innocentiam* quantumcúnque *preſſam*, *opprimi* nunquam.

SENTENTIA.

SI cuncta contrà te dicerentur, quæ fingi malitioſiſſimè poſſent, quid tibi nocerent, ſi omninò tranſire permitteres, nec plus quam feſtucam perpenderes? *Thom. de Kemp. l. de Imit. 3. c. 51.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NIhil usque adeò inſipidum', quàm nos, ubi nobismetipſis ſupra modum vileſcimus, aliorum tamen laudes, & magnam noſtri æſtimationem tam ambitiosè percupere, ut minimô etiam verbulô, ceu lethali jaculô, fauciemur graviſſimè: ac ne quidquam exiſtîmationis depereat, *excuſationes* identidem quæramus *in peccatis?* an ſic agendo *DEO cauſam* (quod deberemus) relinquimus *integram*, velut *illi*, qui noverit & *injuriantem*, & *juſtinentem?*

II. Ubi palliando quoscúnque defectus, & manifeſta ſubinde ſcelera impudenter excuſando, *meliores* videri cupimus, *deteriores* jure aliis credimur: nec jam ſimpliciter *defectuoſi*, ſed *mali* etiam, quia *ſuperbi*. *Non conturbabit juſtum, quidquid ei acciderit.* Ergo *juſtus* non erit, quotusquisque *juſtus videri* maluerit, quàm *eſſe*, vitando magis ſcelera, quàm excuſando.

III.

III. Quando *fama* tua periclitatur, aliqua te aliquando reſpondere nemo prohibuerit, ne ex taciturnitate tua infirmis ſcandalum generetur. Secus tamen, tacere plus expedit, quàm ut pro te loquâre. Si *calumniam* meritus es, patienter ſuſtine: ſin; aliàs id pœnæ genus te meritum crede. *Quod ſi ad præſens vidêris ſuccumbere, & confuſionem pati quam non meruiſti, ne indigneris ex hoc, néque per impatientiam minuas coronam tuam.* 1 hom. de Kemp. l. 3. de Imit. c. 41.

IX. FEBRUARII.

B. Aldericus Confeſſor, & Converſus Canonici Ordinis Præmonſtr.

SI ſtupuit aliquando orbis *Alexium*, & *Joannem Calybitam*, nobiliſſimô prognatos ſanguine *Romanos*, potuiſſe *agere*, & *pati fortia*, quando utérque paternis in ædibus *mendicorum habitu* delituit *incognitus*: qui non mirabitur *Aldericum Franciæ Principem* in Canonico Præmonſtratenſium Ordine habitum converſorum indutum? néque hoc tantùm, ſed *ſubulcum* agentem? ſi verum, *contraria juxta ſe poſita magis eluceſcere*; nunquam planè fortiùs fragrârint *Lilia Francica*, quàm ubi humillimâ *Alderici* manu *hiſce ſordibus* tam vicinè fuerunt adplantata. Sacro cadaveri tertiùm vi divinâ exhumato, locum lux cœlitus allapſa in inſigni eccleſia deſcripſit, quô condi vellet. En! quàm verè juxta D. Bernardum in Epiſt. *Humilitas contemptus ſit propriæ excellentiæ.*

SEN.

SENTENTIA.

OMnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est: quid tendis pedem? cadere vis, non ascendere. A gradu incipe, ascendisti. *S. Augusst. de Verb. Dom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. EXactissimè quàm ad *Christi* monitum; tam prudentiæ christianæ regulas sese habuit *Aldericus*. Ut olim *exaltaretur*: non se *exaltando*, sed *humiliando* effecit: *humiliandus* utique in *æternitate*, si se *exaltâsset* in *tempore*. Quid *te humiliando* ultrà debitum agis? hanc tibi virtutem fortè suadent natales, vilis conditio, defectus: si ita; *Bernardum* audi: *non magnum est esse humilem in abjectione: magna prorsus & rara virtus est humilitas honorata.* Homil. super Missus.

II. Dolendum maximè, nec hanc *virtutem* hominum *vitiò* esse *sinceram*. *Humiliantur* enim, quod modo cit. Doctor mellifluus asseverat. Serm. 35. in Cant. *Alii nequiter, alii patienter, alii libenter.* Quinam meliùs? certè omnium pessimè illi, qui statum humilitatis professi, adeò *ambulant in mirabilibus super se*, ut *sanctiorum* etiam *digitô* notentur. Certum habeat, qui talis est, Chrysostomi dictum, Homil. 6. in Matth. *Jactantiam subsequitur ruina.*

III. Veluti *humilitas* bonorum omnium *fons* unde hæc plenô profluunt alveô: ita *jactantia* res sterilis, & infœcunda. Cui enim, per DEUM!

arrogans placet alteri, quam ſibi? & quid inde lucri? imò quid non damni, dum *ſuperbia* iplis *etiam operibus bonis*, quorum causâ ineptè gloriamur, *inſidiatur ut pereant? ſi porrò ignoras te, anima mea!* per ſinceram defectuum tuorum inſpectionem *egredere & abi poſt veſtigia pedum tuorum, & paſce* (non jam cum *Alderico porcos*) ſed *hædos* tuos, ne olim abjuratâ *ovium humilitate, hædus ipſe* ad judicis ſiniſtram ſtatuâre.

X. FEBRUARII.

S. Guilielmus Aquitaniæ Dux.

A*B uno extremo ad aliud* videtur declinâſſe hic ſanctus: à ſummis ſceleribus ad ſummam ſanctitatem, ſummâ vitæ auſteritate laboriosè partam. Fuit enim, ut vitæ ſcriptor meminit, ante converſionem *extraneis malus, ſuis pejor, peſſimus ſibi.* Trienniô, & plus, veluti alter Herodes, rabie plusquam beſtiali, uxorem germani proprii violenter detinuit. Schiſmata in eccleſia exorta fovit, nil hujus auctoritatem, nil cenſuras reveritus. Actum de illo fuerat, niſi melleum aliàs, tum verò ignitum *D. Bernardi* eloquium, magis *euchariſtica Chriſti præſentia*, hanc *cautem* ſic molliiſſent, ut profluerent inde *aquæ* pœnitentium lacrymarum largiſſimæ. Hanc primam cordis deditionem ſubſecutus eſt mirus ille rigor, quô in ſe animadvertit, quando loricâ ferreâ ad carnem fortiter connexâ, firmiterque decem catenis ceu vinculis conſtrictâ, aſperrimô prætereà indutus ciliciô, & caput ferreâ tectus galeâ ad mortem usque de peccatis pœnituit. *Quomodo*

non

non cælum ad ſe rapiant etiam ſceleratiſſimi, hâc violentia?

SENTENTIA.

NOlite negligere, quòd vos Dominus pius peccantes ſuſtinet: quia quantò diutius exſpectat ut emendetis: tantò gravius judicabit ſi neglexeritis. *S. Auguſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *MIſericordiæ Domini multæ, quod non ſumus conſumpti*, jure fateatur dux iſte, *prius orci victima*, jam pœnitentium *forma*. Ibat per declivia, & prærupta, obligatis velut oculis, *Guilielmus*, ut peccatores ſolent, quibus plerumque tam non curæ eſt, & cordi, pedem ab exitio retrahere, ut volupe etiam ſit perire. DEI Clementiam ſeriò implora, ne unquam hujuscemodi diſcrimen ſubeas.

II. *Ea peccati natura eſt*, inquit S. Chryſoſt. Ep. 7. *ut priusquam omninò perpetratum ſit, hominem afficiat temulentiâ; ſed poſt ipſum expletum tum voluptas ſeſe proripiat & extinguatur; & ſolus deinceps ſtet accuſator conſcientia, carnificis locum tenens, & peccatorem lancinans, & extremas ab eo pœnas exigens.* Fuit hæc lanienа innumeris ab orbe condito tam intolerabilis, ut deſperationibus acti, violentæ mortis capiendo conſilia, è fumo inciderint in flammas.

III. Verum quidem eſt D. Auguſt. Effatum: *pœnitentiâ aboleri peccata indubitanter credimus, & in ultimo vitæ ſpiritu, ſi admiſſorum pœniteat,*

de Eccl. Dogmat. cùm tamen *pœnitentia ſera* rarò ſit vera, & qui pœnitentibus veniam pollicitus eſt, non idcircò vitam longiorem; imò nec *craſtinum* promiſerit: præſtat pœnitere *in tempore*: nec tamen ita, ut identidem in antiquum relabamur lutum, quod, quid aliud demùm eſt, quàm nugari cum DEO? ſed ex præſcriptô *S. Greg. Homil. 38.* in *Ev.* pœnitentiam ſic definientis: *pœnitentia eſt præterita peccata plangere & plangenda iterum non committere.*

XI. FEBRUARII.

S. Victoria V. M.

SI unquam aliàs, & alicubi; hac certè in Virgine nomen cum re conſpirârat. Bis nobiliſſimô potita triumphô, & nomine ſuô digna fuit, & lucrô. Primò enim *Hymenæum* vicit è ſummo ſemet tecto præcipitando, ut carnales ſponſi complexus fugeret: quam tamen *Angeli* ſuis excepêre manibus priùs quàm ad lapidem pedem offenderet. Secundò potentiſſimos vicit imperatores *Diocletianum* & *Maximianum*, vinci per glorioſam pro *Chriſto* mortem ſe patiendo, ne victa perfidiæ cederet. Æternos utique triumphos *victoria* merebatur, tantis aſſueta victoriis.

SENTENTIA.

VIctoria non minor eſt hoſtes tolerare, quàm hoſtes vincere. *S. Gregorius.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DUplex *victoriæ genus*, ex duplici itidem conflictu, in una ſpectamus

victo-

victoriâ. Semel vicit hoſtem *fugiendo:* tum hoſtem *tolerando.* Prior hoſtis animum telô cupidinis impetebat: & hic *fugâ* ſuperari debuit. Poſterior corpus excruciabat odiô fidei: & hunc *fortiter tolerari* oportuit. En pugnæ variæ ex hoſte diſpari ſpecimen!

II. Idem tibi modus pugnandi eſto, idem vincendi. Si evagatione ſenſuum, aut aliô quovis modô pudicitiæ periculum ſubeas, celeriter fugam arripe, intimè DEO ſupplicans, ut tum *ponat pedes tuos quaſi cervorum.* Si porrò ad certamen te provocent morbi, calumniæ, perſecutiones &c. Sta viriliter, & tolerando hoſtem confice. Utrumque tantundem erit, ac *legitimè certâſſe:* utrumque coronâ dignum.

III. Felix planè eſt & fortunata nimium, ſi quidem noverint, chriſtianorum conditio. Etſi enim *vita* illorum ſit *militia ſuper tèrram*, indéque moleſtiis non vacua, ſed redundans: cùm tamen ſingula militiæ hujus momenta novas identidem victorias *volenti* pariant: quis demùm haſce pugnas detrectet? quis otiô torpere malit, quàm olim tam amplâ in cœlis potiri gloriâ, quæ & magnitudine, & pretiô non modò triumphis reſpondebit, quos ex nobismetipſis reportaverimus, ſed & plurimùm ſuperabit? adeò *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Ad Rom. 8.

XII. FEBRUARII.

S. Antonius Epiſcop.

A Quinto ætatis anno *Spiritum ſanctum Doctorem* audiit ſolers *tyrunculus.* Quid non addiſce-

ret *hôc magistrô?* primùm ejusdem sese animo stitit rerum omnium *vanitas*, grandi charactere singulis propemodum inscripta rebus. Cohorruit *Antonius* illam legendo: ac quò saluti suæ consuleret, in frequenti monachorum contubernio æterna quærere, atque meditari studuit, duodecimum vix annum egressus. Hoc in ludo parvô admodùm annorum tractu usque adeò profecit, ut aliis in *scientiâ sanctorum* erudiendis Abbas præpositus, proprium etiam parentem discipuli locô haberet, redditurus utique vitam animæ illi, à quo corporis ipse acceperat. Subinde ne virtus tam splendida minùs fortè lucis affunderet cœcis mortalibus, cœnobii angustiis clausa, Episcopali sublimatus honore, eum sese exhibuit, ut omnes sanctissimè deperirent vivum, lugerent mortuum, pauperum præcipuè greges, bis *Orphani*, quia & *Pastore* & *Nutritiô* viduati. Hos in scientia spirituali progressus facit, quisquis Spiritûs divini doctrinâ imbuitur.

SENTENTIA.

SPiritus sancti doctrina non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. *S. Bern. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurimùm debet *Spiritui sancto*, quisquis feliciore passu virtutis viam graditur. Ab hoc enim velut à *spiritu scientiæ* omnis melior instructio: ea cum primis, quâ discimus *declinare à malo*, & *facere bonum*: quâ docemur *bonitatem*, & *disciplinam*, & *scientiam*.

tiam. Beatus es, ſi illorum accenſeâre numero, de quibus bonô omine Iſaias vaticinatur c. 54. *erunt omnes docibiles DEI*: miſer è converſo ſi olim de te perdito dicatur: *noluit intelligere, ut bene ageret.* Pſ. 35.

II. *Multæ ſunt viæ, & multa genera viarum: magnum profectò periculum viatori. Quàm facilè in multarum occurſu errabit in via ſua, qui viarum diſcretione caruerit?* S. Bernard. ſerm. 11. ſuper *qui habitat.* Quis autem in dubio tam periculoſo certiùs informabit errabundum, quàm *ſpiritus veritatis?* dirigit enim ille vias noſtras ad cuſtodiendas juſtificationes Domini: atque ubi errore humano aliquando in obliqua deflectimus, *regit, quod* in nobis *eſt, devium.*

III. Non aliud cœleſtis hic magiſter *minerval* petit, niſi te ipſum. Te da, & diſcipulorum adnumerabere ſyllabo. Dabis porrò te ipſum, ſi conſtanter *audias quid loquatur in te Dominus DEUS*: ſi cum DEO ſincerè, cum proximo veraciter agas: *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Quid ergò moras trahis? quin hôc momentô ejus te diſciplinæ concredis? facies certè, niſi æternùm aberrare malis à via quæ ducit ad vitam, atque hanc, culpâ tuâ, ignorans, ignorari pariter. *Solus* enim *Spiritus S. aperit oculos, & docet veritatem.* S. Auguſt. *ſerm. 185. de Temp.*

XIII. FEBRUARII.

S. Martinianus Anachoreta.

QUinque & viginti jam annos mirâ ſanctitate, multis etiam miraculis cœlitùs comprobatâ,

transegerat *Martinianus*, quando *orcus* tantæ virtuti invidens, *mulierem* nequitiæ suæ *vicariam* substituit, quæ *Martiniano* cum pudicitiæ *gemmâ*, hactenus integerrimâ, totum unà meritorum *thesaurum* clam surriperet. Et verò utriúsque jacturam feciſſet, *Anachoreta*, jamjam in proposito nutans, & ferè ad consensum prolabens, nisi summè periclitanti radius desuper affulgens, eâ sinceritate peccati sordes detexiſſet, ut *Martinianus* luculentô igne excitatô, bis in eundem se conjiciens, quàm in se; tam in prostituti pudoris fœminâ, incendia incendiis sopîſſet. Inde per mare ad rupem inacceſſam digressus, cùm iteratò strui insidias sibi metueret, à puella naufraga, in id litus ejecta, relictis omnibus, præcipitiô mari se credidit. Heroicum hoc facinus Deo sic placuit, ut duos continuò *Delphinos* servo suo submitteret, qui incolumem ad aliud litus deportarunt. *Frequentiſſima lapſuum cauſa eſt, frequentatio periculi.*

SENTENTIA.

NEmo diu tutus est, qui periculo proximus est. *S. Cyprian.*

REFLEXIO.

Punct. I. POterat in *Martiniano* videri jam penè emortua *caro*, tot laboribus fracta, tot jejuniis infirmata, tot flagellis attrita: *concupiſcere* tamen cœpit *adverſus ſpiritum*, & sanctiori *mentis Legi* repugnare refractaria, ut primùm minimam occasionis rebellandi umbram advertit. Adeò veriſſimum est quod *Auguſt.* aſ-

ſerit

ſerit in expoſit. Epiſt. ad Galat. *carnis concupiſcentiæ cum vita hac tantùm finiuntur.*

II. Ad has penitùs elidendas, etſi ad mentem *Caſſiod. in Matth.* ſex præcipuè media ſuppetant: *Sobrietas* nimirùm, *Operatio*, *Aſperitas cultûs*, *inhibitio ſenſuum*, *raritas ſermonis cum honeſtate*, *evitatio oportunitatis & perſonæ*, *loci*, *& temporis*: horum tamen ultimum, reliquis non efficaciùs modò eſt, ſed tale etiam, ut reliqua ſine hoc planè ſint nulla. Da enim ſe quantumcúnque mortificantem: ſi temerè periculum amet, & adeat: certò peribit in illo.

III. Pietatis eſſe putabat *Martinianus*, & debitæ ergà afflictos commiſerationis, *errabundam* intromittere fœminam: ſed hic vaferrimi tentatoris mos eſt, pietatis larvâ ſanctioribus animis illudere, ut hi ſpiritu quandóque incipientes, carne conſument. Quæcúnque demum neceſſitas mulierum qualiumcúnque conſortio te ingerat, hominem te cogita: *mulierem verò* (ut *Publ. Mimus* dixerat) *à muliere nihil omninò diſtare.*

XIV. FEBRUARII.

S. Auxentius Abbas.

FUit ſanctus hic Abbas totus in recogitanda *Paſſione Dominica*: néque aliud tantùm illi curæ & cordi eſſe potuit, quàm *Chriſtus JESUS*, *& hic crucifixus.* Feriam ſextam, velut doloroſo huic myſterio ſpecialiter deputatam, ſeptimanis ſingulis quàm ille; tam cæteri ejus imperio ſubjecti, ut *feſtam* coluerunt. Mirâ fuit in gerendis rebus prudentiâ, admiſſione potiſſimùm ſæcula-

rium ad vitam monasticam, quorum *spiritus* sollicitudine variâ *probabat*, *an ex DEO essent.* Denique *dilecto* tantùm à se *Servatori Crucifixo* per morbum gravissimum ut cùnque conformatus, sacris ejusdem plagis indormiit: relictô mortalibus illustri exemplô, *non perituram malè, qui bene redemptionis suæ pretium æstimârit.*

SENTENTIA.

FRuctus nostræ redemptionis Christus, rationi futurus est plenitudo lucis: voluntati multitudo pacis: memoriæ continuatio æternitatis. *S. Bern. serm. 12. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. P*Assio Christi*, & sacratissima ejusdem *humanitas*, signis redemptionis nostræ præclarè insignita, D. Bernardo *liber* fuit *scriptus intus & foris.* Tantùm in illo misericordiæ divinæ legit, ut amorosè mysterium istud appellaret *opus sine exemplo*, *gratiam sine merito*, *charitatem sine modo:* & miremur, cum doctore mellifluo *Auxentium* Abbatem: cum utróque tot animarum millia, non alibi requiem quæsiisse, quàm *in vulneribus Salvatoris?*

II. Quidquid boni est, quidquid salutis, & gratiæ, non nisi ex hisce fontibus profluit. Imò quidquid mali est, hôc salubri agni innocentissimi cruore abluitur, & cavetur. *Passio tua, Domine JESU* (inquit antea cit. *Abbas Claravall*) *ultimum est refugium, singulare remedium. Deficiente*

ciente sapientiâ, justitiâ non sufficiente sanctitatis, succumbentibus meritis, illa succurrit.

III. Felicem te aliquando, anime mi! si hôc exili tempore cum *sponsa* assuescas *sedere sub umbra illius quem utérque desideratis.* Refrigerium tibi, ut illi, præstabit *cruci* pro te *fixus Servator:* & ubi olim animæ æternùm damnandæ *gelu* neglectæ in suum redemptorem charitatis urentur, & *æstu* punientis justitiæ divinæ: tu intrepidus cum divo iterum Bernardo asseres: *cùm defecerit virtus mea non conturbabor, non diffidam: scio quid faciam: calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* S. Bernard. in Cant.

XV. FEBRUARII.

S. Georgia V.

PAucis multa complexum se credidit *S. Gregorius* Turonensis, quando hoc Virgini elogium posuit: *eandem virtute excellenti ornatam, non aliam admisisse voluptatem, néque nisi in divino obsequio.* Quid amplius à perfectissimo quôque exigeret? quantam puritatis suæ rationem habuerit *Georgia*, eô DEUS miraculô manifestari voluit, quô numerosus mirè candicantium columbarum grex, Virginis sacrum cadaver, tumulo inferendum, primò ad templum úsque subsecutus, tum in templi ejusdem tecto tamdiu substitit, dum demortuæ justa funebria fuissent persoluta. *Sic scilicet in terris etiam Virgines illustrantur.*

SEN-

SENTENTIA.

VIrginis definitio eſt, ſanctum eſſe corpore & Spiritu. *S. Hieron. ad Nepot.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DIgna *Virginitas* eſt, quam DEUS, Angeli, & homines maximi faciant. *In carne præter carnem vivere*, ait S. Chryſologus, ſerm. 143. *cæleſtis eſt vita.* Rotæ ſimilis *virginitas* eſt, quòd minimâ tantùm ſui parte terram contingat, alterâ rectà cœlum reſpiciens: *Virgo* nimirum, à reliquis omnibus abſtracta, quibus mortales paſſim occupantur, unicè *cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu.*

II. Sacra hæc Virginum occupatio facit illas à D. Ambroſio. *l. 1. de Virgin.* non ineptè apibus comparari. Eſt enim, ut apûm respublica, *laborioſa* virginitas, *pudica*, & *continens.* Rore cœli, ſermone ſcilicet divinô, paſcitur: *pudor Virginis eſt intemerata natura*, & ne incompertis videatur res ſterilis: *partus Virginis, fœtus eſt labiorum*, vocalis, mentalisque cum ſponſo collocutio, *expers amaritudinis, fertilis ſuavitatis.*

III. Difficultati ſingulari, quæ virginibus accidit ex continua *Carnis* & *Spiritûs* lucta, ſingularia item reſpondent præmia. Ubi alii remotiùs; hæ proximè *agnum* conſequentur, quocunquè ierit. Et præterquam quòd propriâ ſibi decorentur *aureolâ*, martyrum etiam præmiis non deſtituuntur. *Non enim ideo laudabilis virginitas, quia & in martyribus reperitur; ſed quia ipſa martyres facit.* S. Ambr. l. c.

XVI. FE-

Digitized by Google

XVI. FEBRUARII.

S. Juliana V. & M.

PAtre *gentili* progenita, ipſaque adhucdum *gentilis*, ſeriâ conſideratione pulchritudinis, ac Ordinis hujus *univerſi*, devenit in cognitionem *conditoris*. Eam *DEI ex creaturis* notitiam ſubſecuta continuò eſt tenera erga eundem affectio, publica illius Confeſſio, & arctiſſimus per *virginitatem* nexus, quem fruſtrà lacerare, ac diſſolvere conatæ ſunt taureæ virgæ, laminæ candentes, ſuſpendia, rogi, lebetes, imò & ipſe *princeps tenebrarum, transformatus in angelum lucis*. Ne porrò ſolitaria ad complexum ſponſi ſui pergeret hæc *virago*, quingentos viros, centum item & triginta fœminas, *ſplendidum* ſanè *miniſterium*, martyres, martyr ipla præmiſit. Omnem nempe hunc numerum, integerrima carne virgo, fœcunda ſpiritu parens, invictâ in tormentis conſtantiâ, Chriſto, & fidei chriſtianæ pepererat. En! ad quantam provecta ſit ſapientiam *Juliana* primô DEI ex creaturis intuitu.

SENTENTIA.

MUndi hujus ornatus pulcher quidem per ſe: in DEI verò comparatione nihil. *S. Auguſt. de quantit. an.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. COecus eſt, & cœco miſerior, quisquis ad hanc lucem caligat, quam uberrimam affundit, mirè ſuis ex *creaturis* reſplen-

ſplendens *creator*. Sunt enim illæ, ſi conſiderantur ſingulæ, adeò perfectæ, adeò elaboratæ, ut ſeipſis majorem loquantur artificem, qui ſit *ſuper omnia* majeſtatis excellentiâ: *per omnia* operationis efficaciâ: *in omnibus* immenſitatis extenſione.

II. Quid aliud *ſol*, quàm, ut divinus ait Dionyſ. c. 4. de div. nom. *clara expreſſáque divinitatis imago?* quid luna? quid cœlum ſtellis prope innumeris; hæ luce mirabili colluſtratæ? quid terra, florum, arborum, frugum ut incredibili multitudine, ſic varietate inſatiabili diſtincta? quid tot genera volucrum, beſtiarumque quàm cicurum, tam ferarum? ſingula hæc quid porrò aliud ſunt, quàm *ectypa* bonitatis, omnipotentiæ, ſapientiæ divinæ?

III. Neque porrô nobiliores ſolùm creaturæ DEUM ſui opificem loquuntur, ſed abjectiſſimæ quæque. *DEUS ita eſt artifex magnus in magnis* (inquit Magnus Auguſt.) *ut non ſit minor in parvis.* Homo, *mundus parvus*, quantum *mundo archetypo* debet ob perfectiones quibus inſtruitur? lectô ergo, ad exemplum *D. Julianæ*, utcunque, hoc grandi divinarum perfectionum volumine, cum pſalte regio ſincerè dic DEO: *delectaſti me Domine in factura tua.* Pſ. 91. Neque de iis eſto, quibus *creaturæ DEI in odium factæ ſunt, & in tentationem, & in muſcipulam.* Sap. 14. v. 11.

XVII. FEBRUARII.

B. Alexius Servita.

NE circà meritum, & actus, *Virginis DEIparæ ſervus* audiret *Alexius*, centies, diebus ſingulis,

gulis, hanc ſuam *heram Angeli verbis* ſalutavit: quô devotionis affectu vitam ſibi prorogari meruit ad centum, & decem annos. Moriturus mirè geſtiit, quòd coràm videret *JESUM Virginis Filium*, maximâ cœleſtium geniorum frequentiâ ſtipatum ſertum floridum *veterano ſuo pugili* largientem: donaturum paulò poſt *diadema regni*. Vis & tu olim coronari? ſedulus eſto in volvenda Virginis *corona*, & fiet, quod vis.

SENTENTIA.

MARIAM honorari vult, qui totum nos habere per MARIAM voluit. *S. Bernard. 1. ſuper Miſſus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FRuctuoſa ſanè fuit *Alexii* occupatio, quando diebus ſingulis tam copioſô roſarum *faſciculô virgineum* decoravit *verticem*. Quantillô tibi opus eſt tempore, cliens Mariane! ut paria poſſis, & velis? integri quandóque menſes (utinam non anni) frivolas inter nugas effluunt: quàm forent illi queſtuoſi, ſi modò tam ſincero in MARIAM cultu condirentur!

II. Non minus volupe eſt Virgini DEIparæ coronari *roſis*, quàm *ſtellis*: ſunt enim & hæ *roſæ Marianæ* velut ſtellæ cœli eccleſiaſtici, támque gratum DEO, & *Virgini* odorem afflant, quàm utilem terræ fulgorem ſtellæ ſuppeditant. Si nauſeam tibi pariant roſæ hæ myſticæ, metuo, ne ſordidum te ſcarabæum probes, vitiorum fimo, quàm roſeto virtutum Marianarum magis amicum.

III.

Digitized by Google

III. Veluti roſa radicem nec altè nimis defigit in terram, nec culmum præcelsè erigit; ita MARIA roſariô devotè ſalutata efficiet, ut ne nimis terræ affixus hæreas, cupiendo tranſitoria: nec immodicè te erigas, ſuperbiæ locum in te dando. Quinimo, ne ad dona capienda paratior, quàm diſpenſanda videatur; olim pro *roſis* hiſce, victrices tibi de ſtyge *lauros* tribuet. Ergo eandem cum D. Aug. ſaluta ſerm. de Nat. Virg. *Ave MARIA gratia plena, Dominus tecum: tecum in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio.*

XVIII. FEBRUARII.

S. Simeon Ep. & M.

NE dubitares fuiſſe hunc *Chriſti conſanguineum*, *crux* teſtem egit, cui *Simeon*, centum & viginti annorum ſenex, hilari animô, affigi ſe paſſus eſt. Nunquam arbor aliqua fructu tam maturô ſuperbiit, quàm hic truncus. Stupuit totus orbis *vividum* adeò in *effæto corpore robur*: didicitque, nullam demum ætatem *à crucibus* eximi. Hanc ſi conſtanter feras, *Chriſti diſcipulus*: ſi voluntatem inſuper Patris æterni facias, *Chriſti* non modò *conſanguineus*, ſed etiam *frater*, *ſoror*, & *mater* eris. *Vide quàm non gravibus impenſis ad magnam dignitatem, ſi modò velis, ſublimari poſſis.*

SENTENTIA.

AMbula ubi vis, quære quodcúnque volueris, & non invenies altiorem viam ſuprà, nec ſecuriorem viam infrà, niſi

niſi viam ſanctæ crucis. *Thom. Kemp. de Imit. l. 2. c. 12.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DEcurrerant hactenus *crucis* viam juvenes, ſenes, viri, fœminæ, numerô penè innumeri. Animavit eosdem ducis exemplum, cùm juxta D. Ambroſ. *primus diſcendi ardor nobilitas ſit magiſtri.* Tu tamen usque modò vanâ difficultate abſterritus, latam & ſpatioſam viam magis tibi commodam judicâsti, quamvis ad interitum ducat, quàm anguſtam, quâ rectà ad cœlos itur.

II. Quid, quòd *conſilium* etiam ſit *ſine conſilio*, viam, modúmque te inquirere, quô *crucem declines? quocúnque veneris*, veriſſimè inquit Thom. Kemp. de Imit. l. 2. c. 12. *teipſum tecum portas, & ſemper teipſum invenies.* Quantæ verò *tibi* ex *te* moleſtiæ? quàm non interruptum exercitium portandæ *crucis*, non quidem *Chriſti*, bonorum fertilem, ſed ſterilem indomitarum tuarum paſſionum? diceres ſæpiùs, nî tibi blandireris: *factus ſum mihimetipſi gravis.* Job. 7.

III. Si *inter duo mala*, quæ evitari nequeunt, prudenter judicas, *eligendum* eſſe *minus*: quid non eôdem modô de *cruce* ferenda concludis? videtur hæc tibi *malum*: & reverà videtur, quia *malum* non eſt, ſed *bonum* quô nullum majus: hoc ergo, quod *malum* credis, ſupportandum tibi eſt, aut cum queſtu; ſi promptè & libenter: aut cum damno, ſi invitè: quod poſterius *malum* utique priore grandius eſt: cùm prius *malum* non

Digitized by Google

sit, sed videatur tantùm: posterius & *malum* sit, & *fons omnis mali.*

XIX. FEBRUARII.

S. Conradus Conf.

VEnationi aliquando deditus, quam pro nobilium more, sibi charissimam habuerat, incuriè flammas injecit casæ rusticæ, quæ mirabili *providentiæ divinæ* operâ, omnem in illo mundi amorem sic sopierunt, ut indemnitate colono præstitâ, cum veste alia virum indueret alium. Ab *impuro cupidine* impetitus, nudum in spinas sese abjecit, *stimulo* carnis spinarum *aculeos* oppositurus. *DEO* sceleratum juvenem hastâ cœlitùs confixuro, se velut *clypeum* objecit, *nobili charitatis in proximum exemplô.* Genuflexus, *devotissimè* nimirum, animam DEO reddidit. *Quantam tu hactenus tui partem proximi bono impendisti?*

SENTENTIA.

AMor DEI amorem proximi generat, & amorem proximi calefacit amor DEI. *S. Greg. Homil. in Evang.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAximum fuit *Sodomitarum* dispendium, quòd nec *decem Justos*, in tanto eorum numero, repererit *Abraham*, quos *DEUM* inter & reos statueret medios. Felicior adolescentis hujus conditio, qui pœnæ dilationem uni *Conrado* in acceptis debuit. Hoc scilicet

licet eſt *diligere proximum*, *optare* cum D. Paulo *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis*: precari cum Moyſe Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.*

II. Habet inter reliqua hoc ſibi proprium vera in proximum charitas, quòd *non gaudet ſuper iniquitate.* 1. Cor. 13. imò, hâc, tanquam maximô proximi malô, affligitur plurimùm: indéque *arguendo, obſecrando, increpando,* pro conditione ſtatûs quàm ſui, tam proximi, hunc DEO lucrari modis omnibus adnititur. Hoc planè ſtudium pro ſalute proximi amorem hunc numeris ſuis abſolutum probat, quia non *carne* & *ſanguine*, ſed *DEO* velut *baſi* nixum.

III. Potiſſima hujus in proximum *charitatis* incentiva eſſe debent, quòd *fratres* ſimus, eandem aliquando *hæreditatem* beatæ felicitatis adituri: quòd *unius corporis myſtici membra.* Dolendum, refrixiſſe plurimùm hanc charitatem, atque, prô dolor! talem non eſſe, qualis fuit primorum *Chriſtianorum.* Anſam dedit illa ethnicis *Tertullianô* teſte in c. 39. Apoc. non ſemel exclamandi: *ecce, quàm illi inter ſe amant! beatus, qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te* S. Auguſt. Conf. l. 4. c. 9.

XX. FEBRUARII.

S. Eucherius Epiſcopus.

HUnc *DEUS optimus*, uti diverſiſſima hominem vocandi media habet, ad virtutis amorem, & mundi odium induxit geminâ *D. Pauli*

ſententiâ: *præterit figura hujus mundi.* 1. Cor. 7. *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud DEUM.* 1. Cor. 3. nec ſanè efficaciùs aliquid legere poterat ad deſpuendum *mundum*, quàm hanc illius *larvam.* Ad ejus tumulum cerei & lampades igne velut perpetuò ardebant, nullâ ſui parte conſumi viſæ, ut palàm facerent, luxiſſe *Eucherium* non *ſub modio*, ſed *ſuprà candelabrum*, infulâ, & pedô digniſſimum. Nonne verum quod *Auguſtinus* aſſerit in Pſal. 85. *Legèntibus DEO loquitur.*

SENTENTIA.

OMnis profectus ex lectione & meditatione procedit: quæ enim neſcimus, lectione diſcimus: quæ didicimus, meditatione conſervamus. *S. Iſid. l. 3. de ſummo bono.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurimùm ſemper ad profectum ſpiritualem contulit *ſacra lectio*, non obiter, ſed *ſincerè* inſtituta, *ſeriò* ſuſcepta. *Sinceram* eſſe oportet, & *ſeriam*, ut videlicet *utilitas* plus curæ & cordi ſit, quàm *ſubtilitas.* Veluti DEUS myſteria ſua *abſcondit à ſapientibus, & prudentibus, & revelat parvulis;* ita non raro *ſermone* in ſpeciem *ſimpliciſſimò*, cum *ſimplicibus* itidem *ſermocinatio ejus. Prov. 3.*

II. Quàm fœcunda tamen ſint, & quantæ efficaciæ, quibus in ſcripturis nos erudit DEUS, novêre ſanctorum plurimi, nunquam à ſæculo abducendi, niſi ſedulò ſcripturas legiſſent, lectáque, veluti *ruminando*, altè in animum demiſiſſent.

Viſa

Digitized by Google

Visa est Augustino, ut ingenuè fatetur. l. 3. Conf. c. 5. sacra scriptura *indigna*, *quam Tullianæ eloquentiæ compararet*: & tamen hâc ipsâ DEUS *Augustini* animum sic expugnavit, ut inde velut infusâ luce securitatis omnes ab illo dubitationis tenebræ diffugerint.

III. Eadem ferè utilitas promanat ex lectione aliorum quorúmque librorum spiritualium: nec satis, atque pro merito commendari potest *lectio mensalis*, notissima religiosis quibúsque familiis, instituta unicè, ad nutriendum hominem internum, *ne*, quod *Origen.* ait, *si sola caro reficitur, & anima DEI verbo non pascitur, ancilla satietur, & Domina fame torqueatur.* Mos iste familiaris esset omni clero, si locum haberet Synodus Toletana 3. quæ jubet: *in omni sacerdotali convivio lectio divinarum scripturarum misceatur.* Quô enim hæc aliô, nisi *lectione*, à læcularium conviviis different?

XXI. FEBRUARII.

S. Pipinus.

MAgnam *Pipino* existimationem conciliat, quòd Brabantiæ dux, quòd in aula *Clotarii* supremus palatii magister; majorem quòd *S. Gertrudis* parens; maximam, quòd adeò suis in negotiis fuerit circumspectus, ut ad singula penè uteretur ductu & consiliô *S. Arnulphi* Metensis Episcopi. Inter gravissimas tamen de regni bono consultationes non adeò sui negligens erat, quin secum sæpiùs, ac sollicitè, de salute sua consultaret: certus, hic magis, quàm alibi usquam *Consilium malum consultori esse pessimum.*

SENTENTIA.

PLurimùm laudis juvenes moribus ſuis applicant, quoties de negotiorum meritis ambigentes, ad peritiorum conſilia decurrunt. *Caſſ. par. 2. l. 1. Ep. 9.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ÆQualis omninò periculi eſt, rem arduam ſine conſilio aggredi, & *conſiliô* ad rem difficilem uti *malô*. Optimum ergò, primò conſilium petere ab eo, qui Iſa. 9. dicitur. *Admirabilis conſiliarius* &c. *optima* enim ſuadebit is, qui *optimus* eſt, nec pœnitebit unquam illius, quod hujus ductu & auſpiciis geſtum fuerit.

II. *Conſilium primum* à DEO; *ſecundum* utiliter petitur à *maturioribus* & *prudentioribus*. Sæpiùs hi oculatiores pericula vident, quæ noſtrum ſuſpicatur nemo. Quàm proficuum *Roboamo* fuiſſet *juniorum*, quàm impotentium, tam indigorum mentis, rejectô conſiliô, *ſeniorum* ſuaſui acquieſcere! omnia ergò *age cum conſilio, & poſt factum non pœnitebit*. Certum enim quod Auguſt. aſſerit l. 1. de Doct. Chriſti. *Conſilium omne* (quantò magis bonum) *à DEO eſt, à quocùnque proficiſcatur.*

III. Quid aliud ſunt *inſpirationes internæ*, quàm ſaluberrima DEI *conſilia*, quibus in tanto excidendi vitâ æternâ periculo fideliter te, velut manuducit in virtutis via? felicem te, ſi inter multos neceſſarios, *unus hic tibi ſit conſiliarius*:

mi-

miſerum è contrâ, ſi idem, quod cœteræ damnatorum fœci, exprobret: *deſpexiſtis omne conſilium meum.* Ridebit tunc, & amarè ſubſannabit, cùm, ipsô te ductore cœcô, tu cœcus pariter, in interitûs ſempiterni foveam prolabêris. *Conſulentem Dominum qui non audiunt, audient finaliter condemnantem.* S. Bernard.

XXII. FEBRUARII.

S. Petrus Damiani.

INſolentem cum ſancto hoc *ludum* inſtituit, non tam *fortuna*, quàm, cuncta moderans, *DEI providentia.* Juvenis adhuc porcis paſcendis adhibitus: inde promotus ad ſtudia, ne tantum ingenium beſtias inter bruteſceret, tam gnavum ſe probavit *diſcipulum*, ut *Doctor* fieret. *Religioſum* poſteà indutus, quàm ſcientiâ, tam pietate ſic inclaruit, ut *purpuratorum Patrum Collegio* adſcriberetur, quam tamen dignitatem pontificiæ proximam (veritus fortè graviorem ex alto caſum) eô reniſu à ſe amoliri ſtuduit, ut offensô inde Pontifice ſummô, ſuam hanc *humilitatem* annuâ lueret pœnitentiâ. An tantus in te *bonorum contemptus?*

SENTENTIA.

QUantò plus honoramur, tantò plus periclitamur. *S. Aug. in Pſal. 106.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUisquis ad dignitates promotus, aliis jura dicit & leges fert: credat *D.*

Bernardo Ep. 137. ad Eug. Papam, *altiorem se consecutum esse locum, sed non tutiorem; sublimiorem, sed non securiorem.* Facilè nimiùm accidit, *honoribus mutari mores: rarò tamen in meliores, sæpiùs in pejores.* Quid posteà lucri ex dignitate vitiis fædata? *potentes* nimirùm *potenter tormenta patientur.* Sap 6. v. 7. & *judicium durissimum bis, qui præsunt fiet.* Sap. 6. v. 6.

II. Plerumque ad *ambitionem* extimulant *divitiæ*, & *proventus* dignitatibus annexi. Quàm tamen prudentiùs agunt, qui *Christum* imitantes, si omnibus etiam mundi regnis præfici possent, liberè dicunt: *vade sathana!* indubium viros principes, Gubernatores, Præpositos, Decanos, Episcopos, Abbates, &c. permagnô numerô, unô *ambitionis* crimine, nimiô *divitiarum* amore, æternum sibi *contemptum*, æternam mercatos *inopiam*: futuros aliàs de numero *electorum*, si non fuissent de numero *magnatum.*

III. Magna stoliditas decertare tantum pro *sceptro*, & *corona*: maxima idipsum fieri pro *infula*, & *pedo.* Si *honores graduum ecclesiasticorum*, D. Bernardi judiciô serm. 2. de Ascens. *ipsis Angelicis humeris sint formidandi*: quî *homo luteus*, tantùm virtute inferior hisce spiritibus, avidè adeò illos sitit? horrendam cape Doctoris *Avilæ*, de una animarum cura, sententiam: indéque velut ex minori, *majus* infer: *tot*, inquit, *tantæque sunt pastorum obligationes, ut qui vel tertiam earum partem reipsâ impleret, sanctus ab omnibus æstimaretur; cùm tamen, eô solô contentus, gehennam non esset evasurus.*

XXIII. FE-

Digitized by Google

XXIII. FEBRUARII.

S. Lazarus Religioſus.

UNicus illi labor fuit, una voluptas *divorum imagines*, à ſe pictas, exponere fidelium *cultui*, necquicquam renitente imperatore *Theophilô Iconoclaſtâ*, cujus ſævitiâ *manum* quóque perdidit ferrô truncatam *Lazarus*. Non tulit *DEUS*, *ſuperûm Rex* immortalis, non *ſancti ipſi*, ſibi ſuo in ſervo irrogatam injuriam. *Illius* ergò *omnipotentiâ*, *horum precibus*, *Lazaro* manus reddita, quod benè pro divorum honore cœperat, dextrè proſecuta eſt. Sic *DEUS*, ſic *ſancti* nos viſitant, ſicut eosdem colimus.

SENTENTIA.

QUæ eſt iſta juſtitia ſanctos colere, & ſanctitatem negligere? primus gradus eſt ſanctitatem diligere, poſtea ſanctos, qui non ſancti ante ſanctitatem fuerunt, ſed ſanctitas ante eos. Sine cauſa enim juſtos honorat, qui juſtitiam negligit. *S. Chryſoſt. ſup. Matth. 24.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. STudium ſancti hujus pictoris, quisquis demum es, aſſequèris proximè, ubi tuo in *animo*, ut ille in *tabulis*, ſanctorum vitas, geſta, virtutésque, non *penicillô*, ſed *converſatione* exprimere adnitêris. Certatim tum tua in vota præſtò cœlites erunt, ubi ſuam in te mirabuntur effigiem. *Nulla* ergo tibi *dies* effluat

ſine linea. Facilè id præſtabis, ubi *immortalitati* te pingere, ſeriò cogitaveris.

II. Etiam *te* picturam cogita, ſupremi artificis manu exactiſſimè elaboratam. Ipſe *typus* fieri voluit, quem tu *ectypon*, ſincerè, atque ad vivum referres. Quoties tamen, *injuriâ artificis*, alienis in hanc diem fœdata es manibus? quoties adulterinis coloribus *tibi* atque *exemplari* diſſimilis reddita? purgare ergò ſalſis pœnitentium lacrymarum aquis, utne olim, velut rudis & nullô æſtimanda pretiô, æternùm abjiciâre.

III. Ut *pictores* alii aliis excellunt: ita plus alii aliis *ſanctorum* in ſe virtutes exprimunt. Lucrum majus illis accreſcit ex majori artis peritia: tibi ex ferventiori ſtudio aſſequenti *ſanctorum* merita. Conare quantùm potes: nulla te difficultas abſterreat: nullus labor bonum infringat propoſitum. *Unicô ſæpè actu heroicô* ſolidum jacitur fundamentum *ſanctitatis eximiæ.* Quinimò, *velle ſanctum fieri*, & totis eò viribus conniti, dum tali conatui *gratia DEI* nunquam deeſt, plurimùm jam ſpondet de *ſanctitate* futura. *Non fuerunt ſancti naturæ præſtantioris, ſed obſervantiæ majoris: nec vitia neſcierunt, ſed emendârunt.* S. Ambroſ.

XXIV. FEBRUARII.

IN ANNO BISSEXTILI.

S. Spiridion.

QUâ die ſanctus hic vitæ ſtatione exceſſerit, incertum: commodùm ergo pro *anno biſſextili* hanc occupat, nullô cæterùm ſanctô celebrem.

Sin-

Sindonites dictus est, à *sindone*, quâ unâ contentus, alia vestimentorum genera nunquam admisit. Par illi de *victu* cura: *nulla* scilicet. Nixus enim *DEI providentiâ*, quàm *cæli volucribus*: tam & sibi de cibo prospectum iri, dubitabat minimè. Bis ultrò *servum* se vendidit: primùm *comico gentili*, tum *Lacedæmoni manichæo*: nec priùs hôc *mancipatu* eximi se passus est, quàm *verbô* ejus, & *exemplô*, ad fidem Christi conversus diaboli servitutem ejurâsset *herus utérque*. Vide, quàm *ingeniosa* sit *charitas*: quàm item *viam* illi *complanet temperantia!*

SENTENTIA.

SUperfluitas exterior, interioris vanitatis indicium est. *S. Bernard. in Apolog.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn temerè D. August. de vit. beat. *Frugalitatem virtutum omnium matrem* dicit. Tantò enim ad has exercendas aptior quisque est, quantò minùs in *ventris curam* projectus. Dudum fastidiit *sanctior mens* grunnitus epicuræos; *ede bibe lude*. Ad altiora enim se natam novit, quàm occupari unicè hisce *quisquiliis*. Non importuna exactrix *natura* est: *pauca*, velut sibi *debita* poscit: quidquid ultrà adjeceris, ut superfluum respuit.

II. *Gula*, seu *immoderata cibi*, & *potûs cupiditas* filias numerat, *ineptam lætitiam*, *multiloquium*, *scurrilitatem*, *spurcitiem*, *sensuum*, & *intellectûs hebetudinem*. Pulchra, sanè, familia, & malæ matris partus pessimus. Ubi tandem te pro-

proſtitues, omnium contemptu dignus, ſi non *has inter lupas?* imò quî non infra pecora temet abjicies, quæ juxta D. Chryſoſt. Homil. 58. in Matth. *Cùm bibunt, aut comedunt, ultrà quàm ſatis eſt, etiamſi mille homines cogerent, non elabuntur?*

III. Sordidiſſimum in hoc *luxu* eſt, non deeſſe, qui inde jactandi ſe occaſionem arripiant, unde pudore ſuffundi deberent: & majorem videri, qui brutis propius accedit. Locum ſcilicet hic habet D. Hieronymi effatum: *qui plus biberit, fortior computatur: vomunt, ut bibant, bibunt, ut vomant.* Procul abs te ſint hæc dedecora, quisquis *rationalis creaturæ* characterem, imò & *DEUM* perdere non vis. Dedignatur Dominus illorum eſſe DEUS, *quorum DEUS venter eſt.* ad Philip. 3.

FESTUM,

S. Matthiæ Apoſtoli.

TEmerè videri poterat *ſors cecidiſſe ſuper Matthiam*, nî aliunde innoteſceret, quàm in rebus ad finem ſuum promovendis agat *providentia DEI*, quàm *naturalis*, tam *moralis*. An non & hoc ipſum *providentiæ divinæ* opus, quòd noluerit *Barſabam* eligi, & ſi *re* non minùs, quàm *nomine juſtum?* certè nos erudiri voluit, in conferendis dignitatibus eccleſiaſticis, primas non eſſe tribuendas *cognato ſanguini* potiùs, quàm meritis alienis. Fuit enim hic *Barſabas* Chriſti conſanguineus, & arctâ neceſſitudine quibusdam Apoſtolorum devinctus. Sanctus ergò *Matthias* dignâ munere ſuo vitâ perfunctus, in *Æthiopia* pro confeſſione fidei lapidatus, & ſecuri percuſſus occubuit.

buit. Tu in omnibus venerare *DEI providentiam*, quæ *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Sap. 8.

SENTENTIA.

PEr providentiam & voluntatem DEI, omnia quæ sunt, convenientem gubernationem accipiunt. *S. Joan. Damasc. l. de fide Orthodox. c. 29.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *PRovidentia* à Boëtio dicitur Prof. 6. *divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit.* Divo Thomæ: *ratio æterna, immutabilis, essentialis, quâ omnia in hoc mundo conservantur, promoventur suo ordine gubernantur, & diriguntur ad suum finem.* Falleris ergò quisquis putas pleráque in mundo, tecum, & circa te, atque alios fieri fortuitò. Sic jussit, sic voluit DEUS: aut certè fieri permisit, velut fini accommodum, quem præfixit.

II. Durum aliquando accidit, & vix non intolerabile, videre alios promoveri ad summa, se negligi: aliis ad votum fluere singula, sibi lævam ubique fortunam instare, & à fronte, & a tergo. Ne inde animô dejiciare! *sic DEO visum.* Magis è re tua est, conformari huic *providentiæ, teque abjectum vivere in domo DEI, quàm*, secretô hujus tibi indignantis consiliô, *toll in altum, ut lapsu graviore ruas.*

III. Facit *humilis* hic *providentiæ divinæ cultus* hominem semper, & ubique sibi constare, né-

que

que adeò in proſperis, & adverſis deficere, ut in illis extolli, in his deprimi eundem contingat. *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ,* velut planè certum, nunquam defore DEUM creaturis ſuam ad gloriam deſtinatis, cui etiam *paſſeres in pretio, & pili capitis numerantur.*

POSTRIDIE S. MATTHIÆ.

S. Tharaſius Epiſcopus.

DIvus hic, primò *conſul:* tum *princeps:* demùm *Archi-Præſul Conſtantinopolitanus*, quantùm dignitate; tantùm profusâ in pauperes liberalitate reliquos inter eminuit. Gratiſſimum cœlo fuit ſpectaculum videre *Tharaſium* quotannis in paſchate numeroſo pauperum gregi, cultu pontificiô indutum, miniſtrantem; juxtáque pocillatoris munus obeuntem. Quantam, putas, retributionem obtinuit ab *eo*, qui nec *calicem aquæ frigidæ* præclarô defraudat præmio? novit ſcilicet eleemoſynam Apoſtolo dici, Philip. 4. v. 18. & reverà eſſe, *odorem ſuavitatis: hoſtiam acceptam, placentem DEO.*

SENTENTIA.

NOn memini me legiſſe malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri. *S. Hieronym.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUantum vili pro ſtipe bonum, numerari non modò inter ſanctos & electos DEI, ſed fieri etiam Filium Patris æterni! *benefacite his qui oderunt vos, ut ſitis Filii Patris veſtri qui in cælis eſt.* Matth. 5. Quàm appoſitè S. Leo. ſerm. 10. de Quadrag. *Ubi DEUS curam miſericordiæ invenit, ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit.* Miſer eſt, quotusquisque dignitatem hanc non tanti facit, quanti vel nummum, vel id, quod indigenti proximo per eleemoſynam ſpiritualem foret impendendum.

II. Si feliciter mori aliquando cupias, qui parcum te oſtendis, & durum erga miſeros? planè, ut *in die mala liberabit Dominus eum, qui intelligit* modò *ſuper egenum & pauperem:* ita æternâ torquebitur indigentiâ, qui cum *epulone divite* panis micas *Lazaro* negaverit. Ut eleemoſyna, juxta Chryſoſt. Homil. 33. ad Pop. tribunali judicis adſtabit, multâ libertate cultores ſuos ab interitu vindicatura: ita immiſericordes nihil minus, quàm miſericordiam conſequentur.

III. Quàm volupe miſericordibus accidet, in decretorio judicii die, cunctis tam formidabili, ipsô Salvatoris ore publicè commendari: *eſurivi, & dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi bibere* &c. Matth. 25. Si omnia tua DEO debeas, imò te ipſum, ut fateris ſæpiùs: ille autem in gloria *bonorum tuorum non egens*, ſubſtitutos ſibi cupiat inopes: cur horum non miſereris? cur *membra* non foves, ut *capitis* favorem obtineas? fortè indigentes ſublevare renuis ne ipſe olim indigeas? ſed audi Sapientem Prov. 28. *Qui dat pauperi,*

non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.

DIES ANTE PENULTIMUS FEBRUARII.

S. Mechtildis Virgo.

QUantùm Virginem hanc ad perfectionis culmen promoverit *DEI præsentia* nunquam cogitatione dimissa, satis declararunt schedæ geminæ, angeli manu è virgineo illius pectore exemptæ. Uni illarum inscriptum videbatur, *DEUS fidelis, & absque ulla iniquitate.* Alteri: *malo mori, quàm à te, ô JESU mi! per crimen separari.* Germana fuit *sanguine* non magis, quàm *virtute* S. Gertrudis: plurimùm à DEO benedicta *Benedicti* proles: *Virginis matris* delicium: *sponsi* corculum: vitæ integerrimæ exemplar. Ut magnis passibus viam perfectionis decurras, idem tibi, quod *Abrahamo*, in momenta singula dictum puta: *ambula coram me, & esto perfectus.* Gen. 17.

SENTENTIA.

HAc solùm ratione fit, ut quis nunquam labatur, si DEUM sibi ipsi semper adesse existimet. *S. Clem. Alexandr. l. 3. Pædag. 5.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUisquis adeò depuduit mortalium, ut nec frœnô memoratæ *DEI præsentiæ* ab obliquo vitiorum in virtutis viam flecti velit,

Digitized by Google

velit, possitque: maximo se in discrimine versari certò sibi persuadeat. Effrictæ nimiùm frontis est *latro*, qui coràm inspectante judice lædere insontem non veretur. Quodnam supplicium par esse possit castigandæ ejusmodi impudentiæ?

II. DEUS, juxta D. Aug. mentem l. 6. c. 3. *Altissimus* est, & *proximus: secretissimus*, & *præsentissimus: ubique totus.* Quid amplius desiderem, quô à peccando absterrear? an verò opus, DEUM, ut præsentiæ suæ fidem adstruat, ipso inflagranti, peccantem me, in imam inferorum abyssum deturbare, ut factum frequenter? nunquam Domine! nunquam eò temeritatis, tuâ cum gratiâ, prolabar. Dicam potiùs ad singulas peccandi occasiones cum castissimo *Putipharis* mancipio Gen. 39. v. 9. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum?*

III. Faciam ergò quod *Mechtildis*, quod *Catharina Senensis*, quod *alii*, *aliæque*. Cellulam in cordis medio JESU *servatori*, & *animæ sponso* construam, ut in occupationibus diurnis, in lapsuum periculis, in negotiis omnibus, quin & ipso virtutum exercitio, consilium à *suavissimo* hoc *inquilino* petam, capiámque. Novi enim verissimum, quod S. inquit Basil. Hom. in Ps 33. *Nisi timor* (DEI) *instituendæ vitæ nostræ rudimenta jaciat: impossibile fuerit sanctimoniam legitimè observari.*

PENULTIMUS DIES FEBRUARII

S. Leander Archi-Epis Hispalensis.

SAcro huic antistiti suam debet conversionem laureatus Christi pugil *Hermenegildus*, *Leovi-*

Digitized by Google

gildi Arriani princeps regius. Dici vix potest, quantâ in *sedem Apostolicam* fuerit observantiâ. Liquidò hanc declarat *submissio*, quâ in controversia quapiam tam non suæ fidit doctrinæ, unanimi etiam circumjacentium Episcoporum judicio sufficiendi quæ solidè causam decideret, ut nec minimùm enuntiare vellet, nisi consultô desuper *S. Gregorio Magnô, Christi* tum temporis in terris *Vicariô*. Vix aliquando aberrat, qui, sibimet suspectus, majorum ductu, quàm suô, rem aggredi mavult.

SENTENTIA.

CUm sapiente & conscientioso viro consilium habe, & quære potiùs à meliore instrui, quàm tuas adinventiones sequi. *Thom. Kemp. l. 1. de Imit. c. 4.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm verè *Bernardus: quisquis se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* Plurimorum errorum causa in rebus etiam *momenti maximi*, alia plerúmque non est, quàm quòd nostrô nixi judiciô, aliorum consilia vel negligimus, vel quod pejus, spernimus. Jure ergò non rarò facit DEUS *avolare à nobis doctores nostros*, ut serò experiamur, quam pronum *homini* sit, si sanô destituatur consiliô, ab errore uno prolabi in alium.

II. Quàm necesse est aliorum te consiliis regi: tam tibi opus est cautelâ maximâ, in deligendo, qui te regat, consiliario. *Consilium semper à sapiente*

piente require, monet ſenior Tobias. c. 4. v. 19. Fruſtra ab incurio ſalutis ſuæ media exſpectes, quibus tuam promoveas: aut à jurato vitutis hoſte, illius amorem tibi implantandum ſperes. *Conſiliarius* ergò *ſit tibi unus de mille* Eccl. 6. v. 9. Iſtéque continuis à DEO precibus expetatur.

III. Qui frequentioribus *ſcrupulis* anguntur, plurimum opus habent fidô *conſiliariô*. Etſi enim ſcrupuli quandóque ſint, & à nonnullis ſanctorum credantur tentationes dæmonis: tamen & hi non rarò utiles ſunt ad purgandum, & exercendum animum. Qui interim præ aliis tales ſint, qui minùs: ex conſcientiæ moderatore intelliges. *Ne*, quæſo! hîc *innitaris prudentiæ tuæ*. Prov. 3. v. 5. eſſet enim *hæc* nullô diſcrimine melior *prudentiâ carnis*, proprio ex amore profecta, ſuperbiam olens, atque ideò *inimica DEO*.

ULTIMUS FEBRUARII.

S. Romanus Abbas.

SI ad mentem D. Baſilii in Epiſt. *pax, & manſuetudo characteres ſint animæ piæ*: piiſſimus fuerit hic Abbas, neceſſe eſt. Suâ enim manſuetudine, quæ maxima fuit, adeò omnium animos ſibi tributarios fecit, ut convictum ejusdem ambirent omnes, ſocietatem expeterent ſinguli. Mirum illi in morbos imperium, *lepram* præſertim, quam tetigiſſe ſolùm, ſanâſſe fuit. *Virginitatem*, unacum germano ſuo *S. Lupicino*, à teneris coluit: utque ſecuritati ejusdem proſpiceret ampliùs, ſolitudinis, quoad vixit, amantiſſimum ſe

probavit. Hiſce virtutibus, ſuperûm, hominúmque favor emitur.

SENTENTIA.

MItis eſt, quem nec rancor, nec ira afficit, ſed omnia æquanimiter ſuſtinet: non irritat, non nocet, non nocere cogitat. *S. Hieron. in Gloſſ. ſuper Matth. c. 5.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurima ſunt *manſuetorum* decora, quæ eosdem & DEO, & hominibus reddunt amabiles. *Manſueti* enim quidquid demum accidat, in bonam, quantùm fieri poteſt, trahunt partem: & ſi aliquando pro officii ratione mala punire iis incumbat, ipſa *ſeveritas* neſcio quid dulce præſefert: ſecurúmque reddit delinquentem, fieri ejusmodi correctionem *cum dilectione hominum, & odio vitiorum.*

II. Nihil à *manſuetis* tam alienum, quàm *frivolis* agitari *ſuſpicionibus*, quæ ſolæ propemodùm maximum non rarò fomitem miniſtrant *iræ*, atque *averſioni*, ergà alios conceptæ. Primò manſueti zelantur ſeipſos, & ſeverè: tum proximos, néque amplius, quàm admittat, & exigat utrorúmque ſtatus, & obligatio. Portant alios, ut portentur & ipſi: pro eodem habent verſari vel cum ſui ſimilibus, quod facilè: vel cum duris, rixoſis, diſcolis &c. quod raræ virtutis.

III. Suam hanc *manſuetudinem*, & *pacem animi* primò fundant in heroica injuriarum quarumque tolerantia; ſemper minora ſe paſſos arbi-

trati,

Digitized by Google

trati, quàm culpis eorum debeatur. Læsi non lædunt, sed remittunt. Imò, ubi in vicem nocere facilè possent, parcunt. An talis tua est *mansuetudo?* an verò illorum tribui adscriberis, de quibus Bern. queritur super Cant. *Sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur, nec agitur, nisi, pro eorum arbitrio. Patebit autem, quàm longè sint à vera mansuetudine, si levis oriatur occasio.*

FESTA MARTII.

I. MARTII.

S. Siviardus Abbas.

MAximi, uti par est, sanctus hic Abbas DEI gratiam fecit. Attentiùs fortè cœteris mortalibus expenderit, quàm sine illa nihil penitùs possimus: & quàm cum illa nihil non possimus. Ut suos ad parem gratiæ æstimationem induceret, moriturus dicebat: *videbit quivis, quàm bene nobis voluerit DEUS.* Ejus anima corpore soluta, divorum Archi-Apostolorum manibus in cœlum deportari visa est. Utique minorem in te gratiæ æstimationem arguunt frequentes adeò ejusdem neglectus.

SENTENTIA.

PUnitione gravi dignus est, qui sæpiùs DEI gratiam contempsit, *S. Greg. Homil. 37. in Evang.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UNicum conſervandi divinam gratiam, & augendi, medium eſt, exercitium bonorum operum. Hæc porrò non facilè adeò intermitteres, ſi puriori mentis oculô, quàm eximiam gratiæ dignitatem; tam mirabiles ejusdem effectus intuereris. Plurimùm præſtat in anima, quam condecorat: neque hæc rei cujuspiam jacturam facere poteſt tam dolendam, quàm gratiæ.

I. Anima per peccatum mortua nonniſi gratiâ DEI reviviſcit. Hâc ipsâ ab omni ſcelerum ſorde perpurgata, ſuper nivem dealbatur, ac eam induit pulchritudinem, quâ major res inter creatas reperiri nequit. Ditatur præterea in tantum, ut ipſius divinæ naturæ conſors efficiatur, cum, teſte angelicô doctore, minimus gratiæ gradus, tanquam participatio quædam divinitatis, infinities præſtet omnibus mundi divitiis & theſauris.

III. Sola DEI gratia animam tuam facit eſſe regiam ſummi DEI, & verum circa te reddit æternæ veritatis effatum Luc. 17. *Regnum DEI intra vos eſt.* Allicit illa totam ſanctiſſimam triadem, ut cum Patre Filius: cum utróque Spiritus ſanctus ad te veniant, & manſionem apud te faciant: quô quid meliùs unquam exſpectes? ne verò putes ad profectum tuum ſpiritualem perinde ſe habere, te hâc DEI gratiâ vel eſſe inſtructum, vel deſtitutum: certiſſimum habeto, quod Thom. Kemp. DEO aſſerit l. 3. de Imit. c. 60. *Opus eſt gratiâ tuâ, & magnâ gratiâ, ut vincatur natura, ad malum ſemper prona ab adoleſcentia ſua.*

Digitized by Google

II. MARTII.

S. Ceadda Epiſc.

ASſidua judicii extremi memoria *S. Ceaddam* promovit ad ſanctitatem eximiam. Decretorium illum diem ipſos etiam ventos, tonitrua, & fulmina, quæ calidior æſtas aliquando excoxerat, adumbrare ſibi credebat. Vitam in continuo DEI timore traductam mors alia ſubſequi non potuit, quàm planè ſecura: quæ ſeptem priùs, quàm accideret, diebus ab angelico prænuntiata choro, cœleſti etiam ſymphoniâ facilior, ſuaviórque fuit reddita. Ne ibi ſit quod timeas, hic, atque modò *cum timore & tremore operare ſalutem tuam.*

SENTENTIA.

SI quando ſenſeris ab appetitu ad peccandum te pertrahi: velim cogites horribile illud & intolerabile Chriſti tribunal, in quo præſidebit judex in alto, & excelſo throno; adſtabit autem omnis creatura ad glorioſum ejus aſpectum contremiſcens. *S. Baſil. in Pſ. 13.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUotquot vitam hanc agimus mortales, non ſecus nos habemus, atque operarii, ab æterno Patre pro denario beatæ felicitatis conducti. Veſperum ſingulis ſtatuet decretorius judicii dies: imò mors cujúsque propria. Vocabuntur tum à DEI Filio, cui Pater omne dabit judicium, electi pariter, & reprobi,

ut pro ſuorum qualitate factorum, vel præmientur æternùm, vel æternùm puniantur. Miſera ſanè peccatoris conditio, ſi veternô gravi depreſſus, uti olim *Jonas*, non evigilet ad impendentem toti orbi ruinam.

II. Si ea etiam opera, quæ videntur homini bona, ſeverè tum diſcutienda ſint: quàm diſtrictum porrò judicium peccata manebit? examinabitur verò circa opera, quæ bona dicimus, intentio, quâcum facta ſunt: an aliquid, & quantùm vanæ gloriæ iis fuerit admiſtum? an ſincerâ erga DEUM obſervantiâ peracta ſint: an verò ex conſuetudine ſolum frigidâ? an tempore ſuô, vel alienô? an dimidiata tantùm, an integra? hoc ſcilicet eſt *ſcrutari Jeruſalem in lucernis*.

III. Poterit utique ſeria horum memoria non à peccato retrahere tantùm, ſed efficere prætereà, ut bonum, quod acturi ſumus, ſingulâ ſui parte ſtudiosè examinemus, nequod malum diſſimulanter ſe illi adſoeiet, & ſubinde corrumpat. Sic ſanctorum plurimi, vel ſolâ judicii hujus memoriâ, in timore Domini inſtanter ſe tenuerunt: quos quidem imitari ſi peccatorem non pigeat, præeliget modò cum *D. Hieronymo* pectus ferire ſilice, quàm vociferari olim deſperatum illud: *Montes cadite ſuper nos, & colles operite nos.* Luc. 23.

III. MARTII.

S. Cunegundis Imperatrix.

PRodigium orbi videbatur, ſanctiſſimos hos conjuges *Henricum*, & *Cunegundem* tam nihil habere affectûs ad licitas etiam conjugii voluptates, ut vir-

virginitatem ad mortem úsque ſervarent intaminatiſſimam. Petita aliquando calumniis imperatrix Virgo, tanquam rea foret læſæ fidei conjugalis, ſatis ſuam probavit pudicitiam, ubi candentem vomerem pedibus nudis illæſa, non ſemel tantùm, ſed decies quinquies calcavit. Mortuô imperatore, religioſo Virginum cœtui Virgo ſe aggregavit, continuatura cum illis, quam pridem cœperat, vitam cœleſtem, ut eam appellari vult Chryſologus: ſerm. 143. *In carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis.*

SENTENTIA.

NEmo aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuô. Et ideò non poſſunt cujusquam falſô judiciô eſſe miſeri, qui ſunt verè ſuâ conſcientiâ beati. *S. Salvianus l. 1. de Provid.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ETſi indubium ſit, vix majus aliud in hoc orbe malum eſſe, quàm calumniis falsò impeti, atque in fama lædi: cùm & ſapiens in proverbiis dicat c. 22. v. 1. *Meliùs eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ:* æquè tamen certum eſt, non rarò plus torqueri nos nimiâ calumniarum apprehenſione, quàm verâ earundem gravitate. Magis in hac re, quàm alibi, blandiri nobis conſuevimus, faciléque proprius amor, infidus nimiùm plaſtes, elephantum è culice fingit.

II. Quodſi enim calumniis divexari nos contingat: vel noſtrô ipſi vitiô hominum in nos acuimus ora? & fruſtrà ægrè ferimus, cujus cauſam

poſuimus: neque tam de vindicta nobis cogitandum tum eſt, quàm de emendatione: vel innocentes talia patimur? & beati ſumus veritatis æternæ teſtimoniô, multáque in cœlis olim mercede donandi. Minùs ſanè felicitatem æternam æſtimat, qui ne verbulô quidem injuriosô dignam credit.

III. Plurimùm denique refert, fractône, an invictô animô hæc calumniantium tela excipiamus. Quod ſi hic cereus ſit, imò mollis, & laneus: quid mirum, ſauciari graviter? ſi verò, velut ex ære fuſus, teſtimoniô conſcientiæ bonæ ſe obarmet, ſicque ſui ſecurus vel DEO vindictam relinquat integram: vel, quod auguſtiús, etiam hanc pro inimicorum bono ex charitate deprecetur: non modô nullô lædetur vulnere, ſed jacula magis in ipſummet recident adverſarium. *Plus improbum lædis ſuſtinendo, quàm ulciſcendo.* Tertull.

IV. MARTII.

S. Caſimirus Poloniæ Princeps.

SIleant licet cætera, loquetur tamen *Caſimirum*, & palàm orbi, ceu præſtantiſſimum Virginis cultorem, exhibebit vel unus Integritatis amor. Suaſerant medici, frœna tantiſper carni laxaret, nî juvenis obire vellet. Quid hîc *Caſimirus*? vitæ jacturam facere, quàm pudicitiæ maluit. Hunc porrò theſaurum ut ſervaret cautiùs, quia in vaſe fictili repoſitum, ciliciis, flagellis, humicubationibus uſus eſt. Virgineum ejusdem corpus, quinquageſimô ab obitu ſupra centeſimum annô, integerrimum comparuit, junctô illi hymno Maria-

rianò: *Omni die* &c. *Caſimiro*, dum viveret plurimùm familiari. Fruſtra te Virgini devotum credes, qamdiu caro imperat (vitiô tuô) ſpiritui.

SENTENTIA.

MAgnum quiddam, & præclarum Virginitas eſt, quæ, ut totum ſimul explicem, hominem incorruptibili DEO ſimillimum facit. Hæc autem profectò non à corporibus ad animas manat, ſed cum incorporalis animæ propria & præcipua ſit, ejus pretioſiſſimâ integritate, corpora quoque incorrupta ſervantur. *S. Baſil. l. de vera Virgin.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUid ampliùs ad puritatis commendationem poterat dixiſſe *S. Baſilius*, quàm iſthâc Deo incorruptibili ſimillimos nos fieri? ſi porrò DEUM quâvis creaturâ purâ intenſiùs amet Virgo DEIpara: quî non amabit pariter, atque unicè, DEO tantum aſſimilatos? felicem te, anime mi! ſi habeas, unde DEO, unde DEIparæ placeas.

II. Ipſa integritas virginalis tam decora eſt & præcellens, ut paulò attentiùs expenſa, non poſſit non æſtimari plurimùm. Veluti ſol minora inter ſidera; ſic reliquos inter hominum ſtatus reſplendet. Centeſimô ſementis Evangelicæ fructu adumbratur, immortali memoriâ digna. Typus eſt reſurrectionis beatæ, in qua pariter *néque nubent*,

bent, néque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli DEI in cælo.

III. Si, ut placet Doctori angelico, 2. 2. q. 151. a. 2. ad 2. Ariſt. l. 2. Eth. c. 15. caſtitas à caſtigatione dicatur: quis ambigat hanc illi conſervandæ non modò utilem, ſed apprimè neceſſariam? Noverat *Caſimirus* hoc genus dæmoniorum, nec expelli, néque caveri, niſi oratione & jejuniô, cæterisque auſteritatibus, quibus caro in ordinem redigitur. Iis proinde continuò uti voluit, ne illa molliùs habita contra ſpiritum inſoleſceret. *Ardentes diaboli ſagittæ, jejuniorum, & vigiliarum rigore extinguendæ ſunt.* S. Hieron. Ep. ad Furiam.

V. MARTI.

S. Conon Conf.

ÆGrè hunc ſanctum habuit præpoſterus Parentum amor, quô odioſas obtrudere nuptias moliebantur. Vicit tamen *Cononis* conſtantia in tantùm, ut ſponſa quoque illius ſuaſu *Chriſto* ſeſe Virginem æternùm deſponderet. Angelum habuit magiſtrum, a quo edoctus eſt, quâ reverentiâ par eſſet divinis intereſſe myſteriis, & frequentare cùm alia; tum potiſſimùm auguſtiſſimum ſacroſanctæ *Euchariſtiæ* Sacramentum. Minerval aliud non pendit huic ſuo doctori, quàm cor docile, & ſedulam moniti executionem: nec porrò melius pendere potuit. Quàm metuo, ne frequentiùs noſtra erga divina devotio conſuetudinaria potiùs ſit & frigida, quàm à fervido in DEUM amore imperata!

SEN-

SENTENTIA.

VÆ tradentibus *Chriſtum* ad crucifigendum! ſed, Væ cum maligna conſcientia ſub Sacramento ſumentibus illum! etſi enim non tradant Judæis ad crucifigendum: tradunt tamen ipſum membris inimici ad ſumendum. *S. Remig. in gloſſa ſup. Matth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INgenioſiſſimum divini amoris inventum fuit inſtitutio Sacramentorum. Sunt enim, ut aſceta quidam inquit: *Pharmacopolia* ſeptem: *fontes* ſeptem: *veſtiaria* ſeptem: *arcæ* ſeptem, unde ſibi mederi infirma; unde ſe abluere ſordida; unde ſe veſtire nuda; unde ſe exornare informis valeat anima. Planè *Sacramenta novæ legis pauciſſima, facillima, ſed præſtantiſſima ſunt. S. Auguſt. Epiſt. 118.*

II. Hæc inter citra controverſiam excellentiſſimum eſt auguſtiſſimum *Euchariſtiæ* Sacramentum: ex eo enim plurimùm elucet maximus DEI in hominem Amor: qui, etſi per varios gradus ſe prodiderit, ut obſervat *Angelic. Opuſc. 58. c. 3.* dum primò DEUS in gratiam hominis univerſum hoc ex nihilo condidit: ſecundò hominem conſtituit ſuper omnia manuum ſuarum opera: tertiò ipſe DEI Filius formam ſervi accipiens *habitu inventus eſt ut homo*: quartò doctor nobis eſſe voluit, *viáque, veritas, & vita:* quintò denique in crucis ara pro nobis Patri æterno ſatisfecit: complementum tamen fuit amoris, quando

idem

idem DEI Filius homini carnem ſuam dedit in cibum, ſanguinem in potum, animam in pretium, Deitatem in condimentum, ut loquitur *Albertus M.*

III. Quî tamen fieri putas, quôd crebrô ſacramentorum uſu non melior fias, ſed vel in antiquo hæreas luto: vel non rarò deterior etiam evadas? utique tua indiſpoſitio in cauſa eſt. *Auguſtinum* audi: *Sacramenta talia cuique fiunt, qualis accedit. L. 2. contra. lit. Petil.*

VI. MARTII.

S. Coleta, V.

HÆc ſacri ordinis divæ *Claræ* reformatrix, primò in ſe reformaverat cognatam hominibus nobis molliciem, quâ adverſi nec minimùm cum Chriſto, ac pro Chriſto pati volumus, quando continuâ ad ſponſum ſuum prece obtinuit, ut omnia Martyrum tormenta vivaciſſimô ſenſu in ſe experiretur. Adjecit illa, tanquam levia forent quæ patiebatur, rigidiſſimum quadraginta dierum & noctium jejunium: duriſſimas item anni integri vigilias. Præmium tantæ ſui victoriæ recepit favores ampliſſimos, crebras allocutiones, quibus dignabatur illam ſervator: è cujus etiam diviniſſimis manibus ſacram aliquando communionem percepit. Quî olim cum Chriſto conglorificaberis, ſi modò non compatiaris?

REFLEXIO.

NUnquam eſt virtus patientia in proſperis: ille verò patiens, qui adverſis conteritur, & tamen aſpectu ſuæ rectitudinis non curvatur. *S. Bern. l. 2. de Conſid.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. PRiusquam cum hac Virgine duriori-bus exerceri a DEO poſtulemus, neceſſarium omnino eſt, aſſueſcere nos quotidianis, quibus premimur, maſculè perferendis: quæ quantumcunque ſint modica, ſic tamen ſæpiùs nos dejiciunt, ut nihil conſtantiæ nobis remaneat. Jure tum DEUS nobis exprobret, quod *Jobo* familiarium aliquis, etſi injuriè: *ubi eſt fortitudo tua? ubi patientia? Job. 4.*

II. Si fide credas DEUM, mali omnis (unum excipe peccatum) eſſe auctorem: fierique ſuavi ejus providentiâ, ut electis omnia cooperentur in bonum: indignum ſanè eſt, adverſis adeò nos commoveri, ut cum reprobis temporaria captare ſolatia malimus, & æternis ſubinde deſtitui: quàm temporaliter caſtigari, & æternùm gaudere. Gaudete quotquot hæretis in camino humiliationis: *quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

III. Tam pius eſt DEUS, ut id, quod patimur in corpore, frequenter velit ejus ſupplere vicem, quod in flammis purgantibus paſſuri eſſemus in anima. Quàm cuperent modò, qui in purgatoriis ignibus ſunt, omnibus vitæ ſuæ diebus vel cum *S. Servulo* Paralyſi; vel cum *S. Galla* Romana Leprâ laborâſſe continuâ! vel ex nunc igitur memoriæ commendemus apoſtoli dictum: *id quod in præſenti momentaneum eſt & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloria pondus operatur in nobis. 2. ad Corinth. 4. v. 17.*

VII.

Digitized by Google

VII. MARTII.

S. Thomas Aquinas.

BIs *Angelici* dignus nomine, à doctrinâ scilicet, & puritate, utráque summâ. Hanc posteriorem labefactare quidem studuerat perditæ vitæ ac famæ fœmina: sed prævenit *Aquinas* ignibus ignes, & titione lupam fugavit. Victor à genio tutelari baltheum accepit, quô præcinctus nullam deinceps à carnis pruritu molestiam est passus. Utne scientiâ inflaretur, studia sua in unum gloriæ divinæ augmentum directa voluit, ipsiusmet veritatis æternæ, è cruce pendulæ, testimoniô commendatus. Dicere sæpè solebat, non capere se, quî homo lethalis culpæ reus, in tanto æternæ damnationis periculo, ridere unquam audeat & lætari. Utinam serió hoc expendant, qui nullô judicii divini metu scelera scelebribus accumulant!

SENTENTIA.

SUnt qui scire volunt eô fine tantùm, ut sciant, & turpis curiositas est: & sunt qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, & turpis quæstus est: & sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est: sed sunt quòque qui scire volunt ut ædificentur, & prudentia est. *S. Bern. serm. 36. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUantumcunque molesta nobis accidat lucta illa carnis adversûs Spiritum: occasio tamen est meriti maximi, si Spiritus pro

pro ſuo in carnem imperio expugnari ſe non patiatur. Proventus, quem DEUS hac cum tentatione facit, præcipuus eſt, quòd unum aliquando actum heroicum ſubſequatur continua paſſionum victoria, quies, & concordia legis membrorum cum lege mentis.

II. Plurimis profuit arcanô DEI judiciô nunquam ad altam pertigiſſe ſcientiam: quam fortè relaturi nunquam fuiſſent ad finem illi debitum, gloriam ſcilicet ſapientiæ increatæ. Raræ profectò virtutis eſt, religiosè adeò negotiari aliquem cum talentis ſibi concreditis, ut ea aliquando neque defoſſa, neque neglecta in duplo reddat.

III. Demus tamen ſcire te plurima: quantò interim potiora ſunt quæ ignoras? quanta in quibus meriſſimâ opinione duceris? velimus, nolimus: verum manet *Ariſtotelis* effatum: ignorantiam magis eſſe homini propriam, quàm ſcientiam. Una igitur *ſanctorum ſcientia* curæ nobis ſit, ac *noſtri cognitio:* adjicientur tum deſuper, quæ citra ſalutis noſtræ aliorumque diſpendium ſcire nos expedit. *Noveris*, inquit S. Bernard. de Conſid. ad Eug. Pap. c. 3. *licet omnia myſteria noveris lata terræ, alta cæli, profunda maris: ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento: ruinam, non ſtructuram facies.*

VIII. MARTII.

S. Philæmon, M.

RIſum facturus *Philæmon* ſpectatoribus, cœlo quoque delicias fecit, ubi in theatro velut per fabulam tam ſcitè Chriſtianum egit, ut ſeriò

demum unà cum ſociis exueret idololatram. A cœleſti manu aquá primùm: tum propriô luſtratus eſt ſanguine, quando flagris diriſſimè cæſus, tum trajectis ferro pedibus per urbem raptatus, meta & ſcopus ſagittis fieri debuit. Exerrárunt tamen illæ, *centrum* hoc velut reveritæ. Una etiam revolans, oculum judicis Arriani corporeum excuſſit, internum aperuit, & abſterſô, quô obfuſcabatur hactenus, idololatriæ glaucomate, puriorem reddidit. O ſi ſuam Chriſtiani quique perſonam ſic ſuſtineant, ut ne nugari potius, quàm agere ſeriò cenſeantur!

SENTENTIA.

SI bonum eſt bonum eſſe, ut quid vis apparere, quod non vis eſſe? ſi malum eſt malum eſſe: ut quid vis eſſe, quod non vis apparere? melius eſt bonum eſſe, ſi malum eſt, malum apparere: pejus, malum eſſe; ergo aut appare, quod es: aut eſto, quod appares. *S. Chryſoſt. ſuper Matth.* 7.

REFLEXIO.

PUNCT. I. FAciliùs nihil eſt, quàm hominem homini imponere. Infirma enim oculorum acies extera ſolùm aſſequitur, non interna. Et hæc cauſa eſt, cur mortalium plures *boni* videri, quàm *eſſe* malint: malint *bene dicere*, quàm *facere*: malint denique diſplicere DEO, quàm hominibus: cujus tamen DEI æquiſſimô judiciô patebit olim, quàm verum ſit, quod Auguſtin.

guſtin. inquit in Pſal, 63. *Simulata æquitas, non æquitas eſt, ſed duplex iniquitas: quia iniquitas eſt, & ſimulatio.*

II. Quid ergò aliud agunt ejuſmodi, quàm in comœdiis hiſtriones, quorum unus finis, vanus populi plauſus? ſtolidus hic gloriæ pruritus *vermiculus* eſt, intimas operum bonorum radices rodens: *latrunculus* eſt eos ſpolians, qui theſaurum publicè portant, ut loquitur S. Gregor. *Homil. 11. in evang.* De iſto verò *Hypocriſeos* vitio inquit S. Aug. *ſerm. 29.* de temp. *Hanc maculam non habere, aut paucorum, aut nullorum eſt.*

III. Ut tamen finitâ *fabulâ* patet, qualis quisque fuerit: ita olim patebit, an verè boni fuerimus, an apparuerimus tantùm: quando nimirum aperientur libri conſcientiarum, diceturque de ſingulis: *ecce homo & opera ejus!* videbimus tum, quàm aduituri ſint, qui hominibus tantùm placere ſtuduerunt: *recepiſtis mercedem veſtram.* Verè ergo, *qui pro virtute quam agit humanos favores expetit, rem magni momenti vili pretiô venalem portat.* S. Greg. l. 8. Moral. c. 28.

IX. MARTII.

S. *Franciſca Romana.*

SI, apoſtoli præceptô, viduæ ſunt honorandæ, quæ verè viduæ ſunt: quæ vidua honore dignior *Franciſcâ*? fuit enim quàm in hoc ſtatu, tam in conjugali, raræ omninò virtutis: exactiſſimæ erga maritum obedientiæ: quam, ut illi, tanquam ipſi Chriſto, præſtaret integerrimam, non rarò

pietatis exercitia ſeponere ſolita eſt. Unde & contigit reperire illam aliquando verſum ex Officio B. Virginis, quem amore obedientiæ interruperat, aureô abſolutum charactere. Ei tutelaris angelus ſemper fuit ſpectabilis: ipſe prætereà angelorum Rex, parvuli habitu, à parente Virgine non rarò in ſinum datus. Sic ſcilicet DEUS honorare conſuevit obedientiam & ſubjectionem, homini ab homine propter ſe præſtitam.

SENTENTIA.

VErus obediens mandatum non procraſtinat, ſed ſtatim parat linguam voci, pedes itineri, manus operi: & ſe totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis. *S. Bern. de præcept. & diſcipl.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ERudit hæc Matrona quàm religioſos, tam alios, qualiter ſuis ſubdere ſeſe ſuperioribus debeant. Nec enim erit, qui non aliquem ſe ſuperiorem habeat, cùm (juxta apoſtolum) *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus* debeat eſſe *ſubdita.* DEUS certè, *Magnus Dominus*, univerſalem ab omnibus exigit obedientiam: quam tamen non præſtant perfectam, niſi qui incedunt *in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.*

II. Primum hominis vitium *inobedientia* fuit: quæ quàm DEO diſplicet; tam ex oppoſito placet obedientia. *Abrahamo* promiſſa fuit ampliſſima benedictio, quòd obediiſſet in re ſummè ardua.

Per-

Perfecta *Joſue* obedientia DEUM in vicem obedire fecit *voci hominis.* Denique *David* non aliunde audiit *vir ſecundùm cor DEI*, quàm, quia cum veritate dixit: *ſervavi mandata tua & teſtimonia tua. Pſal. 118.*

III. Sive igitur DEUS imperet, ſive hujus *Vicarius*: tantùm non agamus ut rebelles in *Moyſen* Hebræi, ne viciſſim audiamus quod iſti: *non eſt murmur veſtrum contra nos, ſed contra Dominum.* Exod. 16. Potiſſimum obediendi motivum ſit, quòd non ſit *poteſtas*; *niſi à DEO*: & *DEI ordinationi reſiſtat, qui poteſtati reſiſtit.* Magna verè obedientes corona manet. *Vir obediens loquetur victorias. Prov. 21.*

X. MARTII.

Sancti XL. Martyres.

DIrùm ſæviit in innocuos martyrum artus rigidiſſimum gelu, ſed nihil potuit in vivaciſſimas divini amoris flammas, quibus ab intus ſuccenſi ſuaviter arſerant. Afflixit ſolummodò, & plus quam tormenta alia, quadrageſimi defectio & turpis Apoſtaſia. Cujus tamen uti locum; ita martyrum vota ſupplevit janitor, frigidiſſimum ingreſſus lacum, & acerbô cum cæteris crurifragiô conſumptus, dum alter in ſtatutis ad littus balneis jamjam in amore DEI refrixiſſet penitùs, & paulò poſt à minuto hoc corporis refrigerio delapſus eſſet in ſtagnum ignis ardentis. Solum qui perſeveraverit usque in finem, ſalvus erit.

SENTENTIA.

PErſeverantia eſt unica filia ſummi regis: finis virtutum, earúmque conſumma-

tio, totiúsque boni repoſitorium, & virtus, ſine qua nemo videbit DEUM, *S. Bern. in epiſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm verè S. Bern. de modo bene viv. *inchoantibus præmium promittitur, ſed perſeverantibus datur.* Quantamcunque operam virtuti impendas, actum agis, nî perſeveres. Quanta verò jactura in vitæ termino, unô inconſtantiæ vitiô, tot perdi bona! an non talibus jure dicatur? *ſeminâſtis multùm, & intuliſtis parùm &c. Et qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Aggæi. 1.

II. Modum aſſueſcendi perſeverantiæ vel à Gentili diſcamus: *pro fine*, inquit Seneca Epiſt. 35. *& ante omnia hoc cura, ut conſtes tibi. Quoties experiri voles an aliquid actum ſit; obſerva, an eadem velis hodie, quæ heri.* Velle hodie ſummum ſanctitatis apicem ſcandere: cras leviſſimô paſſionis impulſu in ima vitiorum prolabi, quid aliud eſt, quàm eſſe *arundinem ventô agitatam?*

III. Bonum fuerat *Judæ* proditoris initium: bene cœperat *Saul*: optimè *Salomon*: dignè DEO *Tertullianus*, *Origenes* (prô, quanta Eccleſiæ lumina!) miſerabilis tamen fuit ſingulorum ruina, deficiente *virtutum complementô*. Hæc cùm ſpecialiſſimum DEI donum ſit: calidiſſimis ab hoc precibus in momenta ſingula eſt poſcenda. Divo *Auguſtino* miſerè aliquamdiu in piè propoſitis fluctuanti, ipſum hunc ad ſe recurſum DEUS monſtravit, eum intus ſic alloquendo: *quid in te ſtas*

&

& non ſtas ? projice te in eum : noli metuere, non ſe ſubtrahet ut cadas. L. 8. Conf. c. 11.

XI. MARTII.

S. Sophronius Jeroſolymorum Epiſc.

TOtus erat *Sophronius* in perdiſcendis litteris, & conquirenda ſibimet doctrina non vulgari, quòd probè nôſſet, præſulem culpâ ſuâ indoctum, *abominationi deſolationis, ſtanti in loco ſancto*, eſſe quàm ſimillimum. Varia hunc in finem ſuſcepit itinera, non aliorum conſuetudine plus delectari ſolitus, quàm doctorum. Aſſiduitas legendi cœcum reddidit : viſum tamen à DEO *SS. Joannis* & *Cyri* operâ recipere meruit, quòd more, doctiorum pluribus non usque adeò familiari, ad DEI mentem ſtudiorum ſuorum rationem nunquam non exegiſſet. Hoc demum eſt, eſſe doctum, nôſſe, quinam finis rei cuilibet debeatur.

SENTENTIA.

NOn probatur multa ſciens, ſi modum ſciendi neſciat. *S. Bern. ſerm. 36. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ETſi juxta celeberrimum *Innocentii* canonem, *imperfectum ſcientiæ ſupplere poſſit perfectio charitatis :* certum tamen, ignorantiam non modò plurimùm dehoneſtare ſtatum eorum, qui *curam animarum* gerunt : ſed & ſeipsâ fœcundam eſſe parentem plurium vitiorum. Si Prælati & Paſtores quique *ſpeculatores* ſint : quî ſuô ritè fungentur munere, ſi culpabiliter ignorent, quâ viâ hoſtis irruat. *Non omnis*

ignorans immunis eſt, ſed is ſolùm, qui non habuit, unde diſceret. S. Aug. in qq. ex utroq. teſtam. q. 67.

II. Seriò DEUS minatur apud Oſeam: quia *tu ſcientiam repuliſti: repellam te, ne ſacerdotiô fungaris mihi.* c. 4. Ubi acutè advertit æternæ memoriæ P. Paulus Segneri, *Inſtruct. Confeſſ. c. 1. non* dicere DEUM: *repellam te, ne ſacerdos ſis mihi*: ſed: *ne ſacerdotiô fungaris mihi*: tanquam DEUS ipſe imperitos ejusmodi ſacerdotes ſuſpendat, ne munere tam ſublimi cum tanto animarum præjudicio fungantur.

III. Doctrina igitur optima conditura eſt ſtatûs paſtoralis. Hâc tamen etiam ipsâ utendum ſobriè, ne *inflet* potiùs quàm *ædificet.* Rarum eſt ſcientiâ præcellentem non titillari à ſuperbiæ ſpiritu. *Neſtorius, Arius, Eutyches, Pelagius*: quanta eruditionis portenta! ſed quanta etiam Eccleſiæ probra! hos in ruinam egit doctrinæ non *uſus*, ſed *abuſus.* Adeo verum eſt, ubi hic metuitur, S. Hieronymi effatum: *de duobus imperfectis, meliùs eſt ruſticitatem ſanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem.* Ep. ad Nepot.

XII. MARTII.

S. Gregorius Magnus.

MAximus dici debuerat ab humilitate profundiſſima, quæ ferè una hominem *magnum, majorem*, vel *maximum* facit, prout illamet fuerit, *magna, major*, vel *maxima*: *profunda, profundior, profundiſſima.* Dictus à toto fidelium cætu pontifex ſummus, ſe ipſum dixit, *ſervum ſervorum DEI. Ruſticam* primæ nobilitatis fæmi-

fæminam, quæ ad litterarum calcem ejus se famulam nuncupaverat, id porrò agere prohibuit: ipse sacerdotes fratres; clericos filios suos appellare solitus. Abbati de genu eum salutanti, pariter adgeniculatus, surgere priùs noluit, quàm alter humô se levâsset. Quàm exactè observavit ecclesiastici monitum *Gregorius*, tanquam uni sibi dictum fuisset: *quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Eccl. 3. v. 28.

SENTENTIA.

PErseverare dilectissimi in disciplina quam suscepistis, ut per humilitatem ad sublimitatem ascendatis: quia hæc est via, & non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potiùs, quam ascendit: quia sola est humilitas, quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam. *S. Bern. serm. 2. de Ascens.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CErtum est, tantò fore quemvis altiorem in vita beata, quantò humilior fuerit in hac mortali. Robur hoc accipit ab opposito: *Lucifer* enim cùm tantùm superbiâ deliquisset, ut ipsi etiam *altissimo* similis esse cuperet: in tantam probrosæ humiliationis abyssum projectus est, ut inter creaturas omnes abjectissimus modò sit. Præstat igitur ascendere descendendo, quàm ascendendo eò prolabi, unde resurgere nequeas.

II. *Humilitas* virtutum radix est. Quò profundiùs hæc intrà terram proprii contemptûs ab-

ſconditur, eò altiùs excreſcunt illæ. Quantus virtutum apparatus in una MARIÆ anima! quàm verò ineffabilis etiam *humilitas*! audiamus interim quid de iſta Bernardus ſentiat: *ſine humilitate, audeo dicere, nec MARIÆ virginitas DEO placuiſſet.* homil. ſuper Miſſus.

III. Quodſi nec ſervatoris, nec ſanctorum ſufficere poſſint exempla ad perſuadendam nobis *humilitatem*: eam ſaltem nobis perſuadeat propria noſtra *vilitas.* Ex nihilo conditi ſumus, in nihilum deſituri. Sine DEI gratia tam nihil poſſumus, ut nec unicam etiam cogitationem piam formare ſufficientes ſimus. Corpus, quid aliud, quàm ſordium cloaca? quid animus, quàm defectuum & vitiorum ſedes? quid homo uterque aliud, quàm mille miſeriarum ſcopus? dicat humiliter & ſeriò quivis cum D. Auguſtino Conditori ſuo: *quid ego ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps?* L. 4. conf. c. 1.

XIII. MARTII.

S. Euphroſina V.

SEptennis Virguncula, quam *Euphroſiam* alii dicunt, tanti fecit vitam religioſam, ut cum illuſtri ſua parente aliquot in Thebaide Monaſteria obiens, in ea jamdam ætatula ſacras inter virgines perpetuam ſe Chriſto ſponſam, conceptô etiam virginitatis votô, devoveret. Plurimùm tamen inibi moleſtiæ paſſa à proco non ignobili, qui ejusdem nuptias efflictim ambierat, eâ ſe aptiùs expedire nequiit, quàm crucifixo ſuo ſponſo ſe velut implicando. Tantum enim ex frequentato

ejus-

ejusmodi complexu DEI amorem ſuo ingenerari animo advertit, ut parata eſſet mille potiùs ſubire mortes, quàm infringere aliquando initum cum Chriſto ſpirituale connubium. Hiſce proficit incrementis cæpta maturè ſanctitas.

SENTENTIA.

JUventutem qui ſine fructu præteriit, ſaltem in ſenectute reſipiſcat. *S. Gregor. in evang.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. OPtima Reſolutio eſt, quâ ætas tenera totam ſe DEI ſervitio addicit. Quid ſuaviùs? quid in ſuperum, hominúmque conſpectu elegantiùs *adoleſcentiâ* ſeriâ jam pietate inſtructâ? porrigit illa velut præguſtum ſecuturæ deinceps vitæ, cum fieri plerùmque ſoleat, primæ, conformari ætatem reliquam. Sic innocentiſſima præcurſoris pueritia & rigor vitæ mirabilis; ſic ſanctitatis ſtudium ab *Euphraſia* primis adhuc annis maſculè ſuſceptum quid ampliùs polliceri poterat, quàm grandem in tempore profectum?

II. Quantumcunque deflenda ſit vel unius diei jactura: nulla tamen res lacrymis dignior eſt, quàm *adoleſcentia* luridè traducta. Quoties verò contingit hanc lactare primum: tum fallere ſpes de ſe conceptas? floret aliquando ſublimi innocentiæ candore: tum verò paſſionum ventis agitata, non obliquatur modò, ſed etiam decidit, & in lutum defluit.

III. Quid

Digitized by Google

III. Quid tum consilii ? non aliud planè, quàm quod à *Gregorio Magno* suggestum legis : *juventutem qui sine fructu præteriit, saltem in senectute resipiscat.* Hôc mediô corrigitur aliqualiter saltem quod erratum est : etsi totum difficillimè resarciatur. Semper enim pœnitebit, dissipatô temerè juventutis *flore*, DEO non remansisse nisi *fæces* ætatis infirmæ. Ingemiscamus cum D. Bernardo : *suscipe Domine de mea misera vita, obsecro, residuum annorum meorum : pro his verò annis quos vivendo perdidi, quibus perditè vixi, cor contritum & humiliatum ne despicias.*

XIV. MARTII.

S. Petrus Abbas.

DIci poterat sancto huic Abbati, quod *Tobiæ* seniori : *quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Tobiæ 12. v. 11. quando ex morbo acerrimo alterum oculorum perdidit. Hanc tamen jacturam tam æquô tulit animô, ut gratias etiam assiduas DEO referret, quòd suavissimâ ejus providentiâ ab altero hostium liberatus esset. Vidit nimirum monoculus, quod oculatissimi non vident, magnam hominum partem, utrisque instructam oculis, prolabi in gehennam, æterna procul dubio adituram gaudia, si ad salvatoris monitum salubriter erutos, abs se projecisset. Vidit aliàs, quod vidisse specialis gratia fuit, beatissimam DEI parentem, sollicitudine maternâ piè laborantium sudores abstergere. Utinam videamus ista, ad alia verò, quæ vidisse nocebit olim, caligent oculi nostri!

SEN-

SENTENTIA.

OFfert Dæmon oculis formas illices & faciles voluptatis, ut visu destruat castitatem. *S. Cyprian.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUid demum proderit, cuncta quæ initiò fecit DEUS, fuisse, & etiamnum esse *valde bona*, si per abusum reddantur mala? quid oculò excellentiùs? sed tamen etiam *oculô nequiùs quid creatum est?* Eccl. 31. An non per oculos velut *fenestras* mors, furis instar, ascendit? an non animam *deprædatur*? an non, Basiliô teste, *pronubi* sunt & *lenæ libidinis?* de vera Virgin. Hæc tecum expende, & disces, rectissimè pepigisse *Jobum* fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine.

II. Quàm cupiisset *David* ibi cœcutiisse, ubi malè nimiùm viderat! lapsum ejus compendiò sic refert Augustinus: *de longe vidit David illam, in qua captus est. Mulier longè, libido propè.* Quid jam mirum, *nutus oculorum* ab Hieronymo appellari *morituræ virginitatis principia*? præstat igitur utrôque destitui oculô, si DEUS per morbum, aut aliàs, fieri id velit: quàm subire periculum amittendæ olim *visionis beatificæ.*

III. Aliud tamen supereſt medium, quô salvô etiam oculorum usu spiritualiter tamen cœcus sis. Abjiciendi nimirum in terram sunt oculi, quoties ruinæ periculum. Quinimò ab iis etiam prohibendi sunt rebus, quæ curiositatem quidem acuunt, devotionem verò dissipant. Ad illa ex opposito aperiendi sunt, quæ in DEI conditoris notitiam

titiam & amorem animum ducunt. Sic continere oculos, ne vagabundi ſecum etiam mentem ultra recti limites exſpatiari faciant, eſt illos, Chriſti conſiliô *eruere & projicere.*

XV. MARTII.

S. Longinus M.

PRodigia, quæ moriente in crucis ligno *DEO homine*, magnô acciderant numerô, *Longinum* etiam ab idololatriæ tenebris ac ethnicâ ſuperſtitione úsque adeò abduxerant, ut capitis à *Pilato* damnatus, ultrò carnificibus ſe ſiſteret, quos effugere facilè potuiſſet. *Aqua* indubiè & *ſanguis*, quæ ex aperto à ſe latere ſalvatoris effluere viderat, illum extimulaverint, ad fundendum ſuum pro Chriſto ſanguinem, illôque eluendas vitæ prioris maculas. Quid non ſalutis ab hac ſcaturigine ſperes, devota *crucifixo Servatori anima?*

SENTENTIA.

DIſce habitare in hoc vulnere lateris. Si enim amica eſt, vel ſponſa anima tua: ubi ſuavior illi quies erit, quàm in hoc ſponſi tui vulnere? ſi columba es, ubi tutior locus ad nidificandum? *Joan. Landſperg. ſerm. 54. de Paſs.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAximus dilecto *Joanni* favor obtigit, quòd reliquos inter Apoſtolos uni illi licuerit recumbere in cœna ſupra pectus Do-

Domini. Par omni momentô te gratia manet, anime mi! ubi arcam divini pectoris lanceâ *Longinus* aperuit, utne tibi lectulus deeſſet, in quo amore ſaucius ſuaviter conquieſceres. Ingredere fidenter, dicque cum regio Pſalte: *hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Pſal. 131. v. 15.

II. Quid *Chriſtum* fervidè amanti ſuaviùs accidere poſſit, quàm huic intimè uniri? en verò viam quâ iſtud aſſequâre, *apertum* ejusdem *pectus!* fides, ſpes, charitas, aſſidua paſſionis dominicæ memoria, eò te inducent. Tibi dictum puta, quod fidelis ſanctiſſimi hujus lateris inquilina *Catharina Senenſis* ſuo creberrimè ſuggeſſit Confeſſario: *rogo ut te concludas in aperto Chriſti latere: ibi pia anima quieſcit in lecto ignis & ſanguinis: ſanguinis, ut lavetur: ignis, ut accendatur.*

III. Vidit aliquando *S. Mechtildis* inter copiosè effluentem è divino latere cruorem, flammas pariter erumpentes: aliàs catenas igneas: iterumque ſagittas itidem igneas. *Flammis* videlicet in amore *JESU* ſuccendimur: *catenis* eidem colligamur: *ſagittis* denique non ad mortem, ſed vitam transfigimur. Utinam cum D. Auguſtino ſæpiùs exclamemus: *Longinus aperuit lanceâ latus & cor Chriſti: & ego intravi. Hîc fidenter habito: hîc me jucundè reficio: hîc quieſco ſecurus.*

XVI. MARTII.

S. Abraham Anachoreta.

UT virginitatem ſervaret intaminatam, primâ nuptiarum nocte relictis parentibus, ſponsâ, fa-

facultatibus, quas habebat, ampliſſimis, ſoli deinceps DEO victurus, in eremum conceſſit: in qua etſi quinquaginta annis in ſummo vitæ rigore perſtitiſſet, ejus tamen veſtes nunquam fuêre attritæ. *Mariam* neptem ſuam ejusdem anteà ſecum inſtituti, tum verò miſerè ſeductam, atque infami corporis queſtu omnium libidini proſtantem, ad frugem reducturus, perſonam tantiſper poſuit, tectisque ſollicitè canis, ſpeciem juvenis procantis indutus, eam convenit, convertit, reduxit: ſerióque ſuam deflere vitam tot ſordibus contaminatam docuit. Annorum denique & meritorum plenus cœlum ſubiit, nepte eum quintô ab obitu annô feliciter ſubſequente. Quanti, putas, meriti eſt, vel unam orco ſubducere animam?

SENTENTIA.

EQuus ægrotat, & quæritur remedium: periclitatur ſubditus, & diſſimulatur; cadit aſinus, & eſt, qui ſublevet: perit anima, & non eſt qui recogitet. *S. Bernard.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm grande in cœlo te præmium manet, ſi vel unam hactenus *animulam* à declivi vitiorum in virtutis viam reduxeris! quanti pretii ſit anima, inde liquet, quôd unigenito DEI Filio vitâ conſtiterit & ſanguine. Quid autem pretioſiùs *ſanguine* Filii DEI? *unius animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla eam ratio poſſit dignè æſtimare: quandoquidem unius animæ ſalus tanti eſt, ut ob hanc Filius DEI fieret homo, tantaque pateretur.* S. Chryſoſt.

II. Quid-

II. Quidquid unquam DEO obtuleris, tam acceptum non erit, quàm *unica anima* perditioni ſubducta. Da aliquem in ſe rigidiſſimum, in pauperes liberaliſſimum: da etiam miraculis celebrem: gratior tamen DEO eſt, qui, charitate inſtructus, vel unius *animæ* lucrum fecerit. Hincque non mirum *Seraphicam Thereſiam* totos *quadraginta annos*, quos in orationibus aſſiduis & auſteritatibus non vulgaribus traduxit, *iſti* præcisè *fini* impendiſſe.

III. Indubium igitur, unam ſervâſſe *animam*, plus augmenti adjicere gloriæ DEI, quàm in ſeſe comportâſſe cumulum virtutum omnium. Utinam paſtorum ſinguli (*ſine tamen ſui neglectu*) ſeriò cupiant ſeipſos impendere & ſuperimpendere: imò *anathema eſſe pro fratribus ſuis!* malè olim erit illis, qui vel *mercenariis* ſimiles ad *lupi* conſpectum diffugiunt: difficultatibus nimirum abſterrentur: vel illis magis adhuc ignavi, ac ſocordiæ veternô torpentes, impingunt in illud S. Bernardi: *cadit aſinus, & invenit qui ſe ſublevet: cadit anima, & non eſt qui manum apponat.*

XVII. MARTII.

S. Gertrudis V.

QUantæ in peccatores propenſionis ſit Virgo DEIpara, quàm prompta ad ſuccurrendum eorundem neceſſitatibus, vidit diva *Gertrudis*, ubi eadem virginea DEI parens varii generis beſtias laxatô ſuſcipere palliô, ſubque illo non confovere tantùm, ſed peramanter iisdem blandiri etiam videbatur. Viſa eſt aliquando ſuorum cri-

Digitized by Google

minum à parvulo JESU deprecata, & felicem è carne transitum: utrumque, datâ etiam in fidem à Christo dexterâ, obtinuit. Semper hoc sollicitè agit Virgo beata, ne quis ab eadem, nisi plurimùm ditatus, abscedat.

SENTENTIA.

TOtis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM. *S. Bernard. serm. de aquæ ductu.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SI aliud pro bono hominum non præstitisset DEIpara, quàm quòd genuerit unicum DEI Filium: quantùm vel unô hoc nomine obstringeretur eidem genus humanum? quid verò jam fieri à nobis par est, ubi præter beneficium illud, mole suâ maximum, innumera insuper alia mortalibus præstat? quorum sanè postremum non est, summum peccatores ad frugem reducendi studium, etsi fœdissimi illi sint, & suâ vilitate infra brutorum conditionem abjecti.

II. Parùm est ingemuisse Prophetam regium, hominem comparatum esse jumentis insipientibus, & similem illis factum, quando certum, quôvis peccatô mortali hunc illis fieri longè viliorem. Tota brutorum deformitas innocua est: imò non leve pulchritudinis momentum adjicit eorum varietas universo: peccatoris è contra deformitas, quàm DEO ipsi, tam naturæ exosa, tantaque est,

ut *S. Edmundus Cantuariæ Archi-Præsul* maluisset vivus abjici in inferos ignes, quàm illam in se admittere.

III. Hæc tamen monstra singula, utut deformia, explicatô susscipit palliô *misericordiæ mater*, modò illa per serium pœnitentiæ studium hoc *asylum* non respuant: adque pristinam pulchritudinem, cum DEI gratia, redire etiam ipsi sollicitè porrò connitantur. Jure sileant misericordiam illius, qui hôc instructi studiô, & seriô reconciliari DEO cupientes, eumque in finem *Virginis* opem deprecati, *hanc* sibi senserint defuisse.

XVIII. MARTII.

S. Eduardus Angliæ Rex.

A *S. Dunstano*, & primoribus regni proceribus regiô diademate insignitus, tertiô post annô, novercæ fraudibus, unà cum vita illud perdidit, crudeli latrociniô confectus. *Elfrida* (hoc pessimæ mulieri nomen) tantum sceleris admiserat, ut regnum suum ad filium *Etbelredum* devolvi faceret. Corpus regis exanime temerè primò in casulam rusticam, tum in sordidam paludem abjectum, utrobique à DEO, qui martyrum suorum glorias obscurari non patitur, insigniter collustratum est, quando ibi mulier à nativitate cœca spectabili prodigiô visum recepit; hîc columna ignea miri splendoris cadaver prodidit. Nunquam suis DEUS defuit, quantumcúnque, & quomodocunque ab hominum malitia afflictis.

SENTENTIA.

TIbi proficit, quòd multi perſecutores ſunt, ut inter multas perſecutiones faciliùs invenias, quomodo coroneris. *S. Ambr. ſerm. 20. in Pſ. 118.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUanta fuit DEI bonitas, quòd de terreno regno *Eduardum ad* cœleſtis regni gloriam tam celeriter transferret! quàm verò triſte medium quô uſus eſt ad iſtud exequendum! ſic ſcilicet DEUS ſolet, qui inſcrutabilis ſapientiæ ſuæ conſiliô, a condito orbe usque nunc, *meliùs judicavit de malis bene facere, quàm malæ nulla eſſe permittere.*

II. Noverant ſancti martyres, omnes tortorum furias in uno compleri *corpore*: *animam* verò nihil ſibi metuere periculi, niſi ab eo, qui, exigente id juſtitiâ, *corpus & animam perdere poteſt in gehennam*: indeque ſpe futurorum erecti, nulla expaverunt ſupplicia, non mortem ipſam: indubii, ſupereſſe ſibi *meliorem & manentem ſubſtantiam.* Utinam hæc ipſa ſpes noſtros obfirmet animos, ad adverſa quævis æquanimiter vel unô hôc nomine toleranda, quòd non temerè, ſed DEO ſic vel jubente, vel permittente accidant!

III. Si animum eò aliquando induxerimus, ut ſerium fixumque ſit, compati *Chriſto* patienti, nunquam deerunt & patiendi & merendi materiæ. Latiſſimus eſt patientiæ ambitus: hanc enim exigunt vel damna rerum, vel corporis incommoda, vel ipſæ denique animi deſolationes. Quomodo

ſin-

Digitized by Google

ſingula hæc pati non meremur, qui *in multis offendimus omnes?* Jacob. 3. Extimulet ergo mentem non modò ad patiendum fortiter, ſed agendas etiam DEO gratias, quòd media felicitatis tam opportuna ſuggerat. *In juſtis tribulatio amoris indicium, futuræ beatitudinis præſagium, & prædeſtinationis teſtimonium eſt.* S. Laurent. Juſtin. de caſto connub. c. 6.

XIX. MARTII.

S. Joſephus, Chriſti Domini Nutritius.

JOSEPH VIR MARIÆ. Quanta in hoc verborum compendio dignitatis amplitudo! quid ultra deſiderare poterat ſanctiſſimus hic patriarcha, quando vidit Patrem æternum (quod nulli mortalium in mentem veniſſet) glorioſum *paternitatis* titulum ſecum diviſiſſe? quando dignitatem *ſponſi*, cum divino Spiritu, qui Virginem obumbrârat, habuit communem? quando *fabro* ſibi miratus eſt ſubditum qui initiò *fabricatus eſt auroram, & ſolem?* tantô gratiarum cumuiô compenſari debuit cùm puritas maxima; tum firmiſſima in DEUM fides, tam variis rerum eventibus nunquam vacillare ſolita. Acceſſit favor ſpecialiſſimus, quô eidem indultum eſt, inter ſacratiſſimos *JESU & MARIÆ* complexus mortalitatem exuere. Hunc in difficili illo puncto patronum tibi delige: felicem procurabit tranſitum.

SENTENTIA.

DEUM habere hominem patrem, humilitas eſt incomparabilis: hominem ha-

bere Filium DEI ſubditum, ſublimitas ineffabilis, & inæſtimabilis. *Rich. de S. Vict. apud Alberic. Conc. de S. Joſepho.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ETſi mortem nemo non credat *terribilium omnium terribiliſſimum*: nulla tamen mors ſuavior unquam fuit morte *S. Joſephi*, cujus exequiis parentârunt pariter *JESUS & MARIA.* Idem tibi continget, gaudebisque ſi non aſpectabili *triadis* hujus ſanctiſſimæ præſentiâ: *gratiâ* tamen & *patrociniis*: ſi tamen aſſiduus fueris *ejusdem* cultor, & cum *D. Joſepho* ſanctitatem *JESU* & *MARIÆ* æmulari non deſtiteris.

III. Memorat *Cæſar Recupitus* de incendio Veſuvii montis, *S. Joſephi* ope filiolum *Camillæ* civitatis *Herculani* inquilinæ, per medias furentis *Veſuvii* flammas incolumem traductum, matrique, quæ illum impensè *S. Joſepho* commendârat, reſtitutum eſſe. Opus profectò nobis favore conſimili, ut gehennæ evadamus incendia, quæ damnatos olim involvent. Nihil ſanè diſcriminis incurremus, ſi magnus Filii DEI *nutritius* felicem nobis mortem, quâ unâ opus eſt ad felicem æternitatem, ſuis ſuffragiis impetret.

III. Quàm ſecurè *clientem* ſuum parvulum ſubduxit ſanguinario *Herodis* ferro *fidelis cuſtos*: tam à cervicibus noſtris avertet vindicem DEI gladium, ſuô & interventu & exemplô diſponendo nos ad vitam ſanctam. Beati præ reliquis, qui ejus præcipuè *puritatem* imitando, illius ſeſe favore

vore dignos reddiderint. *Curre ô Chriſtiane ad Joſeph: pervenies per eum ad Virginem: per Virginem ibis ad JESUM: &, ſi gratioſus fuiſti JOSEPHO: gratiam conſequeris à JESU & MARIA.* B. Iſolanus.

XX. MARTII.

S. Joachim Parens B. V.

DIu admodum in ſqualore, & luctu ſederat *S. Joachim*, ex ſterilitatis probro: ſed audiit denique cœlum fervida conjugis utriusque vota, & *filiam* dedit, quâ nulla major: *nepotem*, qui citrà controverſiam *optimus maximus*. Tantùm potuit *oratio aſſidua*, plurimâ erga indigos charitate ſtipata. Indubium, quin quælibet beneficia nobis præſtare poſſit, velitque: primum tamen ab eodem flagitemus, & primò, ut ſuô nos exemplô orare cum fructu doceat.

SENTENTIA.

AScendit precatio, & deſcendit DEI miſeratio. Licet alta ſit terra, altum cœlum, audit tamen DEUS hominis linguam, ſi mundam habeat conſcientiam. *S. Auguſt. ſerm. 226.*

REFLEXIO.

PUNCT. *1.* UT debiti, quô utrique parenti *Virginis* obſtringimur plurimùm, vel tantillúm exſolvamus, ſtudioſi ſimus ad perdiſcendum ab iis orationis fervorem. Grande fuit quod poſtulaverant: conceptus videlicet & partus futuræ parentis *VERBI æterni*: ideóque uſi ſunt

Digitized by Google

prece contentiori. Grande etiam eſt profectûs noſtri negotium, quod tamen ferventi ad DEUM prece promovere vel negligimus, vel ſomnolentè id ſolùm agimus.

II. Sæpiùs cum *Davide* ſuſpirare conſuevimus: *dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Pſ. 140. v. 2. Nec tamen advertimus, illam vel terrenorum affectuum ſordibus prægravatam eſſe, vel omnino implumem. Quâ porrò viâ curanda ſit, *Auguſtinus* docet in Pſal. 42. *Vis orationem tuam volare ad cœlum? fac illi duas alas, jejunium & eleemoſynam*: utique *ſpiritualem* ſaltem, ſi *corporalem* præſtare arbitrarium tibi non ſit. Talis profectò *oratio*, non alia, *ſeminavit Virginem in matris utero.* Novarin. L. 4. Excurſ. 136.

III. Non pauci chriſtianorum tam delicati ſunt genii: ut niſi continuò exauditi, ab oratione ſtatim remittant. Durum his accidiſſet olim cum *S. Joachim* ultra viginti annos præſtolari DEI miſerentis clementiam. O quantùm à vero orandi modo aberrant ejusmodi! ſi certum, DEUM negare ſæpiùs ea quæ petimus, & horum locô dare alia: quî dubium, dare ſingula quæ petentibus elargiri decrevit, *tempore* non qualicunque, ſed *opportuno?*

XXI. MARTII.

S. Benedictus Abbas.

SUô *Benedictus* exemplô mortales erudiit, quid maximè conduceret expugnando penitus hoſti domeſtico, quando, ſtrenuus pugil, ſpinarum aculeis carnem laſcivire ſic porrô dedocuit, ut, æquô lucta-

luctamini præmiô, posteà nullus indecens motus, nulla fœdior imaginatio mentem pulsaret, ad hostis insidias tam pervigilem, támque armatam. Novit scilicet, etsi tum juvenis antagonista, quod veteranis omninò persuasum, puritatis lilia non alicubi florere securiùs, quam intrà *mortificationum* vepres, cutem aliquando, nunquam animum lacerare solitas. Quàm dispar mundi genius! quanta pugilum ruditas, dum lasciviendo (sic profectò est) lasciviam vincere cassô labore nituntur.

SENTENTIA.

SI quis videat hostem suum cœdi virgis, ligari vinculis, contundi, affligi: non tristatur, non auxiliatur, non flectitur ad misericordiam; hôc modô tractate corpus vestrum, & circumferetis mortificationem JESU in corporibus vestris. *S. Chrysostom. Hom. 56. in Matth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MIrum planè, magnam hominum partem non metuere id periculum in publico, quod in occulto *Sublacensis* spelæi sui subiit *Benedictus*. Quî fieri demum potest, ut qui mediis peccandi occasionibus temerè sese ingerunt, à lapsu immunes abeant? beatorum hæc felicitas est, non experiri intrà se hanc, quam experiuntur mortales, *Carnis* & *Spiritûs* luctam. Illis igitur securis, semper in *vigili custodia* standum est istis.

II. Nihil non egit dæmon, ut *Benedicto* ſacræ ſolitudinis horrorem injiceret, ſed fruſtra fuit. *Benedictus* enim ut vel in propria carne, velut hoſtis vicaria, ſpurciſſimos *aſmodæi* conatus attereret, probè hanc vepribus & urticis laceravit. Certum habe, quisquis hôc dæmoniô vexaris, te carnis ſcabiem leni frictione non tam ſanaturum, quàm magis exulceraturum. Regnum Dei non *eſcâ & potu;* non *commeſſationibus & ebrietatibus;* non *cubilibus & impudicitiis;* non denique *damnatâ corporis curâ* obtinetur, ſed *ſanctô* ſui *odiô.*

III. Vepretum *D. Benedicti* ſacrô ejus cruore non parcè humectatum, vivaciſſimas ad imperium *Franciſci Seraphici* roſas produxiſſe ſcribitur. Terra carnis tuæ jam à prima transgreſſione *ſub maledicto* poſita, ſpinis etiam & tribulis diſgladiantium intus paſſionum nimiùm quantùm fœcunda, an non fœcundior redditur ad protrudendum ſpuria ejuscemodi germina, tot lenociniis irrigata, tam diſſimulanter habita? *paſtinanda* ergo eſt & *fodienda* ſanctæ ſtudiô mortificationis. Hanc enim *ſi malè amaveris, odiſti: ſi bene oderis, amaſti.* S. Auguſt. tr. 51. in Joan.

XXII. MARTII.

B. Eelko Canonicus Præmonſt. & Martyr.

POterat *Apoſtolicus* hic vir jure optimô dicere cum Propheta regio: *zelus domus tuæ comedit me.* Pſ. 68. quando in *Friſiæ* pago *Boxumenſi*, ipſe *Abbas Lidlumenſis*, pro vindicando Dei honore, & ſervanda ſartâ, quod ajunt, tectâque diſciplina eccleſiaſtica, plurimas non modò ab heterodoxis

paſſus

passus est injurias, sed crudeli etiam latrociniô tandem sublatus è medio, docuit, quantò commendabiliùs sit displicuisse malis, quàm mala dissimulando non placuisse bonis.

SENTENTIA.

DE cathedra, uti de throno DEI necesse est (si fructus quæritur) ut procedant fulgura, voces, & tonitrua, quatenus de veterno scelerum evigilent peccatores: tubâ æternitatis est clangendum, ut quatriduani, ac in scelerum stercore computrescentes *Lazari* surgant de monumentis suis, & audiant vocem Filii DEI. *S. Hieronym. ad Nepot.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DEprehenderat hic honoris divini *zelotes*, non pauca in *Frisiis* vitia; quorum tamen utne dissimulando reum sese faceret, exemplô magni præsulis *Norberti* (genuinus istius filius) *quasi tuba exaltabat vocem, annuntians populo gravi iniquitate scelera ejus.* Nullam sceleratis quietem indulgebat, perditos eorum mores exagitando opportunè, importunè: obsecrando insuper, increpando, *in omni patientia & doctrina.* Hoc demum est *exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.* ad Tit. 1.

II. Si DEUS Prælatorum ecclesiæ, si concionatorum ora ponit *ut gladium acutum:* si ipsorum quemvis esse velit *sagittam electam:* utique vult hôc

hôc *gladiô* ſecari *colligationes impietatis:* hâc *ſagittâ* penetrari dura ſceleratorum corda. Cui enim bono *gladius* in vagina, *ſagitta* in pharetra? *ſicut incauta locutio in errorem pertrahit: ita indiſcretum ſilentium hos, qui erudiri poterant, derelinquit.* S. Greg. in Paſt.

III. Taciturnitas hæc eò damnabilior eſt, quô à leviore motivo ſuadetur. Vix aliquando vitæ periculum; ſæpiùs imminutio gratiæ humanæ formidatur. *Fugiunt* ejusmodi mercenarii (pergit ſuprà memoratus Pontifex) *lupô veniente, dum ſe ſub ſilentio abſcondunt. Paſtorem enim recta timuiſſe dicere, quid eſt aliud, quàm tacendo terga præbuiſſe?* cùm tamen DEUS, apud *Ezechielem*, facies illorum velit eſſe *ut adamantem & ſilicem*, flammas, toties, quoties opus, ſpargentes, & quàm minis; tam lenociniis flecti neſcias.

XXIII. MARTII.

S. Benedictus Religioſus.

RElíquas inter virtutes, quibus largiter excultus fuerat animus ſancti hujus religioſi, principem, omnium opinione, locum obtinuit *fides* firmiſſima, quâ ſingula DEI eccleſiæ dogmata non ſecus credidit, ac ſi oculis pervidiſſet. Utne mortalis adhuc præmiô tantæ fidei debitô careret, conjectus à *Gothis* in furnum ardentem, denſos ignium globos, velut molle ſtratum expertus eſt, nec capillô, nec minimâ ſui parte ambuſtus. En quàm veritatis æternæ teſtimoniô *omnia poſſibilia ſint credenti!*

SEN-

SENTENTIA.

HAnc nobis fidem, velut magnam lampadem, Chriſtus adveniens, errantibus viam monſtrans, exhibuit, per quam poſſit DEUS ignotus requiri, quæſitus credi, creditus inveniri. *Euſeb. Emiſ. Homil. 2. de Symbolo.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INdubium, fuiſſe in *Benedicto* fidem non ſolitariam, quæ mortua eſt: ſed *charitate* formatam & animatam: quæ, cùm otioſa eſſe nequeat, hoc primùm & inſtanter agit, utne defiant *opera bona*, quibus eadem comprobetur. *Vera fides eſt*, inquit Gregor. M. Homil. 29. in Evang. *quæ hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit.*

II. Fides *charitate formata* unicum medium eſt placendi DEO: imò ipſamet eſt, quæ unicè & plurimùm placet DEO, cùm res parva non ſit, credere indubitanter ea, quæ omnem rationis humanæ ſuperant captum: eò quòd, etſi certiora ſint certiſſimis quibusque, obſcurè tamen, ac velut per *ænigma* proponantur. *Magnarum hic vigor eſt mentium, & valde fidelium hoc lumen eſt animorum, incunctanter credere, quæ corporeis non videntur intuitu.* S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ.

III. Quò perfectior interim *fides* eſt; eò etiam perfectiora ſint *opera* neceſſe eſt: ſecus enim *vera* credemus quidem, ſed non verè: ad curſum erimus expediti, ſemper tamen humi repere, quàm currere præplacebit. *Credunt dæmones, & con-*

re-

tremiſcunt, Jac. 1. quis tamen hujus fidei fructus? idem ſanè, qui fidei chriſtianorum informis. Felix is, de quo fidei praxin bene edocto idem dicetur olim, quod de famoſa illa viragine in proverbiis: *manum ſuam miſit ad fortia.*

XXIV. MARTII.

S. Simon Tridentinus.

HAbuit DEUS in *Simone* parvulo *victimam*, qualem in lege veteri cupierat, mundam, integram: innocuam, *agnum* ferè *anniculum*: certè *biennium* menſibus paucis vix prætergreſſum. Hunc *Judæi*, ſolitâ in chriſtianum ſanguinem bile, acubus anteà crudeliter compunctum, forficibus barbarè diſſectum, diſtentum, excarnificatum, in crucem denique egerunt, renovaturi, quoad potuêre, hoc in parvulo ſervatoris ſupplicium, bis homicidæ, *jurati hoſtes Chriſti crucifixi.* Utinam in chriſtianorum ſyllabo deſinant, quibus idem titulus, ore Apoſtoli ad *Philipp. 3.* jure apponitur!

SENTENTIA.

QUisquis deliciarum, mundanæque tranquillitatis amator eſt, *inimicus eſt crucis.* S. Chryſoſt. in Epiſt. ad Philipp. c. 3. v. 18.

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUando in hiſtoriis non tam legimus, quàm ipſis velut oculis ſpectamus, *Simones*, *Guilielmos*, *Hugones*, *Richardos*, &c. cru-

crudeliter à Judæis necatos, & noviſſimè *Chriſtophorum* parvulum triennem à Mauris in Hiſpania ſingulis iis affectum tormentis, quæ Salvator perpeſſus fuerat: latrones ejusmodi orco devovemus, velut *inimicos Crucis Chriſti*: nec interea tamen meminimus, illorum numero jure nos accenſeri, ſi *venter* nobis *Deus* ſit, & in deliciis viventes *fructus dignos pœnitentiæ* facere usque & usque differamus.

II. Ejusmodi mollities *crucis amorem* profectò non ſapit, ſed vel odium, vel neglectum. Qui enim *Chriſti*, qui *crucis* amantes ſunt, ut *illum* ſequantur & aſſequantur, *hanc* tollunt *quotidie*. Neque hoc etiam tantùm: ſed ſuam inſuper carnem *crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis*: ſicque D. Pauli exemplô provocati, adimplent ea in carne ſua, *quæ deſunt Paſſioni Chriſti*.

III. *Crux* ergo *Chriſti* ſicut in fronte pingitur; ita in animis ſculpta hæreat. Efficiet, ſic adamata, ſic quæſita, ſic retenta, ut poſthac in alio quàm in illa gloriari nos pigeat. Robur ſufficiet ad debellandos iterum ac finaliter illos inimicos, qui jam olim hôc *ſignô* proſtrati ſunt. Utinam ſingulis idem dicat *Chriſtus*, quod aliquando lectiſſimæ ſuæ ſponſæ Claræ de Monte Falconis: *Sponſa mea Clara! quæſivi locum ſolidum in quo hanc crucem plantarem: & inveni cor tuum, ubi eam figere exopto. Sed oportet te in hac cruce mori, ſi ſponſa, ſi filia, ſi hæres eſſe velis.* in vita,

XXV.

Digitized by Google

XXV. MARTII.

Annuntiatio B. V. M.

HAc die feliciter cœpit hominis reparatio, quando VERBUM Angelô nuntiante, divinô ſpiritu obumbrante, MARIA conſentiente, in Virgineo ejusdem utero *CARO FACTUM EST*, & habitavit in nobis: quando poſt tot ſæculorum diſſidium, DEUM inter & hominem, *juſtitia*, & *pax oſculatæ ſunt*: cœlúmque *miſericordiæ divinæ* operâ denuò reſeratum, quod annis quater mille nulli mortalium patuerat, ut nôſſet homo, quantæ turpitudinis ſit vel unicum peccatum, tot millenis planctibus, tot denſis tenebris, per tot centena ſæcula punitum. Vel craſsè ignorat quid peccatum ſit, qui hiſce expenſis peccare non deſinit: vel perinde habet, *DEUM* pro *hominem* factum, vel non factum.

SENTENTIA.

O MARIA! quis tibi dignè valeat gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ tuo aſſenſu ſingulari mundo ſuccurriſti perdito? *S. Aug. ſerm. 2. de annunt. Dom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAgna licet beneficia ſint mundi hujus è nihilo productio & gubernatio: hominis item creatio & conſervatio majus tamen omnibus his eſt *VERBI incarnatio*, ac, teſte Damaſcenô l. 3. de fide orthod. *ultimum, quod efficere DEUS potuit.* Verè hîc patuit, quàm

DEI

DEI *delitiæ ſint*, *eſſe cum filiis hominum*, quando unigenitus DEI ab omni retro æternitate paternô delectatus accubitu, ſolô noſtri amore, *in terris viſus eſt*, *& cum hominibus converſatus eſt.* Baruch. 3.

II. Tam grande eſt *incarnationis myſterium*, ut non modò humani, verùm & intellectûs angelici capacitatem quàm longiſſimè transcendat. Faciliùs utique fuerit conjicere aliqua de DEI immenſitate, omnipotentia, majeſtate, quibus in cœlo glorioſus reſplendet, quàm de ejusdem humilitate in utero Virginis. Hoc ſcilicet eſt *brachium Domini*, quod à ſæculis antea *revelatum* non fuerat. Hoc *arcanum* eſt, quod admirari nos, quàm ſcrutari expedit. *Res mira & inaudita! Mater Virgo: VERBUM Caro: DEUS Homo.* Arnold. Carnot. in Biblioth. PP.

III. Si *trinitati* totos quantos nos conſecremus: Si *AVE* illud, quod primum myſterio iſti præmiſſum, ſemper in ore nobis hæreat, ſemper in corde: quid ultra debitum agimus; imò quid non adhuc infra debitum; hoc tamen *Amor* expunget. *Ama* ergo *illum*, *quem AMOR & fratrem tuum eſſe fecit*, *& Virginis Filium.*

XXVI. MARTII.

S. Ludgerus Epiſcopus.

JUratiſſimus otii hoſtis fuit ſanctus hic Præſul, ex quo, adhuc puerulo, dum quærerent alii, quid demum toto ageret die? libros ſe lectitare & deſcribere, non pueriliter reſpondit. Interrogatus porrò quô doctore id aſſequeretur? DEÔ,

Digitized by Google

repoſuit. Inde DEO obſtetricante labori tam improbo, inſignes in omni ſcientia, divina potiſſimùm, progreſſus fecit, celeberrimus ſui temporis Eccleſiaſtes. An non pudeat hominem ratione prædituм, torpore & otiô ipſis etiam formicis fieri deteriorem, ut à ſapiente relegari ad illas cum probro debeat?

SENTENTIA.

TRanſeunt dies ſalutis; & nemo recogitat: nil pretioſius tempore, & heu! hodie nil viliùs invenitur. *S. Bern. ſerm. ad Scholar.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm verè Seneca ad ſuum Lucilium Epiſt. 1. *Magna vitæ pars elabitur malè agentibus: major nihil agentibus: maxima aliud agentibus. Quem mihi dabis qui pretium tempori ponat? qui diem æſtimet?* Quantum hominis chriſtiani (quantò majus DEO ſacrati) probrum, torpere otiô, perdere tempus, & perdi inertiâ damnabili! id demum prodigere ſine ſtudio & cura, quod pro comparando nobis DEO conceditur!

II. Ex *octo mille ſeptingentis ſexaginta horis*, quibus conſtat annus, quantæ pro ſomno defluunt! quantæ pro victu, relaxatione animi, nugis! quantillæ verò DEO remanent! atque, utinam! & iſtas ſaltem fideliter redderent illi, quibus familiare eſt dicere: *fabulemur, donec hora prætereat.* S. Bernard. Quàm ergo non temerè dictum

:m à quodam : *otium* eſſe *vivi hominis ſepulcrum.*

III. Maximum verò *otii* malum eſt, quôd *ti* adeò nihil producat, ut ex oppoſito nihil non *li* proferat. Ut aquæ, quæ intra lacunas tor- it mortuæ, nonniſi fœtorem & vermes pro- nerant: ita ab animo otiis aſſueto non exſpe- :s, niſi vitia. Ab otio *Davidis* adulterium : *Salomonis* apoſtaſia: *Petri* negatio: imò & *primi hominis* peccatum, poſiti in Paradiſum, *ut operaretur & cuſtodiret illum.* Bene igitur monet S. Hieronymus: *ſemper facito aliquid operis, ut diabolus occupatum te inveniat.* Epiſt. ad Ruſticum Monach.

XXVII. MARTII.

B. Euſtachius Monachus Cluniacenſis.

SImili cum mortalium reliquis fatô defunctus, ſimilem quòque colorem induit omni parte ſui, linguâ ſolùm exceptâ, quæ modeſtè ex demortui ore prominens, mirè pulchra, aureô etiam charactere ſalutationis angelicæ initiô, AVE MARIA, fuit inſignita. Palàm loqui videbatur, hoc favoris ſibi à Virgine benefica conceſſum, cujus aras, niſi illâ tenerrimo cum affectu conſalutatâ, nunquam prætergredi conſueverat. Quid præmii conſecutum putas in cœlis, quem in terris ſic honorari voluit cœlorum Regina?

SENTENTIA.

COElum ridet, angeli lætantur, dæmones fugiunt, infernus tremit, quoties

II. Nihil non egit dæmon, ut *Benedicto* ſacræ ſolitudinis horrorem injiceret, ſed fruſtra fuit. *Benedictus* enim ut vel in propria carne, velut hoſtis vicaria, ſpurciſſimos *aſinodæi* conatus attereret, probè hanc vepribus & urticis laceravit. Certum habe, quisquis hôc dæmoniô vexaris, te carnis ſcabiem leni frictione non tam ſanaturum, quàm magis exulceraturum. Regnum DEI non *eſcâ & potu;* non *commeſſationibus & ebrietatibus;* non *cubilibus & impudicitiis;* non denique *damnatâ corporis curâ* obtinetur, ſed *ſanctô* ſui *odiô.*

III. Vepretum *D. Benedicti* ſacrô ejus cruore non parcè humectatum, vivaciſſimas ad imperium *Franciſci Seraphici* roſas produxiſſe ſcribitur. Terra carnis tuæ jam à prima transgreſſione *ſub maledicto* poſita, ſpinis etiam & tribulis diſgladiantium intus paſſionum nimiùm quantùm fœcunda, an non fœcundior redditur ad protrudendum ſpuria ejuscemodi germina, tot lenociniis irrigata, tam diſſimulanter habita? *paſtinanda* ergo eſt & *fodienda* ſanctæ ſtudiô mortificationis. Hanc enim *ſi malè amaveris, odiſti: ſi bene oderis, amaſti.* S. Auguſt. tr. 51. in Joan.

XXII. MARTII.

B. Eelko Canonicus Præmonſt. & Martyr.

POterat *Apoſtolicus* hic vir jure optimô dicere cum Propheta regio: *zelus domus tuæ comedit me.* Pſ. 68. quando in *Friſiæ* pago *Boxumenſi*, ipſe *Abbas Lidlumenſis*, pro vindicando DEI honore, & ſervanda ſartâ, quod ajunt, tectâque diſciplina eccleſiaſtica, plurimas non modò ab heterodoxis paſſus

passus est injurias, sed crudeli etiam latrociniô tandem sublatus è medio, docuit, quantò commendabiliùs sit displicuisse malis, quàm mala dissimulando non placuisse bonis.

SENTENTIA.

DE cathedra, uti de throno DEI necesse est (si fructus quæritur) ut procedant fulgura, voces, & tonitrua, quatenus de veterno scelerum evigilent peccatores: tubâ æternitatis est clangendum, ut quatriduani, ac in scelerum stercore computrescentes *Lazari* surgant de monumentis suis, & audiant vocem Filii DEI. *S. Hieronym. ad Nepot.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DEprehenderat hic honoris divini *zelotes*, non pauca in *Frisiis* vitia; quorum tamen utne dissimulando reum sese faceret, exemplô magni præsulis *Norberti* (genuinus istius filius) *quasi tuba exaltabat vocem, annuntians populo gravi iniquitate scelera ejus.* Nullam sceleratis quietem indulgebat, perditos eorum mores exagitando opportunè, importunè: obsecrando insuper, increpando, *in omni patientia & doctrina.* Hoc demum est *exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.* ad Tit. 1.

II. Si DEUS Prælatorum ecclesiæ, si concionatorum ora ponit *ut gladium acutum:* si ipsorum quemvis esse velit *sagittam electam:* utique vult hôc

hôc *gladiô* ſecari *colligationes impietatis:* hâc *ſagittâ* penetrari dura ſceleratorum corda. Cui enim bono *gladius* in vagina, *ſagitta* in pharetra? *ſicut incauta locutio in errorem pertrahit: ita indiſcretum ſilentium hos, qui erudiri poterant, derelinquit.* S. Greg. in Paſt.

III. Taciturnitas hæc eò damnabilior eſt, quô à leviore motivo ſuadetur. Vix aliquando vitæ periculum; ſæpiùs imminutio gratiæ humanæ formidatur. *Fugiunt* ejusmodi mercenarii (pergit ſuprà memoratus Pontifex) *lupô veniente, dum ſe ſub ſilentio abſcondunt. Paſtorem enim recta timuiſſe dicere, quid eſt aliud, quàm tacendo terga præbuiſſe?* cùm tamen DEUS, apud *Ezechielem*, facies illorum velit eſſe *ut adamantem & ſilicem*, flammas, toties, quoties opus, ſpargentes, & quàm minis; tam lenociniis flecti neſcias.

XXIII. MARTII.

S. Benedictus Religioſus.

RElíquas inter virtutes, quibus largiter excultus fuerat animus ſancti hujus religioſi, principem, omnium opinione, locum obtinuit *fides* firmiſſima, quâ ſingula DEI eccleſiæ dogmata non ſecus credidit, ac ſi oculis pervidiſſet. Utne mortalis adhuc præmiô tantæ fidei debitô careret, conjectus à *Gothis* in furnum ardentem, denſos ignium globos, velut molle ſtratum expertus eſt, nec capillô, nec minimâ ſui parte ambuſtus. En quàm veritatis æternæ teſtimoniô *omnia poſſibilia ſint credenti!*

SEN-

Digitized by Google

SENTENTIA.

HAnc nobis fidem, velut magnam lampadem, Chriſtus adveniens, errantibus viam monſtrans, exhibuit, per quam poſſit DEUS ignotus requiri, quæſitus credi, creditus inveniri. *Euſeb. Emiß. Homil. 2. de Symbolo.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INdubium, fuiſſe in *Benedicto* fidem non ſolitariam, quæ mortua eſt: ſed *charitate* formatam & animatam: quæ, cùm otioſa eſſe nequeat, hoc primùm & inſtanter agit, utne defiant *opera bona*, quibus eadem comprobetur. *Vera fides eſt*, inquit Gregor. M. Homil. 29. in Evang. *quæ hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit.*

II. Fides *charitate formata* unicum medium eſt placendi DEO: imò ipſamet eſt, quæ unicè & plurimùm placet DEO, cùm res parva non ſit, credere indubitanter ea, quæ omnem rationis humanæ ſuperant captum: eò quòd, etſi certiora ſint certiſſimis quibusque, obſcurè tamen, ac velut per *ænigma* proponantur. *Magnarum hic vigor eſt mentium, & valde fidelium hoc lumen eſt animorum, incunctanter credere, quæ corporeò non videntur intuitu.* S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ.

III. Quò perfectior interim *fides* eſt; eò etiam perfectiora ſint *opera* neceſſe eſt: ſecus enim *vera* credemus quidem, ſed non verè: ad curſum erimus expediti, ſemper tamen humi repere, quàm currere præplacebit. *Credunt dæmones, & con-*

re-

Digitized by Google

tremiſcunt, Jac. 1. quis tamen hujus fidei fructus? idem ſanè, qui fidei chriſtianorum informis. Felix is, de quo fidei praxin bene edocto idem dicetur olim, quod de famoſa illa viragine in proverbiis: *manum ſuam miſit ad fortia.*

XXIV. MARTII.

S. Simon Tridentinus.

HAbuit DEUS in *Simone* parvulo *victimam*, qualem in lege veteri cupierat, mundam, integram: innocuam, *agnum* ferè *anniculum*: certè *biennium* menſibus paucis vix prætergreſſum. Hunc *Judæi*, ſolitâ in chriſtianum ſanguinem bile, acubus anteà crudeliter compunctum, forficibus barbarè diſſectum, diſtentum, excarnificatum, in crucem denique egerunt, renovaturi, quoad potuêre, hoc in parvulo ſervatoris ſupplicium, bis homicidæ, *jurati boſtes Chriſti crucifixi.* Utinam in chriſtianorum ſyllabo deſinant, quibus idem titulus, ore Apoſtoli ad *Philipp. 3.* jure apponitur!

SENTENTIA.

QUisquis deliciarum, mundanæque tranquillitatis amator eſt, *inimicus eſt crucis.* S. Chryſoſt. in Epiſt. ad Philipp. c. 3. v. 18.

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUando in hiſtoriis non tam legimus, quàm ipſis velut oculis ſpectamus, *Simones*, *Guilielmos*, *Hugones*, *Richardos*, *&c.* cru-

crudeliter à Judæis necatos, & noviſſimè *Chriſtophorum* parvulum triennem à Mauris in Hiſpania ſingulis iis affectum tormentis, quæ Salvator perpeſſus fuerat: latrones ejusmodi orco devovemus, velut *inimicos Crucis Chriſti*: nec interea tamen meminimus, illorum numero jure nos accenſeri, ſi *venter* nobis *Deus* ſit, & in deliciis viventes *fructus dignos pœnitentiæ* facere usque & usque differamus.

II. Ejusmodi mollities *crucis amorem* profectò non ſapit, ſed vel odium, vel neglectum. Qui enim *Chriſti*, qui *crucis* amantes ſunt, ut *illum* ſequantur & aſſequantur, *hanc* tollunt *quotidie*. Neque hoc etiam tantùm: ſed ſuam inſuper carnem *crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis*: ſicque D. Pauli exemplô provocati, adimplent ea in carne ſua, *quæ deſunt Paſſioni Chriſti*.

III. *Crux* ergo *Chriſti* ſicut in fronte pingitur; ita in animis ſculpta hæreat. Efficiet, ſic adamata, ſic quæſita, ſic retenta, ut poſthac in alio quàm in illa gloriari nos pigeat. Robur ſufficiet ad debellandos iterum ac finaliter illos inimicos, qui jam olim hôc *ſignô* proſtrati ſunt. Utinam ſingulis idem dicat *Chriſtus*, quod aliquando lectiſſimæ ſuæ ſponſæ Claræ de Monte Falconis: *Sponſa mea Clara! quæſivi locum ſolidum in quo hanc crucem plantarem: & inveni cor tuum, ubi eam figere exopto. Sed oportet te in hac cruce mori, ſi ſponſa, ſi filia, ſi hæres eſſe velis.* in vita,

XXV.

Digitized by Google

XXV. MARTII.

Annuntiatio B. V. M.

HAc die feliciter cœpit hominis reparatio, quando VERBUM Angelô nuntiante, divinô ſpiritu obumbrante, MARIA conſentiente, in Virgineo ejusdem utero *CARO FACTUM EST*, & habitavit in nobis: quando poſt tot ſæculorum diſſidium, DEUM inter & hominem, *juſtitia*, & *pax oſculatæ ſunt*: cœlúmque *miſericordiæ divinæ* operâ denuò reſeratum, quod annis quater mille nulli mortalium patuerat, ut nôſſet homo, quantæ turpitudinis ſit vel unicum peccatum, tot millenis planctibus, tot denſis tenebris, per tot centena ſæcula punitum. Vel craſsè ignorat quid peccatum ſit, qui hiſce expenſis peccare non deſinit: vel perinde habet, *DEUM* pro *hominem* factum, vel non factum.

SENTENTIA.

O MARIA! quis tibi dignè valeat gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ tuo aſſenſu ſingulari mundo ſuccurriſti perdito? *S. Aug. ſerm. 2. de annunt. Dom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAgna licet beneficia ſint mundi hujus è nihilo productio & gubernatio: hominis item creatio & conſervatio majus tamen omnibus his eſt *VERBI incarnatio*, ac, teſte Damaſcenô l. 3. de fide orthod. *ultimum, quod efficere DEUS potuit.* Verè hîc patuit, quàm

DEI

DEI *delitiæ ſint*, *eſſe cum filiis hominum*, quando unigenitus DEI ab omni retro æternitate paternô delectatus accubitu, ſolô noſtri amore, *in terris viſus eſt*, *& cum hominibus converſatus eſt.* Baruch. 3.

II. Tam grande eſt *incarnationis myſterium*, ut non modò humani, verùm & intellectûs angelici capacitatem quàm longiſſimè transcendat. Faciliùs utique fuerit conjicere aliqua de DEI immenſitate, omnipotentia, majeſtate, quibus in cœlo glorioſus reſplendet, quàm de ejusdem humilitate in utero Virginis. Hoc ſcilicet eſt *brachium Domini*, quod à ſæculis antea *revelatum* non fuerat. Hoc *arcanum* eſt, quod admirari nos, quàm ſcrutari expedit. *Res mira & inaudita! Mater Virgo: VERBUM Caro: DEUS Homo.* Arnold. Carnot. in Biblioth. PP.

III. Si *trinitati* totos quantos nos conſecremus: Si *AVE* illud, quod primum myſterio iſti præmiſſum, ſemper in ore nobis hæreat, ſemper in corde: quid ultra debitum agimus; imò quid non adhuc infra debitum; hoc tamen *Amor* expunget. *Ama* ergo *illum*, *quem AMOR & fratrem tuum eſſe fecit*, *& Virginis Filium.*

XXVI. MARTII.

S. Ludgerus Epiſcopus.

JUratiſſimus otii hoſtis fuit ſanctus hic Præſul, ex quo, adhuc puerulo, dum quærerent alii, quid demum toto ageret die? libros ſe lectitare & deſcribere, non pueriliter reſpondit. Interrogatus porrò quô doctore id aſſequeretur? DEÔ,

repoſuit. Inde DEO obſtetricante labori tam improbo, inſignes in omni ſcientia, divina potiſſimùm, progreſſus fecit, celeberrimus ſui temporis Eccleſiaſtes. An non pudeat hominem ratione prædituin, torpore & otiô ipſis etiam formicis fieri deteriorem, ut à ſapiente relegari ad illas cum probro debeat?

SENTENTIA.

TRanſeunt dies ſalutis; & nemo recogitat: nil pretioſius tempore, & heu! hodie nil viliùs invenitur. *S. Bern. ſerm. ad Scholar.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm verè Seneca ad ſuum Lucilium Epiſt. 1. *Magna vitæ pars elabitur malè agentibus: major nihil agentibus: maxima aliud agentibus. Quem mihi dabis qui pretium tempori ponat? qui diem æſtimet?* Quantum hominis chriſtiani (quantò majus DEO ſacrati) probrum, torpere otiô, perdere tempus, & perdi inertiâ damnabili! id demum prodigere ſine ſtudio & cura, quod pro comparando nobis DEO conceditur!

II. Ex *octo mille ſeptingentis ſexaginta horis*, quibus conſtat annus, quantæ pro ſomno defluunt! quantæ pro victu, relaxatione animi, nugis! quantillæ verò DEO remanent! atque, utinam! & iſtas ſaltem fideliter redderent illi, quibus familiare eſt dicere: *fabulemur, donec hora prætereat.* S. Bernard. Quàm ergo non temerè dictum

ctum à quodam: *otium* esse *vivi hominis sepulchrum.*

III. Maximum verò *otii* malum est, quôd *boni* adeò nihil producat, ut ex oppositò nihil non *mali* proferat. Ut aquæ, quæ intra lacunas torpent mortuæ, nonnisi fœtorem & vermes progenerant: ita ab animo otiis assueto non exspectes, nisi vitia. Ab otio *Davidis* adulterium: *Salomonis* apostasia: *Petri* negatio: imò & *primi hominis* peccatum, positi in Paradisum, *ut operaretur & custodiret illum.* Bene igitur monet S. Hieronymus: *semper facito aliquid operis, ut diabolus occupatum te inveniat.* Epist. ad Rusticum Monach.

XXVII. MARTII.

B. Eustachius Monachus Cluniacensis.

SImili cum mortalium reliquis fatô defunctus, similem quòque colorem induit omni parte sui, linguâ solùm exceptâ, quæ modestè ex demortui ore prominens, mirè pulchra, aureô etiam charactere salutationis angelicæ initiô, AVE MARIA, fuit insignita. Palàm loqui videbatur, hoc favoris sibi à Virgine benefica concessum, cujus aras, nisi illâ tenerrimo cum affectu consalutatâ, nunquam prætergredi consueverat. Quid præmii consecutum putas in cœlis, quem in terris sic honorari voluit cœlorum Regina?

SENTENTIA.

COElum ridet, angeli lætantur, dæmones fugiunt, infernus tremit, quoties

cum reverentia dicimus, AVE MARIA. *S. Bern. ſuper Miſſus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUanti fuit pretii, toties eſſe ſalutatam Virginem beatam ab *Euſtachio*! quoties ſuis in imaginibus hujus animo occurſabat. Reſalutârit ſine dubio illum in vices ſingulas, ſicut olim *Bernardo* ſuo dicenti: *ſalve Regina*, reſpondit: *ſalve Bernarde.* Tanta ſcilicet Virginis eſt pietas, ut obſequia titulis etiam innumeris debita, favoribus tamen aliis vel hîc rependat continuò vel aliàs repenſura certò ſit. Quidni ergo in momenta ſingula ſalutas, tantis tibi ſtudiis addictam?

II. Efficerent *Marianæ imagines*, ſiquidem colerentur ſtudioſiùs, idem noſtro in animo, quod parentis *effigies* è collo ſuſpenſa in *Boleslai IV.* Poloniæ Regis: omnem videlicet, uti hic factitare conſueverat, in eo poneremus operam, ne quid illâ inconſultâ ordiremur, aut tantâ parente indigna committeremus. Fieri enim profectò vix poteſt, quin mutæ etiam imagines divæ Virginis & ſanctorum ſatis diſertè intrà noſtrum perorent animum, pro ſtudio virtutis & odio vitii.

III. Omnem ſuum in ſpiritu profectum uni poſt DEUM Virgini debere ſe credidit maximus *Minimorum* Auctor *S. Franciſcus de Paula*: tantúmque gratiarum non aliunde ſe conſecutum expertus eſt, quàm ex cultu ſincero, quô in parva icone divam caſtè deperiit Virginem, univerſim optandum, ut tantum divorum revereremur ima-

imagines, quantum ſuam olim *Hebræi* Arcam. Si rite illas intueremur, *ſpeculi* locô nobis forent, unde (velut à mutis præceptoribus) ſumeremus exempla vivendi, diſceremúsque, *quid effugere, quid tenere debeamus.* S. Ambroſ.

XXVIII. MARTII.

B. M. Wilhelmus Conf. Canonicus Cœnobii Rothenſis.

FUit devotiſſimus hic juvenis iis jam à pueritia *benedictionibus dulcedinis* præventus, ut aliud non magis cogitaret, quàm qui *DEO* ſerviret *ſerio*: eum in finem canonicum religioſorum Præmonſtratenſium inſtitutum in *Sueviæ* cœnobio *Rothenſi* amplexus, virtutis adultæ ſpecimina in teneriori etiamnum ætate ſic præſetulit, ut indefeſſô mortificationis ſtudiô, auſterô pœnitentiæ rigore, patientiâ animi adverſa quævis infractâ, vitæ autem cùmprimis puritate & *innocentia* admirabili, non modò genios cœleſtes, quibuſcum non ſemel percurrerat penſum canonicum: ſed & ipſam *Angelorum Reginam* ſibi redderet familiarem. Mortis nuntiô deſuper acceptô, cœlo jamjam maturus, quamquam annis juvenis, mirùm exæſtuans amore divino, velut odorum innocuô candore Lilium, ex inculto hoc mundi vepreto raptus eſt, inque paradiſum translatus, *rara Præmonſtratenſis familiæ gemmula.* En quæ innocentiam merces maneat!

SENTENTIA.

NIhil ſancta & ſingularis illa majeſtas aliud ab homine deſiderat, quàm ſolam innocentiam, quam ſi quis obtulerit DEO, ſatis piè religioséque litavit. *Lactant. L. 6. Divin Inſtit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUantò pretioſior *innocentia*, tantò ſtudioſiùs eſt ſervanda. Facilè amittitur, nec ad hanc jacturam multô opus eſt tempore. Unum aliquando colloquium, quod cum malè feriatis temerè inſtituitur: unus oculi jactus: unum pravius exemplum altiùs animô imbibitum, tanti boni amiſſionem promovet. Fugiendum ergo quidquid vel umbrâ etiam nocere poteſt rei tam caræ, tantique momenti.

II. DEUS non alios magis amat, quàm *innocentes.* Cum his enim, æquè ac cum *ſimplicibus, ſermocinatio ejus.* Reperit námque in his intaminatam adhuc ſuam imaginem, ad cujus imitationem primò eosdem creaverat. *Innocentiæ* veſtis eſt nuptialis, quâ induti citra controverſiam digni cenſentur, qui interſint *nuptiis Agni.* O quantum damnum perdidiſſe hanc veſtem! quàm res deploranda, maculâſſe illam temerè tot peccatorum ſordibus.

III. Neque *MARIA* etiam aliis conſuevit tam familiariter uti, quàm *innocentibus.* Etſi enim peccatoribus etiam profligatiſſimis facilem ac propitiam ſe præbeat: non tamen aliô hoc fine agit, quàm ut favore ejuscemodi inducat eosdem ad expian-

piandam ſeriò mentem, atque ſic (quadantenus ſaltem) reparandum, quo DEO, quod ſibi damnum intulerant. Placeat ergo ad comparandam ſibi DEI, DEIparæque benevolentiam *Wilhelmum* imitari, iisdemque ſubinde mediis uti, quibus ad tantam vitæ puritatem pertigit. Tum enim de DEO jure quilibet ſibi pollicebitur id, quod inſinuat Propheta regius: *non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.*

XXIX. MARTII.

S. Cyrillus Diaconus & M.

QUô tempore imperii ſceptra moderabatur *Julianus Apoſtata*, juratiſſimus Eccleſiæ hoſtis, variè in chriſtianos ſævitum eſt à gentilibus. Mulierum perinde ac virorum diſſecti aliquando ventres: tum avenâ & hordeô farti, jumentis idem, quod præſepe fuerant. Aliqui porcis fruſtatim objecti, ab iisdem devorati ſunt, indignô ſanè hiſce reliquiis tumulô. *Cyrillum Diaconum* Heliopoli urbeLibano finitimâ comprehenſum, quod hic ſub *Conſtantino*, inductus *zelô fidei*, plurima comminuiſſet idola, non modò miſerrimâ cæde confecerunt, ſed diſſectô quòque illius ventre martyris jecur crudeliter depaſti ſunt. Verùm malô ſuô: juſtô enim vindicis DEI judiciô, dentibus primùm acerrimô dolore ad unum expulſis, tabe fætidâ computruerunt illorum linguæ, ipſique demum horribili cephalæa utrísque orbati oculis, ſuô docuerunt exemplô, quàm DEUS

vindicare ſoleat *ſeriùs*, *citiusvè*, *ſanguinem ſanctorum ſuorum.*

SENTENTIA.

MOraliter excellentiam impaſſibilitatis poſſumus habere meritò patientiæ, quod aufert ſentimentum doloris, & paſſibilitatis: nam qui verè eſt patiens, non ſentit injurias, ſicut impatiens, qui ſtatim aſcendit ad quintam. *S. Vincentius Ferrer. Serm. 3. in Domin. in albis.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. IN patientia ſua ſinguli SS. Martyrum poſſederunt animas ſuas. *Secti licet*, *lapidati*, *tentati*, *in occiſione gladii mortui*, mille cruciatibus confecti: non reddidêre *malum pro malo*, ſed, patienter ferendo, vincere conſueverunt *in bono malum.* Nulla illis ſeſe vindicandi cura; nulla erga perſecutores averſio, ſed charitas ſumma, cujus argumentum non rarò fuerat facta ad DEUM pro ſalute illorum deprecatio. Et mirum ſit hâc patientiâ tam infractâ *impaſſibilitatem*, quam prior loquitur pagina, eosdem fuiſſe conſecutos?

II. Noverant præclariſſimi pugiles DEO ſuos curæ & cordi eſſe: relinquendam iſti vindictam & vindictæ modum, tanquam illi qui nôrit, uti debita virtuti præmia; ſic æqua vitiis decernere ſupplicia: quod vel hodieque ſuô teſtantur interitu *Cyrilli* carnifices. Quàm abjectum ſapit animum

Digitized by Google

mum & mollem cuticulam, pro læsione quavis superos in ultionem vocare & inferos!

III. *Patientiâ* ergo firmandum cor, tanquam ære triplici. Et quid demum magni sit patientem esse in minimis? metuendi hactenus nobis non fuerunt martyrum *equulei*, *plumbatæ*, *virgæ*, *nervi*, *scorpiones*, *flagra*, *ungulæ*, *unci*, *rotæ*, *laminæ ardentes*, *lecti ferrei*, *tædæ*, *tauri ænei*, *calx viva*, *lebetes*, *trochleæ*, *bestiæ*, *balnea fervent ia*, *catapultæ*, *sartagines*, *catastæ*, *fidiculæ*, *fragmenta testacea*, *pectines ferrei*, *obelisci flammei*, *terebræ*, *cupæ incensæ*, *galeæ ignitæ &c.* DEUM bonum, quæ tormentorum portenta! quanta in horum perpessione patientiæ occasio! quantilla verò in verbo aspero, in obliquo obtutu, in parvo fortunarum damno!

XXX. MARTII.

B. Amadeus Sabaudiæ Dux.

QUò suæ ditionis bono atque utili prospiceret, tria potissimùm vigere voluit, atque à subditis observari seriò: *sinceram in DEUM pietatem*: *religionis uniformitatem*: *conversationis honestatem*: ut non semel ediceret, eum apud se gratiâ fore primum, qui esset optimus. Ejus patientiam, ut *Jobi* olim exploraturum numen, comitialem immisit morbum optimo duci: sed perstitit ille immotus animô, etsi corpore non rarò dejici solitus: asserens, hunc morbum, velut *pædagogum domesticum*, docere, quàm fluxa sint omnia, quàm summi etiam orbis principes suos patiantur manes, utique non aliunde, quàm *ex*

DEI voluntate, rerum vices sic temperantis. Utinam idem pensemus toties, quoties citra nostrum placitum, & votum res eveniunt!

SENTENTIA.

COnstanter DEO crede, eique te totum committe, quantùm potes: ita ipse nihil tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. *S. Aug. Solil. c. 15.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FUerit licet suis absoluta numeris felicitas *Amadei*: alia tamen ex parte satis eandem turbâsset morbus gravissimus, nisi pientissimus dux in una DEI voluntate firmum suis malis reperîsset remedium: adeò mala quævis dulcorantur hâc salubri memoriâ, *DEO sic visum fuisse.* Utinam nullus sit in christianorum numero, qui non ad omnem fortunæ varietatem DEO, cum duce suo *Christo*, loquatur: *non mea, sed tua voluntas fiat.*

II. Noverat indubiè *Amadeus*, cætera, etsi prudenter suscepta, fore tamen frustranea, nisi hæc accederet voluntatis suæ in divinam resignatio. Hæc videlicet fecit adversa illum fortiter; dubia prudenter; læta ferre moderatè. Anima quæ ad sinum divinæ providentiæ non citò confugit, si morbi, si damna fortunæ, si animi desolatio, si mala urgeant cætera: cui assimilabitur, quàm *arundini ventò agitatæ?* cui facillimum *nutare* in partem omnem, *frangi*, ac denique per aëra *asportari.*

III. Di-

Digitized by Google

III. Dixerat aliquando *Chriſtus* devotæ cuidam virgini, ut refert Bloſius : *volo te nôſſe, quòd omnes pœnæ, quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate conſiſtunt : quia ſi voluntas eſſet ordinata, & concors cum voluntate mea, eareret quodammodo pœnâ.* Ergo penes nos eſt, plùs, minúsvè acerbitatis ſentire in iis, quibus affligimur. Felices qui verè cum gentium doctore dicere poſſunt : *gloriamur in tribulationibus*, ad Rom. 5. *Quomodo poteris eſſe meus* (ita DEUS animæ loquitur apud Thomam de Kemp. L. 3. de Imit. c. 42.) *& ego tuus, niſi fueris ab omni propria voluntate intus ac foris ſpoliatus?*

XXXI. MARTII.

S. Guido Confeſſor.

HUjus precibus debuit plurimùm *Bertholdus* Monachus. Poſitus enim in lucta fatali, dubia valde ſalutis ſuæ reddebat indicia : reſtitutus denique menti palàm edixit, ob levem *incantationem*, quâ in ſæculo uſus fuerat, quámque citrà culpam ſacro tribunali ſubjicere neglexerat, quòd ejusdem oblitus eſſet, à dæmonibus, mirè id ſcelus exaggerantibus, ad inferos fuiſſe raptandum, niſi ſuis DEUM precibus *Guido* eò inflexiſſet, ut indultô tempore tantillô, liceret ſibi id, quidquid fuiſſet, ſceleris, arbitro conſcientiæ explicare pleniùs. Tanti videlicet refert nulla hic reticeri delicta, ne ibi damnent orbi toti recta.

SEN-

PUdorem & verecundiam DEUS peccato dedit, confessioni verò fiduciam: invertit rem diabolus, & peccato fiduciam præbet, confessioni verò pudorem. *Chrysost. l. 3. c. 15. de Pœnit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DUm *sacramentum confessionis* illum ipsum nobis præstat effectum, quem aquæ Jordanis *Naaman* Syro: quod lutum & sputum Christi *cæco nato*: quî demum fit, *Sacramentum* hoc christianorum non paucis videri usque adeò difficile, ut in *sordibus sordescere adhuc*, quàm ejus operâ perpurgari malint? non hoc sanè illorum est, qui seriam gerunt munditiei curam; hi enim non confunduntur *pro anima sua dicere verum.*

II. Pessima hæc formido, quæ millibus multis sempiternum attulit exitium, alium non habet auctorem, quàm vaferrimum dæmonem. Tollit hic verecundiam in noxam ruituris, ut eam aliô tempore reddat. Extenuat peccatum necdum commissum: exaggerat commissum. Ibi per *præsumptionem*: hîc per *desperationem* ad interitum miseros abducit. Cogitarent, utinam! ejusmodi, quantùm præstet erubescere cum fructu coram uno homine, quàm sine fructu coram *DEO*, *Angelis*, *Beatis*, & *Dæmonibus.*

III. Emergendum ergo in tempore ex hisce sordium cloacis, ne in iisdem miseros suffocari penitùs contingat. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat*

geat ſuper me puteus os ſuum; ita Propheta regius Pſ. 68. Quis verò hic puteus? Auguſtino magnus puteus eſt profunditas iniquitatis humanæ: *ſed tamen* (verba ſunt memorati Doct. in 2. Reg. c. 24.) *ibi poſitus, ſi confiteatur peccata ſua DEO ſuo, non claudit ſuper eum puteus os ſuum.* Confeſſionis confuſio *gratiam* adducit & *gloriam.*

FESTA APRILIS.

I. APRILIS.

S. Walericus puer.

JUre hunc, velut exemplar *integritatis* & *modeſtiæ* ſibi ob oculos ſtatuat *juventus tenerior:* atque cùm virtutes alias; tum præcipuè diſcat ab eodem *ſordida* vitare *colloquia*, quæ non minùs ipsâmet peſte teneros inficere conſueverunt animos. Duriſſimâ hyeme gelu obrigeſcere maluit egregius adoleſcens, quàm intrà conclave præſens adſtare *ſacerdoti* cuipiam, & *loci præfecto*, fœdè colloquentibus: quorum ſcelus, & *ſcandalum*, quod puſillo dederant, adeò execratus eſt DEUS, ut memorabili vindictâ *ſacerdos* obcœcaretur, *præfectus* contabeſceret. Vide quàm non injuriâ lingua divo *Jacobo* dicatur, *univerſitas iniquitatis*, *inquietum malum*, *plena veneno mortifero.*

SEN-

SENTENTIA.

SI pro otioſo verbo reddet unusquisque rationem in die judicii ; quantò magis pro verbo impuritatis , turpitudinis , & impietatis ? *S. Bern. de ordine vitæ , & mor. inſtit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOvit *Walericus* , quàm *bonos mores corrumpant colloquia prava :* quantâ pernicie , cancri ad inſtar , ſerpere ſoleant hujusmodi ſermones lubrici : atque ideo ſepiit aures ſuas ſpinis , ne hos ſerpentum infernalium ſibilos admitteret : & ori ſuo poſuit oſtium, ne quid unquam contra decorum excideret. Felices, qui illius *innocentiam* aſſecuti , non meminerunt *offendiſſe ſe in* verbo.

II. *Væ homini per quem ſcandalum venit* , hôc potiſſimùm *turpiloquii* vitiô ! exurget contra illum in judicio *Socrates* Ethnicus , qui , quoties occurrebat verbum quodpiam non ſatis purgatum , quod pronuntiari neceſſario debebat, palliô vultum operire ſolitus fuit cavendum ab hiſce diſcurſibus , ut ubique & ſemper : ſic maximè ibi , ubi *juventus* eſt : nimis enim quàm pronum eſt , iſtam peſte illâ infici. *Nil dictu fœdum , nil viſu hæc limina tangat , intrà quæ puer eſt.*

III. Veritatis æternæ effatum eſt : *ex abuntia cordis os loquitur.* Quibus munda eſt conſcientia & animus ab hoc luto purus , non poſſunt ad hujusmodi *feſcennina* non erubeſcere , velut ad impactum colaphum , uti erubuit *Ber-*

nar-

nardinus Senenſis, intaminatiſſimum ævi ſui *Lilium*. Aliis verò, quibus volupe paſce hiſce *porcorum ſiliquis*, familiare pariter eſt tam fœtidos propellere ructus. Pudet illos non eſſe impudentes. Ac, quò minùs ſoli pereant, aliis etiam hanc *impetiginem affricant*, bis homicidæ, & *ſui*, & *proximi*. Procul aberit ab errandi periculo, cui ſequens monitum cordi: *ſit gravitas in ſenſu, in ſermone pondus, atque in verbis modus*. S. Hier.

II. APRILIS.

S. Franciſcus de Paula

HUmilitate magiſtrâ, & *minimum* ſe *Franciſcus* credidit, & ſuos *minimos* dici voluit, inde non minùs, quàm à *charitate* maximus. Hæc adeò illi ſemper in ore fuit, ſemper in corde, ut immaniſſimam rupis molem, in villam jamjam deciduam, prodigiosè ſuſpenderit, pauciſſimis hiſce verbis uſus: *rupes! per charitatem ſtare te jubeo*. En! quanti apud DEUM meriti fuerit juncta humilitati charitas, ſocia charitati humilitas. Utráque tibi cordi ſit, utráque curæ, cùm altera ab altera divelli ſe non patiatur.

SENTENTIA.

MAgnus eſſe vis, à minimo incipe: cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. *S. Auguſt. ſerm. 10. de verb. Dom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. TAnti refert *humilitatem* intimis eſſe receptam animis, ut ſine hac nec ipſe

ipſe *charitatis* apex conſcendi queat. Totô igitur cœlô aberrat, quotusquisque DEUM & proximum diligere ſe ſibi perſuadet, niſi extra ſe penitùs eliminârit vanam omnem de ſe complacentiam, genuinam arrogantiæ matrem.

II. *DEUS charitas eſt:* & ibi maximè *charitas*, ubi ſe usque ad formam ſervilem demittit: ubi ſublimis illa majeſtas latere non dedignatur ſub humilibus ſpeciebus euchariſticis. Quæ deinceps *charitate* & *meritis* major DEIparâ? hæc tamen etiam ipſa eò deſcendit, ut, electa DEI mater, *ancillam* ſe diceret, affectu cum verbis eôdem. Ipſum hoc egêre *divi*, *divæque*: ipſum quòque nobis, nec aliud agendum.

III. Velut aurum reliquis metallis præcellit; ſic virtutibus reliquis major eſt *charitas*. Uti tamen itidem certum, pretium aurei nummi potiſſimùm æſtimari ex *pondere:* ita non minùs indubitatum, *charitatem* tantò pluris à DEO fieri, quantò ab humiliore animo fuerit profecta. Totam hæc virtus *cordis* noſtri *latitudinem* unicè ſibi vendicat, neque præter DEUM alterum rivalem aut inquilinum patitur. Unicus ſcrupus, imò *ſcrupulus*, aureum hunc nummum uti leviorem; ſic ſuô modô viliorem reddit. *Quid cinis & ignis in Altari, niſi charitas in mente humilis? ignis in cinere meliùs conſervatur: ſic amor in humilitate cuſtoditur.* S. Bernardinus Tom. 2. ſerm. 5. Art. 2. c. 2.

III. APRILIS.

S. Burgundophora Abbatiſſa.

NIhil *ex* omni *parte beatum eſſe*, in ſe ipſa experiri debuit *Burgundophora*, religioſiſſima cæterùm

terùm antiſtita. Mortalitatem jam depoſuerat, immortalem è ſponſi ſui manu coronam receptura, cùm ad decretorium tribunal deferri indoluit, quòd averſum in vita animum (incertum qua de cauſa) ad quasdam ſuarum monialium geſſiſſet. Tantum ea noxa potuit, ut animam propediem aliàs ad æternæ felicitatis quietem evolaturam, ſex menſium ſpatiô ad corpus relegaret, pœnali ſanè remorâ: expiaturam pleniùs eas, quas ex hac animi exacerbatione contraxerat ſordes. Revixit ergo *Burgundophora*, nec modò *matris* animum erga inviſas ſibi filias induit: verùm exactô etiam feriæ pietatis ſtudiô complere adniſa eſt illud apocalypſeos monitum: *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Apoc. 22.

SENTENTIA.

VOx carnificum eſt, ſicut peccavit, ſic puniatur: vox chriſtianorum, ſicut cecidit, ſic levetur; ſicut dolet, ſic recreetur. *S. Auguſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PEccavit in charitatis legem *Burgundophora*, exulceratum in aliquas filiarum ſuarum animum gerendo: *homo* nimirum, nec exempta penitus ab infirmitatibus humanis. Has verò permiſit DEUS pro exercitio ſanctæ *humilitatis:* ac, ne ejus famula, uti officiô reliquis ſuperior, ſic animô ſupra illas ſe efferret. Hæc ſincerior ſui inſpectio facit *Prælatum*, ſalvô tamen omni ſuô honore, ſubditorum (per humilitatem)

ſubſterni pedibus, quod ſanctè ſua in regula magnus eccleſiæ doctor innuit *Auguſtinus.*

II. Hæc animorum averſio, prô, quàm familiare mortalibus vitium eſt! diſplicent nobis alii, nos aliis. Carpimus, & carpimur. Communiter tamen in obſervandis aliorum defectibus *lynces* ſumus, in noſtris *talpæ.* Hic verò nævus ortum ſuum juxtà ac progreſſum non aliunde trahit, quàm à charitatis defectu, quæ tum *omnia ſuffert*, cùm æqualiſſima eſt ad omnes, proximum quemque, tanquam ſeipſum, amans & æſtimans.

III. Eadem iſta charitatis penuria uti beneficia infra æquum extenuat; ſic injurias ſupra meritum auget: indéque fit, ut ad illa compenſanda plumea nobis memoria ſit: ad has vindicandas iræ plumbeæ. Pudeat nos hoc in paſſu, quà verbis quà factis, à gentilibus ſuperari: plurima diſſimulârunt illi perituræ gloriæ causâ: nos vix aliqua, æternæ mercedis intuitu. Arguunt iſta debilem in nobis animum, & ad motum quemvis curvari facilem. *Illud non venit in dubium*, inquit Seneca 3. de Ira. c. 95. *quin ſe exemerit & altiùs ſteterit, quisquis deſpexit laceſſentes.*

IV. APRILIS.

S. Zoſimas Anachoreta.

M*Ariam Ægyptiacam*, ex infami ſcorto, germanam *divæ Magdalenæ* æmulam, ſanctus hic Eremita vivificô pane ad fatalem luctam præmuniit, & demortuam tumulo intulit. *Vir* cæterà *ſecundùm cor DEI*, ſi unum excipias, unde DEO diſplicuiſſe potuit. Videbatur ſibi expleſſe omnia,

omnia, quæcunque à *ſancto* exigi poterant: nec eſſe in vivis, à quo diſcere amplius quidquam poſſet. Sed errorem hunc ſuum dedoctus eſt, voce deſuper allapsâ, quæ arrogantiam hanc furtivè ſe inſinuantem vivo caſtigavit exemplo religioſorum, in *communi* & *clauſtrali* vita id perfectionis adeptorum, quòd in *ſolitaria* ſibi usque huc defuiſſe *Zoſimas* nimis quàm liquidò advertit. Adeò verum, quod, vulgari fertur proverbiô: *etiam trans amnem eſſe, qui terram incolant.*

SENTENTIA.

NEmo perfectus, qui perfectior eſſe non appetit: in eo quippe perfectiorem ſe probat, quòd ad majorem tendit perfectionem. *S. Bernardus. Epiſt. 34.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NEmo in via perfectionis remotior eſt à fine, quàm qui ſibi videtur eidem eſſe proximus. Longiùs ille exporrigitur: nec alia viæ, quàm vitæ meta. *Plus ultra* cuique connitendum eſt, quantumcunque profeciſſe ſe putet. Reſpiciendum igitur ad exemplum magni gentium doctoris, qui de ſe ſic proteſtatur: *ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem, quæ quidem retrò ſunt, obliviſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis DEI in Chriſto JESU.*

II. Arguit hæc tentatio, quâ *Zoſimas* impetitus eſt, mille dæmonis dolos & technas. No-

ſubſterni pedibus, quod ſanctè ſua in regula magnus eccleſiæ doctor innuit *Auguſtinus*.

II. Hæc animorum averſio, prô, quàm familiare mortalibus vitium eſt! diſplicent nobis alii, nos aliis. Carpimus, & carpimur. Communiter tamen in obſervandis aliorum defectibus *lynces* ſumus, in noſtris *talpæ*. Hic verò nævus ortum ſuum juxtà ac progreſſum non aliunde trahit, quàm à charitatis defectu, quæ tum *omnia ſuffert*, cùm æqualiſſima eſt ad omnes, proximum quemque, tanquam ſeipſum, amans & æſtimans.

III. Eadem iſta charitatis penuria uti beneficia infra æquum extenuat; ſic injurias ſupra meritum auget: indéque fit, ut ad illa compenſanda plumea nobis memoria ſit: ad has vindicandas iræ plumbeæ. Pudeat nos hoc in paſſu, quà verbis quà factis, à gentilibus ſuperari: plurima diſſimulârunt illi perituræ gloriæ causâ: nos vix aliqua, æternæ mercedis intuitu. Arguunt iſta debilem in nobis animum, & ad motum quemvis curvari facilem. *Illud non venit in dubium*, inquit Seneca 3. de Ira. c. 95. *quin ſe exemerit & altiùs ſteterit, quisquis deſpexit laceſſentes.*

IV. APRILIS.

S. Zoſimas Anachoreta.

M*Ariam Ægyptiacam*, ex infami ſcorto, germanam *divæ Magdalenæ* æmulam, ſanctus hic Eremita vivificô pane ad fatalem luctam præmuniit, & demortuam tumulo intulit. *Vir* cæterà *ſecundùm cor DEI*, ſi unum excipias, unde DEO diſplicuiſſe potuit. Videbatur ſibi explèſſe omnia,

omnia, quæcunque à *ſancto* exigi poterant: nec eſſe in vivis, à quo diſcere amplius quidquam poſſet. Sed errorem hunc ſuum dedoctus eſt, voce deſuper allapsâ, quæ arrogantiam hanc furtivè ſe inſinuantem vivo caſtigavit exemplo religioſorum, in *communi* & *clauſtrali* vita id perfectionis adeptorum, quòd in *ſolitaria* ſibi usque huc defuiſſe *Zoſimas* nimis quàm liquidò advertit. Adeò verum, quod, vulgari fertur proverbiô: *etiam trans amnem eſſe, qui terram incolant.*

SENTENTIA.

NEmo perfectus, qui perfectior eſſe non appetit: in eo quippe perfectiorem ſe probat, quòd ad majorem tendit perfectionem. *S. Bernardus. Epiſt. 34.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NEmo in via perfectionis remotior eſt à fine, quàm qui ſibi videtur eidem eſſe proximus. Longiùs ille exporrigitur: nec alia viæ, quàm vitæ meta. *Plus ultra* cuique connitendum eſt, quantumcunque profeciſſe ſe putet. Reſpiciendum igitur ad exemplum magni gentium doctoris, qui de ſe ſic proteſtatur: *ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem, quæ quidem retrò ſunt, obliviſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis DEI in Chriſto JESU.*

II. Arguit hæc tentatio, quâ *Zoſimas* impetitus eſt, mille dæmonis dolos & technas. No-

Digitized by Google

verat probè religioſiſſimum Eremitam vel umbrâ etiam peccati abſterrendum: indéque *cuniculis* rem acturus, præſidentiâ meritorum præteritorum heroëm evertere conatus eſt. An non & tibi ſæpiùs illudit *fictâ ſanctitatis ſpecie*, ut malum bonum dicas, & bonum malum? *vigilandum* igitur & *orandum*, ſemperque ſtandum in acie.

III. *Eſtote perfecti*, monet Chriſtus, *ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Sublimis profectò menſura! hanc ut quomodolibet aſſequatur tenuitas tua, *ignis* naturam indue. Ut enim hic *nunquam dicit, ſufficit:* ſic quantamcunque perfectionem obtinuiſſe te putes, magis tamen continuò magisque perfici cura. Nôrunt quibus eſt ſincera virtutis æſtimatio, de divina perfectione, quam æmulantur, convenientiſſimè dici illud ex proverbiis: *qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient.*

V. APRILIS.

S. Vincentius Ferrerius Conf.

ILluſtre hoc ſidus *Ordinis Prædicatorii* totam *eccleſiam* in *luctum* dare debuit, ubi hâc die cum morte *colluctatus*, exceſſit è ſtatione *ſtrenuus pugil. Verbô* & *exemplô* tam largam animarum meſſem collegit *pervigil operarius*, ut certò conſtet perpurgâſſe illum à paganismi, & infidelitatis fœcibus *Saracenorum viginti quinque millia: judæorum* totidem: ſceleratorum è chriſtianorum ſyllabo ad frugem reduxiſſe *centum viginti millia:* perſonarum infamium *quadraginta millia.* Ut taceamus beneficia aliis paſſim ab eodem exhibita,

ſub-

ſublata odia & diſſenſiones. Tantum virtuti huic orcos invidit, ut ſemel, iterumque *mulierum operâ* labefactare illam niteretur. Sed vicit *Vincentius mulierum* aſtum, adjutus à *parente Virgine*. Hoc demùm eſt, *ſervum eſſe bonum & fidelem, dignum ſuper multa conſtitui, atque intrare in gaudium Domini ſui.*

SENTENTIA.

SErmo dulcedinem non habet, quem vita reproba intrà conſcientiam remordet. S. *Greg. Homil. 10. in Ezech.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FAcilè verbum DEI fit *quaſi ignis*, & *quaſi malleus conterens petram*, Jerem. 23. ſi præco ejusdem, quod religioſe obſervavit *Vincentius*, & ipſe charitate igneus ſit, &, velut aurum, purgatus à peccati ſcoria. Facilè illô ex errorum tenebris in veritatis lucem reducuntur profugi peccatores, ſi ipſe concionator hôc DEI verbô utatur velut *lucernâ pedibus ſuis*. Imò, ſi ipſemet, *exemplô vitæ inculpatæ*, non exiguum illi luci adjiciat radium, uti adjecit *Vincentius*: qui puerulus adhuc ruminare ſolitus erat, quæ fidelibus aliquando & infidelibus eructaret.

II. Uti porrò plura ſunt quibus concionatores inſtructos eſſe convenit: ſic non minora ab auditoribus exiguntur. Prona auris, quam non rarò arrigit ſola *curioſitas*, minimè ſufficit ſed opus inſuper eſt *corde bonô & optimô, quod verbum DEI*

retineat, & fructum faciat in patientia. Hôc efficimur non *auditores* tantùm, sed & *factores legis.*

III. Perinde dispositum esse oportet hominis animum pro suscipiendo cibo spirituali, ac stomachum pro materiali. Uti verò hic purgatus; ita ille debet esse purissimus, siquidem validè intra se operari velit *motiones divinas.* Utrinque requiritur *orexis* & appetentia cibi minimè vitiata. Denique pro capiendo fructuosè cibo corporali adhibetur consueta benedictio: pro spirituali fervens oratio. Si à tot concionibus non fuerit hactenus repleta anima tua velut *adipe & pinguedine:* signum est, latere alicubi defectum, quem tollat oportet, qui verbô DEI impinguari vult.

VI. APRILIS.

S. *Guilielmus.*

UNicus in *crucifixi Servatoris effigiem* obtutus devotior, iis *Guilielmi* animum flammis succendit, ut nihil jam cunctatus, religioso se crederet ascetorio, sæculô æternùm valere jussô. Magnos in eo vitæ instituto brevi tempore progressus fecerat, rigidus vitiorum profligator, disciplinæ regularis *zelator* egregius, virtutum omnium exemplar exactum. Ciliciô corpus assiduè domabat, novô etiam indutus ad ineundam, ipsô *resurgentis Domini* die, æternitatis viam, septenniô jam ante cœlitus prædictam. Meritorum ejus amplitudinem frequentissima mox ab obitu miracula satis declarárunt. *Quin & tu sequeris hoc virtutum exemplar, quod in monte Calvariæ, uti Guilielmo; sic tibi dudum abhinc monstratum est?*

SEN-

SENTENTIA.

NUllum tam efficax remedium contrà peccata poteſt in terris haberi, ſicut devota memoria meæ paſſionis, cum fide recta, & vera pœnitentia. *Ita Chriſtus ad* S. *Gertrud.* ut refert *Bloſ. in Monil. Spirit. c. 1.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOluit *Guilielmus*, & verò nequiit ultrà immorari ſæculo, retardare fruſtrà nitentibus proſapiâ nobili, & ampliſſimis canonicatûs proventibus, ubi nudum è crucis ſtipite pendere vidit *ſervatorem ſuum.* Quanta eruditionis ſuppellex, quanta pro formando ritè animo, pro deſpuendo penitus mundo, pro caſtiganda rebelli carne documenta hauriuntur ex inſpecto DEI Filio, ſic, ad libri modum deſcripto *intùs & foris:* intùs *charitate:* foris *millecuplis virgarum, vulnerúmque veſtigiis!*

II. Conſuevêre hactenus (utinam id factum non foret cum tam grandi Numinis offenſa!) pulchritudines creatæ curioſius attentæ eò abripere hominum animos, ut hi aliud nec cogitarent nec loquerentur, quàm *ſuos amores*, *ſuas ſordes.* Et idipſum efficere non poſſit devotior in *crucifixum* obtutus? potuit ſæpiùs & etiamnum poterit, ſiquidem apertô non *corporis*, ſed & *mentis* oculô contemplemur eum, quem unus noſtri amor è cruce pendere fecit.

III. Beati erunt olim oculi noſtri ſi nobis fuerint *hoc in amore duces.* Vivaciſſimas in animum ſpecies tranſmittent, quibus hic incitetur ad ex-

primendum intra ſe *exemplar* tam nobile. Capiet demum talis animus emolumentorum ejusmodi non modò ſpem firmam, ſed etiam *experimentum*, ſi cum divo *Auguſtino*, ſimilibus obtutibus aſſueto, fideliter dicat: *dilexiſti me plus quàm te, quia mori voluiſti pro me.* Solil. c. 13. Et cum S. Bernardo: *tantum dilexiſti me, ut ſanguinem tuum in pretium dares pro me.* Serm. 3. de Nativit. Dom.

VII. APRILIS.

B. Joſeph Hermannus Præmonſtrat. Steinfeldenſis.

RES arduæ foret operæ, ſingulos recenſere favores, quibus pientiſſima VERBI Parens hunc ſuum *Benjaminum* jam inde à puero dignabatur. Id prorſus certum, non majorem filio cuique affectum ab amantiſſima etiam matre impendi unquam potuiſſe. Per MARIAM *Hermanno* licuit innocenter colludere parvulo Virginis filio, ejusdemque præcurſori. MARIA vivum indigenti ærarium ſtatuit informem lapidem. MARIA denique *Hermannum* caſtô ſibi junxit connubiô, pro arrha ſponſalitia venerando *Joſephi* nomine donatum: ac, utne ſponſæ abſentiâ, quod circa amantes fieri ſolet, torqueretur hujus Virginis neoſponſus, ultrò, citróque, atque indies ferè aſpectabilem illi ſe ſtitit DIVA. *Sic ſcilicet honorabitur, quemcunque regina ſuperûm voluerit honorare.*

SENTENTIA.

QUi de manè vigilaverit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam pro foribus ſuis inveniet. *Sapient. 6. v. 15.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. UTi bonum est homini portâsse *jugum* Domini *ab adolescentia sua*: sic proficuum non minùs est à teneris serviisse *MARIÆ*. Manè vigilandum ad illam, ut *Hermannus* egit, tenerrimum erga Virginem affectum cum ipso lacte materno imbibisse visus. Et, ô quantos ea propter à Diva favores obtinuit! si simile nihil tibi obtingat, salubriter tristare de nimia tua indignitate: & posthac omni virium conamine *MARIAM ama, MARIAM cogita, MARIAM invoca.*

II. Indubium, pientissimam hanc matrem clientis sui formâsse adolescentiam, & perpoliisse ad recti amussim. Incuria nimis est ea ætas, ac vigilis directionis plurimùm indiga. Multùm fortè tua olim exerravit: neque alia hujus causa, quàm tenuis & perfunctorius in magistram hanc affectus. Deinceps igitur, quod vitæ reliquum habes, ad sanctissimæ illius vitæ normam sic adaptare connitere, ut in actionibus tuis *MARIA* resplendeat.

III. Acerbè aliquando hunc servum suum redarguit DEIpara, ob torporem, qui negotiis vix non obruto clanculùm obrepserat. O quàm nobis familiare hoc vitium! mutamur in momenta, jam ignei, jam tepidi, demum frigidi. Væ nobis si pro merito ad singulas has socordias censoriâ DEIparæ virgulâ notemur! notabimur tamen aliquando, & magnô quidem nostrô damnô. Interim verò defectum patrocinii Virginis non alteri imputabimus, quàm neglecto ejusdem cultui. Quod ore ecclesiæ DEO; idem dicimus MARIÆ: *sic tu nos visitas, sicut te colimus.*

Digitized by Google

VIII. APRILIS.

S. *Wiclerpus Episcopus.*

CÆlo jam receptus, quò eum evexerant merita ecclesiastica præsule digna, *D. Herlucæ*, Virgini devotæ, spectabilem se stitit, inque visione Christum illi exhibuit, eâ formâ & habitu, quô ab iniquo præside furenti olim populo è *Gabathæo* suggestu fuerat ostensus: plagis videlicet contusum, flagris lacerum, pugnis lividum, sputis deformem. Exhorruit *Herluca*, nec immeritò, cruentum spectaculum: ac in homine hominem quærens, anxiè auctorem indagavit metamorphoseos tam dolendæ. Reposuit Divus: lanienam hanc hodieque exerceri ab iis potissimùm, qui mortalibus vitiis fædati non erubescerent accumbere *mensæ eucharisticæ*. O quàm dolendum, margaritam hanc, summi Dei splendoribus radiantem, tam viliter proteri sordidissimis porcorum pedibus!

SENTENTIA.

QUi se non judicant, nec Sacramenta dijudicant, sed, sicut cibis communibus sacris utuntur muneribus, & dominicæ mensæ in vestæ lutulenta se ingerunt impudenter: iis melius erat molâ asinariâ collo alligatâ mergi in pelagus, quàm illotâ conscientiâ de manu Domini buccellam accipere. S. *Cyprian. serm. de Cœn. Domini.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Opus grande est*, inquiebat David, ſollicitus de ſumptibus conſtruendo templo neceſſariis: *neque enim homini præparatur habitatio, ſed DEO.* Verè *opus grande*, diſponere animum ad dignam auguſtiſſimi hujus *ſacramenti* ſuſceptionem. *Quantum potes, tantum aude;* indubius, nunquam ex æquo omni tuâ ſolertiâ reſponſurum te & merito *ſacramenti*, & debito tuo. *Cœnaculum grande ſtratum* locum huic cœnæ ſuppeditet: anima ſcilicet largiſſimâ virtutum copiâ probè exculta, & puriſſimô charitatis aurô, veluti *ſancta ſanctorum*, penitiſſimè veſtita.

II. *Foris* ergò *canes* ab hoc triclinio: procul *fuci* ab hoc alveari. *SANCTA SANCTIS.* Ac utinam non ipſi ſemet intruderent, oblatrante licet conſcientiâ! maximam profectò *amori euchariſtico* irrogant injuriam: inde potiſſimùm, quòd *conſuetudinariè* delinquant, ac per inexcuſabilem malitiam. *Cujus mens non raperetur in exceſſum, ubi mundi pretium mittitur in ſterquilinium?* S. Aug. apud D. Thom. Opuſc. 38. c. 18.

III. *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt DEUS. Si autem in DEUM peccaverit vir, quis orabit pro eo?* 1. Reg. 2. At certè in *DEI-hominis perſonam* peccat, quisquis *Filium DEI* conculcando, & *ſanguinem teſtamenti pollutum* ducendo, *reus* fit *corporis & ſanguinis Domini.* Proba igitur teipſum, ac, ut præter gratiam, quam *ſacramentum* per ſe operatur, eam etiam capias, quæ major minor ve datur magis vel minùs

diſpo-

disposítis: hîc potiùs, quàm *in* cæteris *omnibus operibus tuis præcellens esto.* Eccl. 33.

IX. APRILIS.

S. *Maria Ægyptiaca.*

POterat diva hæc pœnitens, infame olim prostibulum, videri germana soror illius, qui damnabili socordiâ debitum contraxerat decem millium talentorum: adeò à pueritia in obliqua deflectere cœpit, peccatis peccata cumulando, & luxuriæ fimo aurium tenus se immergendo, unde vix emersisset, nisi manum adjuvam porrexisset periclitanti, ea, quæ gloriosô sibi, lætô nobis titulô, *refugium peccatorum* audit. Hujus auspiciis, inspectâ penitiùs peccati fœditate, adeò se ipsam horruit, ut in densissimam trans Jordanem eremum abstrusa, quadraginta octo annis rigidam ageret pœnitentiam, continuis lacrymarum imbribus perfusa, dum Dei miserentis gratiâ super nivem dealbaretur. Utinam, qui peccantis vestigia trivimus, à pœnitentis tramite non exerremus!

SENTENTIA.

PEccata tua in libro scripta sunt, spongiæ autem instar sunt lacrymæ tuæ; lacrymas mitte, & obliterantur: lacrymas funde, & purus ille liber invenitur. S. *Joan. Chrysost. Homil. 2. in Ps. 50.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm proclivis ad lapsum est natura humana, tam etiam est resipiscentiæ

tiæ inaſſueta. Celeri pede ſequimur eos, qui exerrant à lege DEI: tardô alios, qui revertuntur. Has nimirùm nebulas animo peccatum offundit, quas, niſi diſſipet *gratia*, nunquam operabitur homo quæ *ad pacem* ſibi ſunt & ſalutem. Inſtanter igitur hæc petenda eſt, *ut cognoſcamus in terra viam* Domini, eamque *corde* per charitatem *dilatatô* alacres decurramus.

II. *Longè* quidem paſſim *à peccatoribus ſalus*: longiſſimè tamen ab iis, quibus *luxuriæ* vitium ſenſum ademit. *Declinant* ejusmodi cum nequam illis judicibus *oculos ſuos* ne videant ſolem: ac ſuaviùs illis accidit, ſaburrari *porcorum ſiliquis*, quàm in domo Domini *abundare panibus*. Verùm versâ olim ſcenâ *famam patientur ut canes*: neque aliud erit *pars calicis eorum*, quàm *ignis*, & *ſulphur*, & *ſpiritus procellarum*: dum interim electi *torrente voluptatis* potabuntur per ſæcula ſempiterna.

III. Facile fuit levem mulierculam in urbe tam celebri, occaſionibus peccandi tam frequentibus, prolabi denique, & longis temporum tractibus in libidinum luto volutari. At viros, ut videbantur, in virtute radicatos, in abditiſſima eremo DEO tantùm & angelis cognitos, non rarò ab hac peſte afflatos corruiſſe, hoc demum lacrymis dignum eſt. Exhorruit ad hoc vehementer *Hieronymus*, cujus eſt hoc quod ſequitur: *experto crede, coram DEO non mentior: cedros Libani, duces gregum ſub hac peſte cecidiſſe reperi.*

X. APRI-

X. APRILIS.

S. *Antonius Martyr.*

ANtonium primò perfidum reddidit, & DEO, atque fidei ſuæ injurium *nimius vitæ amor*, & *mortis metus*. Verùm expensô ſollicitiùs, Chriſtô indignum eſſe, qui ſuam animam plus illô amat & æſtimat, tam ſalubri ſemet odio perſequi cœpit, ut *Tunetanum* regem ultrò conveniens perfidiam ſuam, quà verbis quà fletibus retractaret: tumque porrò propriô etiam ſanguine, dirâ, ex tyranni imperio morte confectus, elueret. *Genuæ* ad pedes Chriſti è cruce penduli tumulari voluit, ut vel mortuus reſarciret, quod vivus humanô errore circa illius ſeriam confeſſionem neglexerat. *Si non peccâſſet, fecerat ille minus.*

SENTENTIA.

QUis, niſi inſanus, in tanto mutabilitatis ancipiti, ſibi ſecuritatem promittit? *Richard. de* S. *Vict. l. 2. de erud. inter hom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PErſiſtere immobilem in bene cœptis, *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt DEI.* O quanti dixerunt cum Pſalmiſta: *non movebor in æternum:* qui deinde in iniquitatibus ſuis humiliati ſunt nimis. Petrus apoſtolici agminis ductor, Jacobus interciſus, & *Jacobus* ex Ordine Præmonſtratenſi, unô velut ore nos monent: *qui ſtat, videat ne cadat.* 1. Corinth. 10.

II. No-

II. Noſtri deinde lapſus tantò minùs culpâ vacant, quantò accidunt ab impulſu leviore. Sæpe ſæpiùs non vitæ diſcrimen, non tyranni gladius, ſed *levis paſſio* totum hominem ſternit, deque virtutum faſtigio ad vitiorum ima dejicit: tumque contingit, ut *filii Sion inclyti & amicti* priùs *aurô primô*: poſt reputentur *in vaſa teſtea, opus manuum figuli.*

III. Nunquam igitur propriis viribus vel magni vel parvi aliquid inædificemus, ſed uni *gratiæ divinæ*, cujus eſt, *hominis ſtabilire cor.* Lubricum deinde fugiamus, qui in firmo nutare conſuevimus. Nunquam ardui aliquid, niſi implorato priùs auxiliô divinô, ſuſcipiamus. Ac demum, ne in vitæ portu (quod non infrequens) naufragium patiamur: vela actionum & intentionum noſtrarum, molimine quantô poſſumus, aſpirantibus divinæ providentiæ *Zephyris* obvertamus. Dabit DEUS, *cujus natura eſt bonitas, cujus opus miſericordia*, ut curſum denique, bonô certamine certatô, conſumemus, fidem ſervemus, à benigna ejusdem manu recepturi coronam gloriæ immortalis, perſeverantibus promiſſam. *Qui perſeveraverit usque in finem; hic ſalvus erit.*

XI. APRILIS.

S. *Leo Magnus.*

DIgniſſimus hoc elogiô pontifex, cùm ob tenoram in DEUM & cœlites pietatem; tum ob doctrinam inſignem, quâ totam erudiit olim, & etiamnum erudit eccleſiam. Principi apoſtolorum devotiſſimus vixit, cujus auſpiciis ut veram ſan-

ſanctitatem, & noxarum præteritarum veniam indipiſceretur, juſtam ad ſacras illius exuvias, rigidas inter vigilias & jejunia, quadrageſimam egit. Monitus aliquando ab apoſtolo, ne in collatione SS. Ordinum humanô, minus carnali duceretur affectu, ſed ordinandorum meritis: diſplicere enim DEO vel maximè hanc præſulum eccleſiaſticorum inconſiderantiam: fideliter conſulenti paruit, nihil deinceps in ordinandis magis requirens, quàm ſinceram, cum ſpectata eruditione, probitatem. Hæc ſi tibi, ſacerdotum ſyllabo adſcripto, deſint, nulli parcito labori, quò illa compares.

SENTENTIA.

PAulus paſtores, & doctores, *ad Epheſ. 4.* ſimul complexus eſt, ut intelligerent paſtores ad officium ſuum pertinere doctrinam. *Auguſt. in Epiſt. 59. de Paulin.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SI ex gravi, veriſſima tamen doctorum cenſura, enormiter delinquant *academiæ*, quæ indignos gradibus & titulis inſigniunt: quantò majorem culpam incurrent ſummi eccleſiæ præſules, qui idiotas hujusmodi (ſi præſertim ſint vitæ parùm laudabilis) ſacris tribunalibus & eccleſiis regendis applicant? tenebuntur indubiè promotores ejusmodi DEO *in ſolidum*, atque ad reſarciendum omne damnum, quod ex damnabili miniſtrorum ejusmodi vita & ruditate obtigerit. At verò quônam modô id reſarcient?

II. Eſſe

II. Esse porrò id damnum longè maximum, fatis hodiéque loquuntur tot hæreses, *inconsutilem togam CHRISTI* nunquam sic discissuræ, si non arma subministrâssent pastorum cùm ruditas, tum improbitas. Necesse nimirum est, cæcis ductoribus, mortales itidem cæcos in errorum foveas prolabi. *Sicut*, inquit S. Chrysost *videns arborem foliis pallentibus marcidam, intelligis, quòd aliquam culpam habeat circa radicem: ita cùm videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quòd sacerdotium ejus non est sanum.* Tract. de Symbolo.

III. Zizania semini bono tum superseminantur, cùm dormiunt, quibus incumbit agri dominici cura. Quotquot igitur *animabus curandis* destinati sunt, mediis congruis muneri tanto indies aptiores fieri studeant, ne *oleum & opera* olim suscepta unâ simul jacturâ pereant. Si, ad mentem doctoris angelici, *quisque teneatur ea scire, quæ ad statum suum & officium spectant.* 1. 2. q. 76. a. 2. Quî excusabitur sacerdos suâ culpâ indoctus, & impius?

XII. APRILIS.

S. Zeno Episcopus Veronensis, & Martyr.

EXactissimâ vitæ probitate, atque in DEUM fide id præmii consecutus est, ut non DEUM modò sibi obsequentem haberet, sed & mirô in dæmones polleret imperiô. Hujus argumentum præstitit, ubi unicam *Gallieni* filiam ab hac peste, & tetro hoc inquilino salvam fecit. Præmium submisit Imperator Coronam auream. Quid enim,

ſanctitatem, & noxarum præteritarum veniam indipiſceretur, juſtam ad ſacras illius exuvias, rigidas inter vigilias & jejunia, quadrageſimam egit. Monitus aliquando ab apoſtolo, ne in collatione SS. Ordinum humanô, minus carnali duceretur affectu, ſed ordinandorum meritis: diſplicere enim DEO vel maximè hanc præſulum eccleſiaſticorum inconſiderantiam: fideliter conſulenti paruit, nihil deinceps in ordinandis magis requirens, quàm ſinceram, cum ſpectata eruditione, probitatem. Hæc ſi tibi, ſacerdotum ſyllabo adſcripto, deſint, nulli parcito labori, quò illa compares.

SENTENTIA.

PAulus paſtores, & doctores, *ad Epheſ. 4.* ſimul complexus eſt, ut intelligerent paſtores ad officium ſuum pertinere doctrinam. *Auguſt. in Epiſt. 59. de Paulin.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SI ex gravi, veriſſima tamen doctorum cenſura, enormiter delinquant *academiæ*, quæ indignos gradibus & titulis inſigniunt: quantò majorem culpam incurrent ſummi eccleſiæ præſules, qui idiotas hujusmodi (ſi præſertim ſint vitæ parùm laudabilis) ſacris tribunalibus & eccleſiis regendis applicant? tenebuntur indubiè promotores ejusmodi DEO *in ſolidum*, atque ad reſarciendum omne damnum, quod ex damnabili miniſtrorum ejusmodi vita & ruditate obtigerit. At verò quônam modô id reſarcient?

II. Eſſe

II. Esse porrò id damnum longè maximum, satis hodiéque loquuntur tot hæreses, *inconsutilem togam CHRISTI* nunquam sic discissuræ, si non arma submini strâssent pastorum cùm ruditas, tum improbitas. Necesse nimirum est, cæcis ductoribus, mortales itidem cæcos in errorum foveas prolabi. *Sicut*, inquit S. Chrysost *videns arborem foliis pallentibus marcidam, intelligis, quòd aliquam culpam habeat circa radicem: ita cùm videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quòd sacerdotium ejus non est sanum.* Tract. de Symbolo.

III. Zizania semini bono tum superseminantur, cùm dormiunt, quibus incumbit agri dominici cura. Quotquot igitur *animabus curandis* destinati sunt, mediis congruis muneri tanto indies aptiores fieri studeant, ne *oleum & opera* olim suscepta unâ simul jacturâ pereant. Si, ad mentem doctoris angelici, *quisque teneatur ea scire, quæ ad statum suum & officium spectant.* 1. 2. q. 76. a. 2. Quî excusabitur sacerdos suâ culpâ indoctus, & impius?

XII. APRILIS.

S. Zeno Episcopus Veronensis, & Martyr.

EXactissimâ vitæ probitate, atque in DEUM fide id præmii consecutus est, ut non DEUM modò sibi obsequentem haberet, sed & mirô in dæmones polleret imperiô. Hujus argumentum præstitit, ubi unicam *Gallieni* filiam ab hac peste, & tetro hoc inquilino salvam fecit. Præmium submisit Imperator Coronam auream. Quid enim,

quàm terreum daret gentilis? ſed reſpuit *Zeno*, etiam admiſſam: diffregit enim, & pretioſis ejusdem reliquiis, extremæ pauperum indigentiæ ſolerter proſpexit, obtentô deſuper liberalitatis tantæ præmiô, gloriosâ Martyrii Laurô. Talis nempe divitiarum uſus abuſum omnem præcavet.

SENTENTIA.

DIvitiæ ſapientum diſtributæ pauperibus, ſunt corona: id eſt: cauſa coronæ eorum, quâ coronabuntur in Patria. *Hugo Cardin. in c. 14. Proverb.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DIvitiæ ſpinæ ſunt, non alibi roſarum fertiles, quàm in ſinu pauperum. Velut aqua ignem; peccata extinguunt, & penitus abolent. *Zenoni* certè corona fuêre, præſtantior infinities, quàm eſſet aurea *Gallieni*. Impiis verò ſunt laquei pretioſi, ſpecioſa ſupplicia, & via ad perditionem proxima, ubi, dum cor illis apponitur, illud à DEO longiſſimè abſtrahunt, & elongant.

II. Sic abſtractum elongârunt cor epulonis evangelici, qui utut indueretur purpurâ & byſſô, & epularetur quotidie ſplendidè, finem tamen opinione citiùs vidit, mortuusque, intra flammarum infernalium vortices tumulum reperit. Alius verò nec his, quæ habuerat, ſatur, ingratum illud audiit: *ſtulte! hâc nocte animam tuam repetent à te, & quæ paraſti, cujus erunt?* ſic ſcilicet

Digitized by Google

cet *ſomnum ſuum dormiunt omnes viri divitiarum*, & ubi ſerò evigilant, *nihil inveniunt in manibus ſuis.*

III. Cautiùs ſuis rebus proſpiciunt, qui divitias quidem admittunt, veluti dona illius, qui de ſe loquitur Prov. 8. *Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ* &c. Sic tamen iisdem utuntur, tanquam non utantur. Mittunt hi panem ſuum ſuper tranſeuntes aquas, indubii poſt tempora multa, vel pauca eum ſe recepturos. Horrent vinci à cæcis gentilibus, quorum pars magna amore vitæ quietioris, opes abjecit, contempſit, deſpuit, plus aliquid, ſine dubio factura, ſi, qui nobis in lege gratiæ, iisdem ſpiritus affulſiſſet. *Beatus* ergo *vir, qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecuniæ theſauris.* Eccleſ. 31. Habebit enim *theſaurum non deficientem in cælis* Lucæ. 12.

XIII. APRILIS.

S. Juſtinus Philoſophus, & M.

PRimum converſioni ſuæ initium *Juſtinus* poſuit lectionem ſacrorum codicum: in iis parvo temporis tractu reperit quietem animi, totâ priore vitâ nec obiter præguſtatam. Abjuratâ ergo ſuperſtitione gentili, uni deinceps Chriſto ſerviturus, Chriſtianus & audiit, & fuit. Totus poſtmodum in reducendis ad frugem hæreticis & infidelibus, cum adverteret, ex nimia illorum pertinacia fructum operæ ſuæ non penitùs reſpondere, aureâ hac ſententia ſe ſolari conſuevit: *Etſi pauci patiantur ſe noſtrâ oratione permoveri, non tamen deſinemus magnos inde fructus conſequi. Bo-*

num Dominum habemus, qui in eo, qui suâ causâ laborat, mentis conatum, non messem inde provenientem considerat. Argutiæ sunt istæ è Philosophia non mundana, sed cœlesti, quæ Spiritu sancto Doctore traditur.

SENTENTIA.

UBi Spiritus sanctus magister est, facilè discitur, quod docetur. *S. Ambrosius.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm multa continentur sacris voluminibus, quæ à sapientibus,& prudentibus, absconsa, revelantur parvulis! nunquam *Justinianus* sic profeciſſet in *scientia sanctorum*, nisi humili in DEUM fiduciæ sacram junxisset lectionem. Alia est DEI docendi methodus, alia mundi. DEI doctrina tota in secreto traditur: neque perfectiùs capitur, quàm ab animo à terrenis affectibus puro. *Linguas infantium facit esse disertas.* Sap. 19. superborum verò *elingues.*

II. Prætereà non frustatim illabitur hæc scientia, sed animis probè dispositis pleniſſimè se insinuat. Miseri sumus, si sæcularis tantùm sapientiæ studiosi simus. Quot temporis terimus, dum formare characteres, jungere syllabas, construere verba discamus! dum interim rudis piscatorum grex unô momentô accepit *os & sapientiam*, cui non poterant resistere & contradicere omnes eorum Adversarii.

III. Advertit *Justinus* impletum in se illud D. Hieronymi: *Vides eloquentissimos adduci ad fidem*, &

& ſtultam fieri ſapientiam ſapientûm. in Iſaiæ c. 6. Optimus ergo Philoſophus eſt, quisquis divinam ſapientiam à teneris adamat. Advertet profectò, omnia pariter bona cum illa, atque per illam adventura. DEUM, ſeque, ad claritatis illius radios intuebitur. DEUM quidem, ut debitum amoris tributum illi pendat: ſe verò, ut animum exactiſſimo perfectionis divinæ exemplari pro virili conformet. *Nôſſe te conſumãta juſtitia eſt, & ſcire juſtitiam, & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.* Sap. 15. v. 3.

XIV. APRILIS.

S. Lydwina Virgo.

PRodigium patientiæ jure hanc Virginem dicat, qui vitam illius attentiùs volvit. Triginta octo annorum ſpatiô doloris lectulo affixa morbis omnibus úsque adeô vexata fuerat & obſeſſa, ut vivum cadaver crederetur. Acceſsêre pro mali auctario extrema rerum omnium penuria, exterorum deſpectus, propinquorum cruditas & convitiandi libido, eò progreſſa, ut affinis quæpiam in miſellæ vultum exſpuere etiam non horreret, etſi ipſiſſimæ huic virgini plurimum foret obſtricta, quòd ejusdem munificentiâ & eleemoſynis, ipſa æque, ac liberi victitarent. Perſtitit tamen *Lydwina* ad omnes caſus immota, deſuper ſibi dictum credens illud Sapientis Eccleſ. 2. *In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum: & argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis.*

SENTENTIA.

HOc naturalis ratio, hoc ſanctorum, & maximè VERBI exempla confirmant, ut eò quisque duriùs in præſenti flagelletur, quo arctiùs amatur. *S. Laurent. Juſtin. de caſto connub. c. 19.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PAupertas, calumniæ, fames, ac inprimis morbi, mala videntur, ſed *inſipientium* tantùm *oculis*. Mala non ſunt, ſed mali correctio: & DEI vel paternè caſtigantis *virgæ & baculi*: vel amorosè-blandientis *oſcula*. Sic ſibi perſuadent, quotquot cum Auguſtino precantur: *hic ure, hìc ſeca, ut in æternum parcas*: vel cum Seraphica Thereſia: *Domine! aut pati, aut morì.*

II. Quid, quòd & ipſimet morbi patheticos hujusmodi affectus quomodocunque ſopitos excitent? atque hoc eſt quod dicit David: *multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſteà acceleraverunt.* Pſ. 15. Et Sapiens: *infirmitas gravis ſobriam facit animam.* Eccli. 21. Sobriam ſcilicet in uſu temporalium: fervidam verò in amore DEI & adoratione humili ſapientiſſimè ſingula gubernantis *providentiæ*. Iniquus rerum æſtimator eſt, & ſuimet commodi hoſtis, quisquis ab iſto aliud format judicium. *Quàm multi ſcelerati ſani ſunt, qui innocenter ægrotarent!* S. Aug. in Joan.

III. Exemplum tibi dedit Chriſtus, ut quemadmodum ille fecit, ita & tu facias. Jam verò Chri-

Christus *propositô sibi gaudiô sustinuit crucem, confusione contemptâ.* ad Hebr. 12. Miseriis omnibus, demptô peccatô, se subdidit, verè *vir dolorum*, & *in laboribus* à juventute sua. Et tu *sub spinoso* hoc *capite membrum* esse *delicatum* velis? Non sic *Lydwina*: non sic *servulus*: non sic innumeri alii egerunt. Non sic denique doctor Seraphicus, cujus hæc est aurea protestatio, digna, singulorum inscribi fidelium cordibus: *nolo, Domine, sine vulnere vivere, quia te video sic vulneratum.* S. Bonavent.

XV. APRILIS.

S. Casilda Virgo.

REgem patrem habuit, & regem sponsum: hunc æternum, illum mortalem. Æterno ut placeret, membris ejusdem, pauperibus scilicet, contra parentis morem placidam se exhibere usque adeò studuit, ut cibos etiam regios, clanculùm è parentis mensa sublatos, famelicis dispenderet. Pio in furto aliquando deprehensa, Patri sinum curiosiùs excutienti, *rosas* exhibuit, optatâ tamen *metamorphosi* in cibum denuò versas, ut primùm pauperum limen attigit. En quàm DEUS suorum pia vota, factáque, prodigiis etiam, secundet!

SENTENTIA.

CI Ierubin extendens alas suas, tegit propitiatorium. Considera, quæso, quid te hic admoneat DEUS: summus benefa-

ctor est, & nihilominùs tectus; ut te doceat benefacere, & nolle videri. *Oleaster in c. 25. Exodi.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. BEatus *qui intelligit super egenum & pauperem. Ps. 40.* potissimùm, si suæ misericordiæ testem alium, quàm DEUM, non admittat. Qui eleemosynam daturi tubâ canunt, *receperunt mercedem suam*, quam tamen aliis in abscondito dantibus, aliam, & longè meliorem dabit Pater cœlestis, *qui videt in abscondito.* Modum secretò erogandi probè calluit *Booz*, quando pauperculæ *Ruth* spicas colligentis misertus, præcepit messoribus: *de vestris quoque manipulis projicite de industria, & remanere permittite, ut absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.* Ruth. 2.

II. *Fames* malum est, mendicis præ reliquis intolerabile. Quoties verò pessumdant superfluitas & ingluvies, quod pauperum stomacho creditum centuplum lucri tulisset? *Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere*, exprobrabit olim districtus judex sordidis ejusmodi gulonibus, qui tamen bolô unicô, & calice *aquæ frigidæ* mercedem sibi non perituram comparâssent.

III. Infelix igitur est, quisquis vel putidæ laudis gratiâ eleemosynam facit, & sic, quod magnus advertit Gregor. 21. Moral. c. 14. *majorem culpam superbiendo meretur, quàm mercedem largiendo acquirit*: vel in temporalis eleemosynæ defectu

defectu *ſpiritualem* negligit, ubi hanc erogare deberet. Unicuique licet mandârit DEUS de proximo ſuo: cùm tamen *anima* plus ſit quàm *eſca*: utique hujus neceſſitatibus anteà, quàm corporis eſt proſpiciendum: inde præſertim, quòd unâ aliquando ſpiritualis eleemoſynæ *ſpecie* totam lucremur *fratris animam*. Matth. 18.

XVI. APRILIS.

S. Joachimus Confeſſor.

SUô poſteros exemplô docuit, quàm officioſa ſit *charitas*, quàm pro aliorum bono ſollicita, quàm nunquam otioſa. Viderat aliquando miſellum *epilepſiâ* graviter afflictum: nec viderat tantùm, ſed hominis vicem ſeriò miſeratus, tamdiu non deſtiterat precibus pulſare cœlum, dum eam morbi peſtem in ſe transferret. Tantùm ſubinde voluptatis eo in malo expertus fuerat, ut ſui in DEUM amoris periculum facturus, à vermibus corrodi & cuperet, & obtineret. Hoc demum eſt, *charitatis eſſe victimam*!

SENTENTIA.

COmmovere divinam non poteris pietatem, qui circà proximos tuos debitam neglexiſti charitatem. *S. Aug. ſerm. 27. de temp.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FAmiliare *charitati* eſt, mala aliorum credere ſua: bona verò ſua fieri velle communia. Proximè Chriſtum aſſequitur, quo-

tusquisque cum *Joachimo* infirmatur non modò *cum proximo*, sed & *pro proximo*. Sic enim & Christus *languores nostros ipse tulit*, & *dolores nostros ipse portavit*. Isa. 53. non dedignatus nostri causâ videri *oculis insipientium despectus & novissimus virorum*, *leprosus*, *percussus à DEO*, & *humiliatus*.

II. Mirum sanè, decipi nos aliquando tantum, ut tanto de capite, Christo, nobis blandiamur, cum tamen nihil minùs curæ nobis sit, quàm membrorum incolumitas. Si corpus mysticum omnes simus, quotquot in unitate fidei congregamur: quî fit, observari in nobis minimè, quod in humani corporis commendationem notat gentium Doctor? *pro invicem sollicita sunt membra, &, siquid patitur unum membrum, compatiuntur omnia reliqua membra*. 1. Corinth. 12. Sollicitudinem hanc produnt omnia ea, quæcunque adinvenire potest *ingeniosa charitas*.

III. Quàm pulchrum fuit DEO spectaculum & hominibus, primi temporis christianos eâ ergà se invicem charitate suaviter exarsisse, ut & ipsi gentiles admirabundi exclamarent: *ecce quàm illi inter se amant!* Tertull. in c. 39. Apocal. *Multa* scilicet *corpora* erant, secundùm Augustinum: *sed non multa corda*. S. Joannes Eleemosynarius cuipiam charitatem sibi factam mirificè extollenti, *quiesce*, inquiit, *frater: nondum pro te sanguinem fudi, sicut mihi mandavit Dominus meus Christus*

XVII. APRI-

Digitized by Google

XVII. APRILIS.

S. Stephanus I. Ciſtercienſium Abbas.

FElicem ſe credidit *Stephanus*, quòd ſuos inter diſcipulos *Bernardum* numeraret, virum, prô! quantæ ſanctitatis! hauſerit utique non minimam illius partem *Bernardus* è magiſtri ſui moribus, quem tam rigidum obſervantiæ *regularis* zelatorem fuiſſe conſtat, ut in vita ejusdem non fuerit, quod livor carperet. *Silentium* præſertim eò ſibi, aliisque ſtudiô commendatum cupiit, ut neceſſaria etiam *ſignô* magis proderet, quàm *verbô*. Parturiit hæc oris cuſtodia miram animi recollectionem, quam nec ipſum Abbatis officium, utut circa plurima occupatiſſimum, interturbâſſe aliquando viſum fuit. Verè, *qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.*

SENTENTIA.

CUm mens humana per exteriora ſe non fundit verba, in ſublime faſtigium ſpiritualis ædificii ſtructa conſurgit, tantóque ſuccreſcens in altiora ſuſtollitur, quantò per ſilentii cuſtodiam circumcluſa, ſeſe extrinſecus fundere prohibetur: cuſtos enim juſtitiæ ſilentium. *S. Petrus Dam. l. 7. Ep. 6. ad c. 3. Thren.*

REFLEXIO.

PUNCT. 1. CErtum, religioſorum ordinum auctores mentis ad ſupera translationem fun-

fundâſſe in ſancto *Silentio*. Hôc enim vel maximè *converſatio noſtra in cœlis eſt*. Hôc homo levat ſe ſupra ſe, ut audiat quid loquatur in ſe Dominus DEUS: dum aliorum interim mens cogitationum tumultu vaſtata divellitur in multa, quæ divulſio neceſſariò parit varia *ſpiritûs inquinamenta*.

II. Hoc *ſilentii* ſtudium adeò ſibi commendatum habuerunt ſanctorum plerique, ut ſine rigido illius cultu nullum in ſpiritu ſibi ſponderent progreſſum. Hinc accidit, ut primi Patriarchæ noſtri *Norberti* comites, denſiſſimis vallati turbis, vix aliquando verbulum proferrent. Hinc *D. Brunonis*, ejusdemque ſequacium perpetua taciturnitas, & juratum garrulitatis odium. *Otioſitas* & *loquacitas* in eo pari paſſu ambulant, quòd utraque ſecum ferat *multam malitiam*.

III. Neque tamen *ſilentii* cura ſolos ſtringit religioſos, ſed omnes prorſus, quibus olim reddenda erit ratio *de omni verbo otioſo*, *quod locuti fuerint*. Communia ſunt *garrulitatis* incommoda, communia damna, quæ quàm ipſi loquenti; tam aliis obtingunt. Et verò ſi deforent reliqua, ſufficeret unum *temporis* diſpendium, ad efficaciter permovendum hominem, ut peteret à DEO poni cuſtodiam ori ſuo, & oſtium circumſtantiæ labiis ſuis. *Verbum volat irrevocabile: volat tempus irremediabile, nec advertit inſipiens quid amittat*. S. Bernard. ſerm. de tripl. cuſtod.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. APRILIS.

S. Elevtherius M.

LIquidis argumentis ſtrenuum ſeſe pugilem & acerrimum fidei orthodoxæ propugnatorem probavit, quando pro hujus veritate lectum ferreum copiosô igne candentem non horruit: tum equis indomitis capillitiô adnexus, in montem ſaxis aſperrimum raptari ſe paſſus eſt, quamquam utrobique nil læſus, DEO optimô voluntatem patiendi operis locô compenſante. Rem divinam aliquando in loco ſolitario facienti, magnus ferarum ſylveſtrium grex, minimè tamen ferus, adſtitit, & ad modeſtiæ leges ultrà humanum ferè morem compoſitus. Puduit gentiles ſuæ immodeſtiæ, & ferarum diſcipuli, deinceps ſic cicurari cæpêre, ut plurimus illorum numerus, ejuratô, cum falſorum numinum cultu, ſanguinariô in fideles odiô, chriſtianam manſuetudinem, vitâ, & profeſſione exprimeret. Quâ tu reverentiâ proſecutus es hactenus tremendum illud ſacrificium?

SENTENTIA.

SAcrificium & ſacerdotis, & plebis aſpernatur DEUS, ſi non adfuerit bona conſcientia. *S. Auguſt. contra Fulgos.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. STupendum ſanè eſt, hominem ſæpiùs degenerare in beſtiam, & comparari *jumentis inſipientibus*, cùm ex oppoſito feritatem

tatem iſta aliquando deponant, & hominis expleant officium. Adorat, flexô utrôque priore poplite, auguſtiſſimum Altaris Sacramentum aſellus *Antonii Patavini*, quod tamen in Altari à ſacrificante exhibitum mortalium plures vix devotô dignantur obtutu. Horum ſingulis acclamat Job: *interroga jumenta, & docebunt te; aves cæli, & indicabunt tibi.* c. 12.

II. Repræſentatur indies in Miſſarum ſolemniis illud *amoris holocauſtum*, quod olim cruentæ crucis aræ impoſitum, Patri æterno fuit oblatum. Satisfactorium hoc eſt pro innumeris mortalium delictis: impetratorium bonorum ſpiritualium juxta ac corporalium, vivorum & defunctorum bono, pro tempore & æternitate. Et hoc ſacrificium vilipendatur, & paſſim (ſæpiùs leviſſimi commodi causâ) negligatur?

III. Excedit ob excellentiam perſonæ, quæ in illo *offerens eſt* & *oblatio*, quidquid unquam virtutum & bonorum operum, ſive ab angelis, ſive ab hominibus, jam inde ab orbe condito præſtitum eſt, & præſtabitur. Et tamen ſint è ſacerdotum numero non pauci, qui vel diſpoſitionis debitæ defectu & oblatrantis ulceroſæ conſcientiæ imperiô: vel condignæ æſtimationis inopiâ vix ſemel intrà ſeptimanam celebrent? aut, quod enormiùs, cum mortalis peccati conſcientia ſacrum facere non vereantur? verè Præſul Antiochenus: *multi ſunt ſacerdotes*, & *pauci ſunt ſacerdotes*: *multi in nomine*, *pauci in opere*. in Matth.

XIX.

XIX. APRILIS.

S. Elphegus Cantuarienſium Archiepiſcopus, & M.

NObiliſſimos natales, opes plurimas, honores ampliſſimos *detrimenta* æſtimans *propter eminentem ſcientiam Chriſti JESU*, cui penitùs conformari ſeriò adlaborabat, ſuave illius jugum, unà cum vitæ religioſæ onere, ultrò ſuſcepit. Poſtmodum, monitore *D. Andreâ* Apoſtolo, primò Wintonienſium in Anglia Epiſcopus, denique Cantuarienſium Archipræſul denominatus, omnibus omnia fieri ſtuduit, omnium moribus, etſi diſparatiſſimis, quoad licuit ſeſe accommodans, quò liberiùs animarum lucro intenderet. Poſt diros ſeptem menſium carceres, à perfidis *Danis*, qui ultimum Angliæ exitium tum machinabantur, capite ſecuri immaniter diffiſsô, ad immortalem Lauream promotus, hos ſuos tortores crebris poſt mortem miraculis ad ovile Chriſti, vigilantiſſimus paſtor, reduxit.

SENTENTIA.

LOngè latéque juſtus ut lampas lucet, & qui bona ejus audiunt, quia per hæc ad amorem cœleſtium ſurgunt, in eo quod ſe per bona opera exhibent, quaſi ex lampadis lumine reſplendent. *S. Gregorius in Ezech.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. FUit illustris hic Archiepiscopus *lucerna ardens & lucens* : prodigium vitæ quàm *activæ*, tam *passivæ* : exercitus in amore DEI & in eodem exercens alios : ideóque dignissimus & meritô amoris, & præmiô prædicationis. O ut tales sint omnes Ecclesiæ Pastores ! tamque spiritu ducantur apostolicô, ut quàm sua, tam se fidelibus impendere non refugiant! *angelis* tum dicentur, iis non absimiles, quos saxo indormiens *Jacob* viderat : *ascendentes* videlicet dulci cœlestium meditatione : & *descendentes* charitativô proximi ministeriô.

II. Si *Beati*, veritatis æternæ testimoniô, *qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud.* Luc. 11. quantò beatiores, qui illud insuper propriô sanguine confirmant ? generosos labores glorioſa in cœlis manent præmia. *Lauda anima mea Dominum* ob suavem ejus providentiam & providam suavitatem, quibus nullô non tempore prospicit vineæ suæ, dando *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* ad Ephes. 4. omnes *in ædificationem corporis Christi.*

III. Magnum culturæ isti profectum conciliat pastorum cum plebe (*in bono*) concordia : si nimirùm illi hujus infirmitatibus, uti *Elphegus*, attemperare se nôrint, atque ad exemplum apostoli sciant *flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus* : Patrum & matrum vice fungi, frangendo parvulis panem : salis instar condiendo & à putredine præservando. Pastores ejuscemodi digni sunt,

Digitized by Google

ſunt, ut è mortalitate laborioſa tranſeant ad *lucidas & quietas manſiones.*

XX. APRILIS.

S. Agnes de monte Politiano Dominicana.

ANgelicâ puritate, & innocentiâ vitæ mirabili, id privilegii à Dominò conſecuta eſt, ut vix aliis unquam miniſtris uteretur, quàm angelis. Soliti fuerant iſti, alieniſſimô etiam anni tempore, recentiſſimis floribus inſternere locum, quem ſuis ad DEUM precibus honorare Virgo decreverat. Decies famelicæ ſacram euchariſtiam porrexêre: aliàs pretioſam partem ſanctæ illius terræ, quam in Golgothæo clivo dominicus cruor imbuerat: àtque aliâ iterum vice reliquias divorum Archi-Apoſtolorum. Similitudo cùm ſit mater amoris, angelis conformari ſtude, & fieri angelus, ut angelis placeas.

SENTENTIA.

QUoties graviſſima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminet, invoca cuſtodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tutum in opportunitatibus. S. *Bern. ſerm. 11. in Pſ. 90.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn modò tutelarem, ſed plures aliquando angelos eidem homini DEUS adjungit, ſive ut ſint præſidium in neceſſitatibus: ſive in teſtimonium præcellentis ſanctitatis, uti

contigit *Agneti Politianæ*, venerabili *Marinæ d' Escobar*, & pluribus aliis, virtutis eximiæ notâ illustribus. Nequo verò cum aliis conversari sic angelis collubescit, ut cum ejusmodi. Quid enim purissimo spiritui cum scelerum sordibus ? sic Genes. 16. fœtoris Sodomitarum pertæsi, dixerunt: *surgite, egrediamur de loco isto.*

II. Quotusquisque tamen est, qui non aliquando coram angelis agat, cujus illum coram hominibus puderet ? *Angelos*, inquit B. Petr. Dam. serm. de exalt. S. Cruc. *ad nostram custodiam deputatos quotidie multipliciter offendimus, & offensam negligentiâ cumulamus.* Interim quàm illi gaudent *super peccatore pœnitentiam agente* ; sic tristantur de impœnitentibus. Vidit sanè *Stylita Edessenus* angelos probis à latere comites, improbis verò à tergo.

III. Caveamus ergo, ne nostrâ culpâ dolor accidat beatissimis illis mentibus : potissimùm verò studeamus puritati hominis utriusque : sic enim ad angelorum munditiem propiùs accedemus. *Semper est angelis cognata virginitas*, inquit S. Chrysol. serm. 143. *In carne prætet carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis.* Fortunati *religiosi* & *religiosæ*, quibus mens est à statu non dissona. *Esto enim*, quod advertit melliflus, Epist. 42. *inter se differant homo pudicus & angelus : differunt tamen felicitate tantùm, non virtute* : adeò ut angeli castitas felicior sit, hominis verò fortior.

XXI. AP-

XXI. APRILIS.

S. Anſelmus Cantuarienſis Archi-Epiſcopus.

QUod plurimis creditu difficile admodùm eſt, etiam ab experientia quotidiana, id *Anſelmo* evidens fuit ab oſtento cœlitùs facto, mundum ſcilicet non eſſe niſi ampliſſimam ſordium colluviem, cui tamen mortales miſeros paſſim innatare vidit; imò iſtiusmodi fœcibus avidiſſimè ſeſe ingurgitare. Tantùm ſtulta hæc rerum ùsque adeò fœtidarum orexis *Anſelmo* nauſeam civit, ut ex animo mundum deſpueret, atque intrà religioſæ ſolitudinis ſepta (etiam *Archi-Epiſcopus Cantuarienſis*) indeſinenter ad illas aſpiraret epulas, & liquidiſſimæ voluptatis torrentem, quibus ſaginantur æternùm, potantúrque electi. Alterutrô ex hiſce gaudiis te carere neceſſum eſt, aut mundi, aut cœli. Elige, ſed conſultò.

SENTENTIA.

HInc laquei, & hinc laquei: laquei à dexteris, laquei à ſiniſtris: laquei à dexteris proſperitas ſæculi: laquei à ſiniſtris adverſitas ſæculi: laquei à dexteris promiſſiones: laqueis à ſiniſtris terrores. *S. Aug. in Pſ. 141.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurimùm DEO debet, quisquis ejusdem gratiâ ſpeciali, vel extra ſæculum degit, cum religioſis cœleſtem in terris converſationem ducens: vel intrà mundum liberri-

mô mentis affectu ad cœleſtia, cum collibuerit, evolat. Paucorum hæc felicitas eſt, ſi eorum in-eamus numerum, quibus volupe, deperire magis hæc viſcoſa, hæc lubrica, quàm ſtabilia, atque felicitate ſuâ æternùm duratura.

II. Hanc nocentiſſimam peſtem ut omnibus redderet exoſam divinus ille diſcipulus, compactam aſſeruit ex *concupiſcentia carnis*, *concupiſcentia oculorum*, & *ſuperbia vitæ*: quibus malis utique *totus mundus in maligno ponitur*, ut diligi nequeat à ſanæ mentis hominibus, niſi adamare illa velint, quæ DEUS, divi omnes, ratio ipſa; imò ex hac mundi dilectione æternùm abjecti, ex temporaria felicitate æternùm infelices damnati, ſpernenda clamitant, & totô contemnenda animô.

III. Errant ergò, quicúnque ſatiari cupiunt hiſce perituris. Magis illi, qui ejuratis aliquando mundi legibus, identidem in illum curioſos retorquent oculos, & animô revolant, quò corpore regredi permiſſum non eſt. Procul hanc mentis evagationem arcento, qui collutulari metuunt. Grates DEO, quas poſſunt, dicant: imò, quantùm poſſunt referant, qui miſericordi ejusdem dexterâ ex hoc luto eruti, pedes ſuos advertunt poſitos quaſi cervorum, & ſuper excelſa (ſacræ religionis) ſtaturos ſe; ubi una ſollicitudo omnium, *ſic tranſire per bona temporalia, ne amittantur æterna.*

XXII.

XXII. APRILIS.

S. Theodorus.

PUer ſexennis DEI ſervitio totum ſe devovit, matre licet plurimùm reluctante, cupidâque formare filium ad conſuetos ſæculi mores: quod tamen conſilium conſultrici peſſimum fuiſſet, niſi in tempore à cæptis deſiſtere inſanam coëgiſſent minæ, ſtrictô etiam gladiô à *S. Georgio Martyre* intentatæ. *Theodorus* ergò, ſui jam juris, eâ ſanctitate reſplenduit, ut quartô ſupra decimum ætatis annô, dæmones ſuis è domiciliis facilè exturbaret: ac, ne quam ipſe ejusmodi peſtem intrà ſe admitteret, cum ab occaſione vanæ gloriæ; tum à calore immodico, quô ætas illa frequenter exæſtuat, corpus perdomare ſolitus erat, non modò mirabili victûs parſimoniâ, ſed loricâ etiam ferreâ, decem & octo librarum. Sic juvenis vixit: ſic ſenior, atque *Epiſcopus Anaſtaſiopolitanus*: ſic obiit. Expende, quantùm vitæ tuæ periodi ſingulæ huic amuſſi reſponderint!

SENTENTIA.

TOt arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla. S. *Aug. in Pſ. 49. & c. 4. Medit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. EXperiuntur in dies ſingulos, quos penes eſt adoleſcentiæ formandæ cura, hanc planè *ceream* eſſe, ac talem, ut iisdem di-

gitis vel *dæmonem* ex illa effingere, vel *angelum* perfacile ſit. Nec deſunt tamen, qui pro ſuo debito prima hæc pueritiæ errata vel corrigere negligunt, vel, quod deteriùs, pejore ſuomet exemplo fovere etiam non horrent: digni non *parentum* aut *moderatorum* compellari vocabulô, ſed *latronum*. Certum eſt *Navarro*, Manual. c. 14. *peccare mortaliter Patrem* (quidni & parentibus ſubſtitutos?) *ſi negligat notabiliter providere illa, quæ ad filii neceſſitatem ſpiritualem aut corporalem pertinent*: ut planè ſua pro parte neglexit indigna *Theodori* parens.

II. Eſto verò hæc parentum aut moderatorum ſocordia non infrequens ſit: ſuô tamen vitio ſæpiùs etiam tenentur adoleſcentes, ſi pretioſa virtutum ſemina, undeunde animo injecta, ſic porrò negligant, ut illa in fructum matureſcere nullô tempore poſſint. *Quomodo poſſibile eſt*, quærit S. Bern. *ut non erubeſcamus, ſi reſpiciamus ad illuſtria ſanctorum exempla, & illa cum protervitate vitæ noſtræ conferamus?*

III. Æmulemur igitur *chariſmata meliora*, ne præcipua vitæ noſtræ pars ſine fructu diffluat. Attendamus ad divorum morem: & ubi iſti anguſtam trivere ſemitam, non nobis latâ currere ad noſtrum interitum præplaceat. Fruſtrà enim aliàs fuerit ſanctorum evolvere vitas, demirari prodigia, implorare ſuffragia. *Honorare ſanctos, & non imitari, nihil aliud eſt, quàm mendaciter adulari.* S. Aug. Serm. 39. de ſanctis.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. APRILIS.

S. Adalbertus Pragenſium Antiſtes.

VIs natus, denaſciturus denuò videbatur: adeò corpuſculum divexârant integra morborum examina. Sed opem tulit ſoſpitatrix diva, ubi votô à parentibus factô jam tum eidem dicatus eſt *Adalbertus*. Adoleſcens adhuc, more ætati illi conſuetô, licitum credidit quod fuit libitum. Traductus tamen ſubinde eſt ad vitam ſeveriorem eventu tragicô, quem ſuis ipſemet oculis inſpectârat: deſperatâ videlicet morte epiſcopi cujusdam, juſtô DEI judiciô ſeriis nimium verbis, ſignisque, reprobationem ſuam æternam conteſtantis. Utinam & nos alienô ſapiamus damnô; nec tamen ſeriùs!

SENTENTIA.

HOrreo vermem rodentem, & ignem torrentem; fumum, & vaporem, & ſulphur ſpirituum procellarum: horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium. *S. Bern. ſerm. 16. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MOnitis juxta ac minis ad meliora DEUS nos extimulat. Utinam eruditi remur illis: iſtis abduceremur à via prava! ut abduci facilè potuit *Adalbertus*. Sed ea eſt ſocor-

Digitized by Google

dia noſtra, ut niſi ſigna & prodigia viderimus, niſi DEUM caſtigantem ipſi experiamur, non credamus. Fide orthodoxâ novimus, eſſe infernum, locum videlicet juratiſſimis DEI hoſtibus deſtinatum: nec tamen cum eodem DEO optimo diſſidere ſæpiùs per peccata, quæ ſola quidem dividunt inter illum & nos, veremur.

II. Sæpiùs mentem ſubeunt tremenda DEI judicia, pœnæ damni & ſenſûs, infelix æternùm ſocietas cum incondita ſpirituum infernalium turbâ: vix tamen ad breve tempus à peccato nos prohibent. Quinimò evaneſcunt ſæpiùs, ut noctis ſomnia, ubi vel minima nugandi occaſio caput exporrigit. An hoc ſit ſeriò agere? an hoc ſit *cum metu & tremore* operari ſalutem ſuam?

III. Aliam agendi methodum tenet, quotusquisque amore divinô pleniùs incaluit. Non illi opus hiſce comminationibus: non urgetur virgâ & baculô ad proſecutionem boni, & mali fugam: ſed affectu internô, quô DEUM, & DEI leges expendit. *Non ut in cœlo ſalves me* (inquiebat divinô amore exæſtuans Indiarum apoſtolus) *aut ne æternùm damnes me: nec præmii ullius ſpe: ſed ſicut tu amaſti me, ſic amo, & amabo te: ſolùm quia rex meus es, & ſolùm quia DEUS es.*

XXIV. APRILIS.

S. Bona Virgo.

OPtimô egit conſiliô *Bona*, ſeptennis virguncula, quòd ſtudiô placendi ſponſo ſuo Chriſto, in ætate tantillâ, ea arripuerit media, quæ veteranis aliquando videntur duriora. Stramine enim

pro

pro lecto usa est: cilicia tenellum excruciabant corpusculum: tribus in hebdomade diebus solô pane victitabat, & aquâ: aliàs non nisi leguminibus vesci solita. Quid non virtutis in progressu tibi polliceâre, ubi tam splendida præcessêre principia?

SENTENTIA.

PRæcurrit ætatis maturitatem, quisquis in adolescentia positus, senilem gravitatem induit, & juveniles annos veteranâ quâdam continentiâ regit. *S. Ambros. serm. 9. in Ps. 118.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ANimalis homo qui *non percipit ea quæ sunt spiritûs*, mirabitur, puellulam hanc in ætate tantilla tanta attentâsse. Mirari tàmen desinet, si secum expenderit, quantò utiliùs homini sit portâsse *jugum Domini ab adolescentia sua*, quàm istud susceptisse primùm ad vitæ vesperum. *Non pudet te* (christiane quærit gentilis Seneca) *reliquias vitæ tibi reservare, & id solùm tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possèt.* de brevit. vitæ. c. 4.

II. Arguit utique, plurimùm in parvulis sibi complacere DEUM, quando unigenitus ejusdem tantò illos amore complexus est, ut ægrè ferret prohibitum esse à discipulis iisdem accessum. *Discipuli autem comminabantur offerentibus: quos cùm videret JESUS, indignè tulit, & ait illis: sinite parvulos ad me venire.* Marc. 19. Quàm felix hæc ætas, si non solùm capiendæ benedictionis gratiâ, ut parvuli illi; sed *imitatione vitæ* ad

Chriſtum accedere ſatagat, executura ſacra hujus *conſilia*.

III. Quid igitur obfuit, imò quî non ſummè profuit *Bonæ* noſtræ: *Edithæ Edgari* Anglorum regis filiolæ: *Paulæ* Romanæ: *Aſellæ*, & ſexcentis aliis, maturè & à matrum ferè uberibus DEI ſervitium cœpiſſe: ac, ut Baronius ait, *ſæculum hoc ignorâſſe potiùs, quàm reliquiſſe?* exulta in Domino, ſi pari præventus gratiâ maturè olim cœperis. Sin: modò incipe. *Quid enim poteſt habere laudis, ſi effœtum corpus voluptatibus, & jam ſenectutis gelu frigidum, ad ſera devotionis officia, depoſitô jam ſegnior vigore, ſe convertat?* S. Ambroſ. in Pſ. 118.

XXV. APRILIS.

S. Marcus Evangeliſta.

PLurimùm ob fidelem inſtitutionem principi apoſtolorum debuit *Marcus* Evangeliſta: plurimùm iſti ob egregiam prædicationem *Ægyptus*: imò eccleſia tota, quam hodiéque ſuô Evangeliô erudit. *Leo* fuit, ubi animô heroicô omnes difficultates ſprevit, quas Evangelii diſſeminandi labor inter barbaras illas gentes excitârat: *Leo* fuit, ubi rugitu terrificô ethnicos quantumvis perfidos, perjuros, blaſphemos, ſceleratos, è vitiorum lethargo ad ſalutaris pœnitentiæ exercitia evigilare docuit. Chriſtum aliquando obvium habuit eâ formâ, & habitu, quô inter apoſtolos olim degere conſueverat: ſibíque bene precantem audiit: *pax tibi Marce, Evangeliſta meus!* nomen ſuum albo vitæ inſertum vidit, quam etiam paulò poſt, laqueô

quod è mortali exturbatus, adiit. Nihil mali metue, si hanc tibi *pacem* Christus reliquerit.

SENTENTIA.

LEo *Marcus* figuraliter nuncupatur, ob rugitum vocis suæ, quâ docet pœnitentiam agere, deserere vitia, repugnare diabolo, futurum devitare judicium. S. *Laurent. Justin. serm. de* S. *Marco.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INdubium est, plurima prædicationis initiò obtigisse divo *Marco*, quæ constantissimum quemque absterruissent. Sed perstitit Evangelista in bene cæptis, illi promissioni innixus, accepturum se desuper *os* & *sapientiam*, quæ facilè enervatura foret omnes adversariorum contradictiones. Meliùs non rarò succederent proposita, nisi vel hominum amor & blanditiæ, vel metus ea, téque unà subverterent. Aliter fecit, & faciendum docuit, qui dixit: *non magni pendas quis pro te, vel contrà te sit: sed hoc age & cura, ut DEUS tecum sit in omni re, quam facis.* Thom. Kemp. l. 2.

II. Hic difficultatum contemptus, actus fuit heroicus, cui, velut largissimum respondit præmium lucrum tot mille animarum. Sic DEUS solet. Quid tu actum aliquando heroicum exercere, indéque conversionem tuam ordiri trepidas? *Abrahamum* unica de paterno affectu victoria; *Josephum* unica fuga in extremo peccandi periculo; *Danielem* unica pro DEI lege constantia; *Davidem*

videm unicus ultionis in præsentissima occasione neglectus ad eximiam sanctitatem evexit. Aude paria, si lapsum metuas, si arduitas ab insignis cujuspiam virtutis exercitio pavidum absterreat. Pari favore tuum DEUS remunerabitur conatum.

III. Experière tum in animo tuo, hactenus tam variis passionum collisionibus turbato, bonum illius pacis, quam Christus Apostolis, quam suo huic Evangelistæ precatus est, & dedit. Senties videlicet cupiditates tuas vel pacatas, vel cogi faciles: sicque JESUM etiam habebis amicum. *Si* verò *fuerit tecum JESUS, nullus poterit nocere inimicus.* Thom. de Kemp.

XXVI. APRILIS.

S. *Marcellus Papa, & Martyr.*

CEdros Libani, & duces gregum prosterni aliquando, & exerrare à via sanctitatis, suô docet exemplô *Marcellus.* Rector ecclesiæ universalis, & pastor magni ovilis, cœcos subsequi idololatras, cœcus ipse, & cum lupis ululare tantisper non horruit, quando deastris thura accendit. Facti tamen pœnitens, & sui, in concilio trecentorum Episcoporum, serius accusator: cùm membra, ob capitis reverentiam, votô sibi indulgentiora experiretur, paulò post sanguine propriô priorem perfidiam eluit, glorioſus Christi pugil. Errare humanum est: diabolicum in errore ad finem úsque persistere.

SENTENTIA.

JUstus cùm ceciderit, non collidetur, id est, non permanebit in peccato: sed sicut

cut in agone contingit, ut qui ab adverſario dejectus, denuò aſſurgat & vincat: ita ſi quem in noſtro agone adverſus principem hujus mundi vinci, ac cadere contigerit, nunquid ſi ceciderit, non adjiciet ut reſurgat? *Orig. in Pſ. 36.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SUmmi eccleſiæ præſules, hisque ſubordinati, ſunt *lux mundi: ſal terræ, civitas ſupra montem poſita:* & mirum ſit, minimas etiam in hac *luce* notari maculas: in *civitate* deplorari ruinas: in *ſale* deſipere fatuitates? ſublimis eſt horum capitum ſtatus; ſed grande ſublimitati periculum etiam annexum: ut planè præſtet non ſuſcitari à *terra inopem*, nec de *ſtercore erigi pauperem*, quàm hoc aurum obſcurari: hos ſanctuarii lapides diſperdi *in capite omnium platearum.*

II. Gentium doctor informans geminos eccleſiæ præſules *Titum* & *Timotheum:* in priore epiſtola Epiſcopum vult eſſe *ſine crimine:* in poſteriore penitùs *irreprehenſibilem:* cur hoc? *ut bona provideat non tantùm coram DEO, ſed etiam coram hominibus.* Ibi igitur incipiendum eccleſiæ paſtoribus, ubi communiter deſinunt alii. Nec illis ſufficiat juſtificari coram DEO: ſed optimi exempli filô trahendus etiam proximus. Aliàs nihil efficietur, ſi vitæ tenor cum verbis diſcordet, cùm *verba* (uti aſceta recentior inquit) *operibus diſſentanea, diploma ſint principum, ſed ſine ſigillo.*

III.

III. Et tamen evenit non rarò vel præſidere paſtores *fermentô Phariſæorum* ſaginari ſolitos; vel piiſſimos aliquando prolabi graviter. Caſtigantur videlicet, æquiſſimis licet, occultiſſimis tamen DEI judiciis peccata quàm paſtorum, tam plebis. *Qui ſtat, videat, ne cadat.* Si DEUS *in angelis ſuis reperit pravitatem:* quid fiet illis, quorum *juſtitiæ* ſunt *quaſi pannus menſtruatæ?* ſi aurum ſcoriis fœdè permiſtum eſt: quid munditiei habebunt *vaſa teſtea?*

XXVII. APRILIS.

S. *Antimus Epiſcopus Nicomedienſis & Martyr.*

ALtè animo ſuo impreſſum habuit Chriſti ſervatoris monitum: *diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Præſidis enim miniſtros, à quibus ad necem quærebatur, tam lautô excepit conviviô, ut crudeles etiam illorum animi tantâ humanitate ineſcati, vitam huic ſuo hoſpiti ſalvam cuperent, & indemnem. Verùm cùm id, niſi mendaciô interpoſitô exequi porrò nequirent, obſtitit omni quô potuit modô præſul integerrimus, centies mori ſe malle dictitans, quàm admittere, ut ſui causâ vel minimâ mendacioli offensâ Numen laceſſatur. Vix evicit, quod cupiit: fuitque jucundum cœlo ſpectaculum intueri ſicarios plùs trepidantes ad mortem inferendam, quàm martyrem ad excipiendum ictum fatalem. Vide, quàm ſanctis omni tempore cordi fuerit fuga minimorum etiam venialium.

SEN-

SENTENTIA.

CAvete, fratres, mendacium: quia omnes, qui amant mendacium, ſunt filii diaboli. Non ſolùm in falſis, ſed etiam in ſimulatis operibus mendacium eſt. S. *Ambroſ. de Abraham Patr.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. POterat videri excuſabile hoc mendacium, quô ſatellites dicturos ſe præſidi ſuo pollicebantur, nuſpiam locorum inventum abs ſe eſſe *Autimum*, niſi pientiſſimus hic præſul ejusdem omninò ſenſus, atque animi fuiſſet cum divo Iſidoro, cujus ſunt ſequentia de vita ſolit. *Omne genus mendacii ſummopere fuge: nec caſu, nec ſtudiô loquaris falſum: nec ut aliis proſis, mentiri ſtudeas.* Si non pari animi candore quodvis mendacium hactenus fueris adverſatus, certum tibi eſto, plurimis te adhucdum intervallis diſtare ab iſtorum ſanctorum, uti ſenſu, ita perfectione.

II. Turpis mendacii ſpecies eſt, toties à te contrà DEUM committi ſolita, quoties vel vota ipſi nuncupata perfidè retractas: vel promiſſiones Confeſſario factas, reincidendo in peccata priſtina, adque vomitum, canum more, redeundo, violas. Nec officioſum hoc exiſtima, minùs jocoſum: *DEUS enim non irridetur.* Quale ergo? utique tibi nocivum, ſi in re gravi ſit: ſatis item damnoſum, ſi etiam in re tantùm levi. Perfectionis enim amantibus, etiam levia, *levia* non ſunt.

III. Homo tactus eſt *ad imaginem* ſui conditoris. Quid autem tam alienum à DEO, quàm

men-

mendacium? quid Chriſto, qui eſt *via & veritas*, commercii cum his *falſariis?* quinimò perdet omnes, *qui loquuntur mendacium.* Nec enim cœlô dignus habetur, niſi *qui loquitur veritatem in corde ſuo, & non egit dolum in lingua ſua*, mendacibus è contrà clauſa ibi janua: hîc verò *proventus* qui ſequitur: *mendax hoc demum lucratur, ut etiam cùm vera dixerit, ei non credatur.* Ariſtot. apud Diog.

XXVIII. APRILIS.

S. *Theodora V. & M.*

VIx aliàs ſic enituit amoris ingenium, uti in glorioſo agone *Theodoræ*, & *Didymi.* Ducitur Virgo, pulchritudinis prodigium, ad lupanar: *claudite aurem Virgines* (Ambroſia ſuadâ utor) *ſed aperite aurem Virgines DEI: Chriſti Virgo proſtitui poteſt, adulterari non poteſt. Clauditur intus columba, ſtrepunt accipitres foris: certant ſinguli, quis prædam priùs invadat:* ſed necquicquam. *Didymus* miles, à vitiis tamen militaribus probè immunis, mutat cum Virgine habitum, atque unà virgineam induit mentem. Evolat illa, perſtat iſte. Damnatur denique pro Virgine, qui Virginem ſervârat. Ubi ad locum ſupplicii ventum, feſtina ſe ſiſtit *Theodora*, certat cum *Didymo* de palma: prædem pudoris illum admiſiſſe ſe aſſerens, non mortis vadem elegiſſe: ſanguinem amore Chriſti fuſuræ fidejuſſore opus porrò non eſſe. Tenuit nobile certamen tamdiu, dum præſidis juſſu & iſta, & ille DEO hoſtia caderent. Hoc demum eſt, jucundum fieri *ſpectaculum DEO & angelis, & hominibus.*

SEN.

Digitized by Google

SENTENTIA.

HOmo è terrena vilitate concretus, dum terrenam labem vincit, dum ſanguinis ſtimulos frangit, dum carnis exſuperat paſſiones: tranſcendit cœlum, ad ipſam deitatis pervolat ſedem, & ſic fit major cœlô, meritis ſupergreditur angelos. *S. Chryſoſt. ſerm. 120.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOverunt utriúsque ſexûs Virgines, pretium animæ continentis eſſe penitùs inæſtimabile: eámque ob cauſam omnes virium nervos impenderunt, ut grandem puritatis theſaurum integrum ſervarent, & indemnem. Hûc collimârunt *potûs cibique parcitas*, veſtium rigor, vigiliarum perpetuitas, carnis per aſſiduos flagellorum ictus laniena, pervigil ſenſuum externorum cuſtodia, & ſexcenta alia. Falleris ergò, anime mi! ſi hunc ipſum finem, aliis tamen mediis, adepturum te credis.

II. Animæ, quæ, DEO perfide ſpretô, fornicantur *cum amatoribus multis*, transverſim eundo poſt concupiſcentias ſuas, tantundem in oculis DEI ſunt, quantum in oculis hominum, æqui amantium, vilia ſcorta. Turpè nimis eſt, animam tam nobilem fœdiſſimum hoc ſubire lupanar, volutari in his fœcibus, úsque ad deſpectum DEI ſponſi excellentiſſimi. Non ſic, ô animæ! non ſic: precamini ſingillatim quæque cum vate regio: *eripe me de luto, ut non infigar.*

III. Bellum fuit *Eliſæo* ſpectaculum, vidiſſe *Eliam* cùrru igneo ultra omnem nubium altitudinem evectum. Ne deſpera, anime mi! ſupereſt via & modus triumphandi non abſimiliter. Currum igneum tibi ſtruat divinus amor, ſordium quàm neſcius, tam impatiens: tu porrò quadrigam jungas, *caſtos oculos, caſtam linguam, caſtas manus, caſtas cogitationes*, & bonis avibus ad usque caſtiſſimè amantis DEI complexum evolabis. Reſpexerit indubiè ad auguſtiſſimum hoc vehiculum Divus Ephrem, quando inquiit: *ô caſtitatis currus ſpiritualis, poſſeſſorem tuum in ſublime evehens!* S. Ephrem de Laude Caſtit.

XXIX. APRILIS.

S. Petrus M.

ILluſtre prædicatorii Ordinis decus, vitam egit à ſordibus tam puram, ut non rarò Virginum ſanctarum *Agnetis*, *Catharinæ*, *Cæciliæ* ſpectabili alloqui recrearetur. Volupe nimirum his fuerat reperiſſe in mortali homine id, cujus meritô immortalitatem tam beatam fuerant conſecutæ. Sed hic ſuperum favor ſementis fuit, multæ, & diuturnæ tribulationis. Religioſus in virum ſanctum ſeu errore, ſeu zelô acriùs exardeſcens, publicè incuſavit cœnobitam innocentiſſimum, tanquam illum, qui, contra ſtrictas vitæ monaſticæ leges, veritus non eſſet mulieres in clauſtra; imò intima cubilis penetralia admittere. Exinde *Petrus*, velut infamis flagitii reus, damnatur, monaſteriô ejicitur, acerba patitur convitia, & diros verborum aculeos. Opus illi fuit Stoicâ

pa-

patientiâ, ad retundendum tam palmaris calumniæ ſenſum. Et verò ſuggeſſit illam ſervator è cruce pendulus, diſertis verbis *Petrum* ad patientiam animans, inque ſpem optimam propalandæ poſtliminiò ejus innocentiæ erigens; quæ quantumcúnque preſſa gemat, nunquam opprimitur.

SENTENTIA.

HOc naturalis ratio, hoc ſanctorum, & maximè VERBI exempla confirmant, ut eò quisque duriùs in præſenti flagelletur, quo arctiùs amatur. *S. Laurent. Juſtin. de caſt. connub. c. 19.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SI DEUS, ſalutis hominis amantiſſimus, *flagellat omnem filium, quem recipit*, neque aliâ illum ſemitâ, quàm viâ regiâ ſanctæ crucis, inducere ſtatuit in æterna tabernacula: perperam profectò rem ſuam inſtituit, quotusquisque mavult coronari hîc roſis, & cum reprobis decurrere viam latam & ſpatioſam: experietur enim illam in termino difficillimam, & ſerò dolebit, finem ejus eſſe interitum. Actum cum illis, qui in communi iſto mortalitatis ſtudio, in quo cunctis pro palma decertandum, juſto indignantis DEI judiciô, *in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur.*

II. *Medici corporum*, inquit B. Petrus Dam. l. 8. Epiſt. 6. *quos deſperant, ad percipienda paſſim, quæ petierint alimenta, relaxant; at quos erigendos eſſe conjiciunt, cuncta eis noxiæ delectationis*

Digitized by Google

edulia minaciter interdicunt : antidota insuper, & amara propinant, ut per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem convalescant En exemplum ejus methodi, quâ DEUS de rebus hominum disponit, quos inter *boni laborant, quia flagellantur ut filii : mali exultant, quia damnantur ut alieni.* S. Aug. in Ps. 91.

III. Durum tamen, inquis, hominis ingenui famam lacerari, húncque ut *peripsema* abjici. Durum, fateor, si non animos addat exemplum Christi, qui, etsi innocentissimus, à pharisæis audiit, *homo vorax, potator vini, amicus publicanorum, blasphemus, seductor populi, dæmonium habens, & in Beelzebub dæmonia ejiciens.* Nec melior conditio martyrum. Injice decussatum *crucis lignum* tribulationum aquis : & dulcescent istæ tibi *super mel & favum.*

XXX. APRILIS.

S. Catharina Senensis.

STupuit orbis, invidit orcus, in tenera Virgine virtutem tam consummatam, tam altis radicibus fixam, ut nec minimus restaret vitio locus. Quinimò expulit illud ex aliorum quóque córdibus *Catharinæ* sermo, situs, habitus corporis, & tota conversatio, tam exactè ad sanctitatis leges composita, ut, quod vita notat, *nemo eam accederet, quin melior abiret.* Perdidicerit indubiè istam vivendi methodum à Christo sponso suo, cui familiarissima vixit, solita frequentiùs cum eodem diebus & noctibus integris amica miserere colloquia, deambulare, divinum officium alternis con-

concinere verſibus: interim tamen mundo ſic mortua, ut trienniô integrô rigidiſſimum ſervaret ſilentium: ſic ſibimet inimica, ut aliquando, optione mundo invisâ, ſpineam præ aurea corona eligeret. Sic agunt, qui æquâ æſtimatione cœleſtia à terrenis diſgregant.

SENTENTIA.

LIlium inter ſpinas, eſt virginitas in tentationibus, quæ aliquando ſunt circa te, aliquando juxta te, aliquando intrà te. *Hugo Cardin. in Cant. 2. v. 2.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUot virtutes in angelica *Catharinæ* vita ſuſpicis', tot odora vides *Lilia* cœleſtem etiam ſponſum in ſui amorem pellicientia. Ne tamen putes, vel modicis impenſis illa plantata eſſe, vel nullis: noveris ex vita, tam peſtilentibus auris flores illos à malignis ſpiritibus non rarò ſic afflatos eſſe, ut neceſſe eſſet *Catharinam* contrà has tentationum ſpinas aliis obarmari aculeis rigidæ in ſe animadverſionis. Sic ſcilicet exterminantur ex animæ horto *beſtiæ agri*, & *ſingularis* ille *ferus*.

II. Poterat, ſi voluiſſet, relictis religioſi ſtatûs auſteritatibus, deliciis ſaginari *Catharina*: ſed reſpuit. Meminerit ſine dubio, tranſire à deliciis ad delicias ideo homini conceſſum non eſſe, quòd hic naſcatur *ad laborem*, perinde ac *avis ad volatum*. Probis indubium eſt, *diadema regni* & *gloriæ coronam* non comparari, niſi tribulationum *centuriis*.

Digitized by Google

III. Par ſingulis nobis ſenſus eſſet, ſi, utì *Catharina*, *JESUM* haberemus nobis familiarem. Commutârunt aliquando corda *JESUS* & *Catharina:* & mirum ſit Virginem hanc poſt eam permutationem adeò effectam eſſe divinam, ut in carne jam viveret velut ſine carne, *Seraphinis*, quàm hominibus propior? idem tecum efficere intendit provida DEI bonitas, rogando, clamando: *præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Prov. 23. Et adhuc differs exiguam tui portionem dare illi, cui totus ex aſſe deberis? ſi, quod notat Hugo de S. Vict. L. 1 de Anim. *in omni creatura, quæ ſub ſole occupatur, nihil humanô corde nobiliùs eſt:* ut quid hoc projicimus illi, qui non alterô dignus eſt, quàm noſtrô *contemptu?*

FESTA MAII.

I. MAII.

SS. Philippus & Jacobus, Apoſtoli.

UTerque Chriſti Servatoris Apoſtolus fuit: uterque pro eodem, & ſacri illius nominis Confeſſione animam poſuit, & vitam. *Philippus* quidem ad magiſtri ſui exemplum in crucem actus: *Jacobus* verô è pinnaculo templi primò dejectus, tum, vecte in caput impactô, penitùs exanimatus. Uterque pulcherrimis virtutum inſigniis, dum viveret excultus, liquida nobis veſtigia reliquit, quibus inſiſteremus, ſi placeret eò appellere, quo pervenêre illi poſt ſuperata certamina, poſt triumphatam feliciter mortem. Mactè

anime

animemi! pudeat in hoc virtutis ſtadio ultimum te videri!

SENTENTIA.

Dicit aliquis, & quis eſt, qui poſſit SS. & BB. Martyrum veſtigia ſequi? huic ego reſpondeo, quod non ſolùm ſanctos Martyres ſed ipſum Dominum cum ipſius adjutorio, ſi volumus, poſſumus imitari. *S. Aug. ſerm. 47. de Sanct.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. EMerſit è tenebris Apoſtolus uterque *in admirabilem lumen*, ubi primùm relictis omnibus ſecutus eſt *Chriſtum.* Quî enim non illuminarentur appropiando illi, qui eſt *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* qui non alii à ſeipſis fierent, transferendo ſemet à ſæculi turbis ad collegium peculiarium DEI amicorum? niſi, anime mi, ſpretô omni eô, quod terreum eſt, *Chriſtum* cum *Philippo* identidem inclames: *Domine oſtende nobis Patrem:* nondum te *Chriſti* diſcipulum probas.

II. Aude ergo aliquid, & *Philippi* ergà cœleſtia ſtudium: *Jacobi* ſanctitatem ſedulus imitare. Abſtinentiæ tantæ fuit *Jacobus*, ut ejus linguam, dum vixit, nec *caro* unquam, nec *vinum* humectârit. In orando tam perdius, ac pernox, ut ejus genua in lapidem propè indureſcerent. Quæ noſtra in victu denique temperantia? quis in precibus fervor? ſapiunt nimirum iſtæ, ſi prolixæ non ſint: adamatur illa, poſtquam ſtomachô cibis fartô, abſtinere neceſſitatis eſt, non virtutis.

III. Quanta olim tibi accreſcet felicitas, ſi Apoſtolos imitatus, dignum te *Chriſtô* diſcipulum probaveris: hujus videlicet imitatus fueris *manſuetudinem* & *humilitatem*: DEUM, quod egerunt Apoſtoli, dilexeris ex toto corde, & proximum ſicut te ipſum: ſi denique ſanguine propriô conteſtari paratus fueris amorem utrumque. Hæ nimirum *notæ* diſcipulorum *Chriſti* ſunt. Eſto enim magnus eorum ſit numerus, qui dicunt, *Domine, Domine*: cœlum tamen eorum tantùm erit *qui fecerint voluntatem Patris*. Matth. 7.

II. MAII.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus.

RArâ ingenii felicitate conſecutus eſt *Antoninus*, ut prædicatorum familiæ accenſeretur. Repulſam enim initiò paſſus à moderatore dictæ modò familiæ, nec priùs redire juſſus, quàm totum *Jus Canonicum* memoriâ comprehendiſſet, acceptatâ hilari cum animo conditione, poſt annum rediit, réque monſtravit, vaſtum illud SS. Canonum opus vel ad unum usque apicem memoriâ ſe complexum. Sacro itáque Ordini adſcriptus ſtrenuè laboravit, ne talenta ſibi concredita peſſum irent, adjunctâ ſtudio indefeſſo pietate verè religiosâ. Factus verò Archiepiſcopus tam nihil a priſtino fervore remiſit, ut moriturus etiam non aliô magis ſe ſolaretur, quàm quod in religione vixiſſet. Sic nempe ſolent, quibus *ſcientia ſanctorum* magis, quam *profana* curæ eſt.

SEN-

Digitized by Google

SENTENTIA.

CUm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. *S. Greg. Homil. 9. in Evang.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CUm *omne datum optimum & omne donum perfectum desursum* sit *descendens à Patre luminum:* ac per consequens ipsa etiam *naturæ dona* hujus *auctori* pariter ac *donatori* in acceptis referri debeant: turpissima sanè illorum est ingratitudo, qui talenta ejusmodi sic possident, tanquam ea desuper non accepissent. An non æqua horum punitio, ut nunquam perfectam assequantur notitiam utendi hisce talentis *pro utili suæ animæ?*

II. Par illorum culpa, vel major, qui torpore dissoluti, nil horrent pretiosa hæc talenta defodere in terram neglectûs. Meminissent ejusmodi, perinde sibi, ac aliis dici: *negotiamini dum venio.* O ut crederent unumquemque *propriam mercedem* recepturum *secundùm proprium laborem!* agerent utique quod vinitores, qui non contenti soli ubertate, hoc insuper colunt & fodiunt, ac, quam possunt, vicariam *naturæ* substituunt operam. Turpe, etiam hîc loci, inferiores esse filios lucis filiis sæculi.

III. Quid interim agendum illis, quibus nullum ingenii acumen, nulla memoriæ tenacitas, nulla dicendi copia? bene se habeant, certique sint, nihil naturæ faventis dona factura fuisse ad finem ab æterna numinis *providentia* præfixum Quid dæmoni fructûs accrevit hactenus, quòd

mortales quosque naturalium ſcientiâ ſuperet ? quid philoſophis quos velut eruditionis miracula ſuſpexit antiquitas ? *evanuerunt* nimirùm *in cogitationibus ſuis. Alta verba non faciunt ſanctum: ſed vita virtuoſa efficit DEO charum.* Thom. Kemp. de Imit. L. 1. c. 1.

III. MAII.

Inventio S. Crucis.

JUre gaviſa eſt *gaudiô magnô valde* Imperatrix pientiſſima, quando ipsâ hâc die è terræ ſinu effodit *theſaurum* inæſtimabilem, tot ſæculis abſconſum : *theſaurum*, ad cujus ſalutarem memoriam penitùs abolendam, ac, ut ne ſpes ſupereſſet illius aliquando potiundi, infame *Veneris* delubrum *perfida gentilitas* extruxerat. O quàm DEO hodiéque obſtringitur orbis univerſus, ex beneficiis plurimis, quæ ab hoc ſalutis noſtræ ſigno in nos derivantur ! quàm fœda illorum ingratitudo, quibus nulla ineſt erga hunc patientis DEI Filii thronum amor, & *reverentia* ! quantillum diſcrepant à gentilibus, qui ſalutiferæ crucis locô, ipſi illi idolo ſuis in animis *aras* ſtatuunt, cui iſti in *Calvariæ* montè!

SENTENTIA.

CRux fons eſt omnium benedictionum, cauſa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. *S. Leo. Serm. 8. de Paſs. Dom.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUantus tibi favor obtigit, *ſancta Crux*! quòd regiis Chriſti geſtata humeris, contacta corpore, ſanguine picta, priorem tuam infamiam in æternam commutâris gloriam! euge, *anime mi*! ſi, uti neceſſarium eſt, volupe quoque ſit, feriari tantiſper à ſæculi negotiis: non alteri *lectulo* indormias magis quàm iſti. Superat infinities illum *Salomonis*: ambitur enim non à *ſexaginta fortibus*, ſed ab eo, *cui in fortibus ſimilis non eſt.*

II. Grandi mortalium damnô accidit *arboris vitæ* jactura, quando protoparentum ingluvie vitiata eſt *arbor ſcientiæ boni & mali*: ſed reſarciit optimus DEUS hæc damna, ubi in uno *crucis ligno* utrumque cumulatiſſimè inſtauravit. Sanè enim *lignum vitæ* fuit, quod ex ſe ſuſpenſum habuit *vitæ auctorem*, qui venit, ut homines *vitam habeant*, & *abundantiùs habeant*. Eſt inſuper *arbor ſcientiæ boni & mali*, quia illum ſibi affixum habuit, qui ſanctiſſimæ converſationis exemplô docuit *declinare à malo*, & *facere bonum*.

III. Res ſummi cenſetur pretii, habere ſecum vel minimam theſauri hujus particulam. Sed, en! quantâ ſinceritate tecum agat DEUS, dum *tribulationes* immittendo, *morbis* te divexando, non jam *crucis particulam* vel *pulviſculum*, ſed *partem notabilem* donô transmittit, ac inſuper paſſionis ſocio gloriæ conſortium ſpondet. O te ſtolidum, ſi tantiſper deliciari, quàm cum Chriſto pati malis! *quid times tollere crucem, per quam*

itur

itur ad regnum & requiem æternam ? Thom. de Kemp.

IV. MAII.

S. Monica Vidua.

DIgniſſima hæc eſt, cui hodiéque minerval matres pleræque pendant, ut ſuos, non alio modo, amare liberos doceantur, quàm quô *Auguſtinum* amavit *Monica*, quæ, ſtudiô à marito ſat diſpari, magis anxiè curabat quàm probus evaderet filius, quàm diſertus. Ubi porrò hunc ſuum natum advertit exerrâſſe à veritatis ſemita, & non jam Eccleſiæ *filium* eſſe, ſed *privignum*, peſſimis Manichæorum fallaciis miſerè circumventum: tam amarùm flevit, tam aſſiduas pro ſalute filii ad DEUM preces fudit, ut Præſul Mediolanenſis indubitanter aſſereret, nunquam planè periturum tantarum lacrymarum filium. Tandem *Auguſtini* converſione, quam unicè cupierat, mirè recreata, congeſtô meritorum numerô ſatis egregiô, collectô *patientiæ* fructu ampliſſimô, *quinquageſimô*, *& ſextô annô ætatis ſuæ* (ut filius, teſtis oculatus ſcribit) *anima illa religioſa & pia corpore ſoluta eſt.* l. 9. Conf. c. 11. An una aliquando tibi lacrymula excidit dolenti peccata aliena?

SENTENTIA.

SAnum membrum in corpore poſitum, ſi languentibus cæteris non auxilietur, ſupervacuè locum occupat. Sic & fideles qui-

quique in Eccleſiæ corpore conſtituti, ſi peccantes fratres agnoſcant, otiosè vivunt, ſi flendo, aut compariendo de delinquentium perditione non doleant. *S. Laur. Juſt. in faſc. amor. c. 14.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUantò ſanctiùs eſt, ſuperi! amare *animas*, quàm *corpora*! dolere illarum, quàm horum interitum! uti tamen in conquirendis corporalibus ſolatiis toti ſumus: ita de *animæ* damnis parùm angimur. Quoties periclitantur vel noſtræ, vel proximorum animæ? neque tamen cum *Monica* DEUM precibus flectere pro avertentis illarum malis ſatagimus. An hæc *vera charitas?*

II. Scitè typum Eccleſiæ lugentis expreſſit *Monica.* Agit enim illa pro ſingulis, quod iſta pro unico ſuo filio. Et Eccleſiæ filii ſint, qui non modò pro ſe *lætantur cùm malè fecerint*: verùm aliorum etiam ruinas promovent *juſſione, conſiliô, conſenſu, reticentiâ, adulatione, participatione?* Sanè nec Eccleſiæ filii ſunt, nec Chriſti membra: cùm, præter Chriſti & Eccleſiæ morem, unum hoc agant, ut perdendo plures, pereant cum pluribus.

III. Si perrò *maledictus qui exaſperat matrem* Eccl. 3. quid fiet illis, qui Eccleſiam tam nequiter affligunt? Illa, ut S. Ambroſ. loquitur L. 5. comment. in Luc. c. 7. *pro ſingulis, tanquam pro unicis filiis vidua mater intervenit, compati-*

tur-

turque ſpirituali quôdam dolore naturæ, cùm ſuos liberos lethalibus vitiis ad mortem cernit urgeri: iſti verò nil penſi habent *afflictæ* addere *afflictionem.* Imò, plorante illâ, rident iſti, more pervicacibus liberis familiari. Peccata inſuper peccatis addunt, ne deſit aliquando luctûs materia. Sed repetetur ad vitæ finem fulmen illud, jam olim in perduelles liberos excuſſum: *maledictus qui non honorat Patrem, ſuum & Matrem: & dicet omnis populus, Amen.* Deuter. 27. v. 16.

V. MAII.

S. Angelus Carmelita. M.

UTne indignam nomine ſuo vitam viveret *Angelus*, ſequeſtratus ab hiſce corporalibus, primò in ſolitudine per quinquennium *ſpiritu* tantùm *ambulavit*, quotidiani etiam victûs curâ angelis fidenter commiſsâ, quorum operâ ſuam ſtatis temporibus annonam ſecurè conſecutus fuit. Carmelitarum Ordini accenſu, eô rigore in ſemet deſæviit, ut continuò ferream geſtaret interulam. *Sancto Franciſco* ſeraphico mirabilem illam SS. Stigmatum impreſſionem prædixit, atque ab hoc invicem *Martyr* prænuntiatus eſt. En quàm ſua DEUS ſecreta amicis talibus non perinde, ut ſapientibus & prudentibus, abſcondat.

SENTENTIA.

NUllus palmam ſpiritualis certaminis apprehendit, qui in ſemetipſo prius per afflictam ventris concupiſcentiam carnis incen-

Digitized by Google

incentiva non devicerit. *S. Gregor. 30. Moral. c. 26.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UT quàm nomine, tam re *Angelus* esset sanctus hic Carmelita, serium mortificationis studium effecit. Tantò enim propior quisque fit *Angelis*, quantò est remotior ab omni eo, quod *carnem* sapit & carnalia desideria. Et esto plurimùm ab angelo differat homo, dum adhuc est in via: tantum tamen præstat hominibus reliquis *homo plenè mortificatus*, ut *angelus* dici potiùs, quàm *homo* debeat.

II. Est *mortificatio* siccum martyrium, cruentô sæpè difficilius. Magnus utrorumque pugilum in cœlo numerus, eorum videlicet qui se; & aliorum qui vicêre alios. Magna utriusque sortis martyribus corona reponitur. Idque priores præ posterioribus habent peculiare, quòd nunquam deficiant persecutor & persecutio. *Inimici hominis domestici ejus:* horùmque dux *caro propria*, semper ad malum prona, semper in vetitum proclivis.

III. Quod igitur spiritibus angelicis congenitum est, idem tibi, siquidem angelos imitari velis, familiare esto. Carnem doma, & unius animæ curam efficaciter gere, hancque ut meliorem tui partem beatæ felicitati reserva. Passionum motibus non cede, sed obnitere, expugna, tamque parùm subjicere, quàm tyrannorum placitis glorioſi martyres. Sic enim velut illi *auctoritatem fidei*; sic tu *auctoritatem animæ in corpus* sartam servabis & integram. Vide quàm & *siccum*

mar-

martyrium candidatos ſuos feriari tam non ſinat, quàm nunquam feriantur illorum hoſtes. *Sic dimicârunt adverſus peccatum ſancti.* S. Joan. Chryſoſt. ſerm. 1. de Martyr.

VI. MAII.

S. Joannes Damaſcenus.

AMpliſſimæ Urbis Damaſcenæ nuper Gubernator, interque magnates facile maximus, poſt verò religioſus humilis, moderatoris ſui juſſu forum aliquando confertiſſimum, vili endromide tectus, adiit, divenditurus calathos, operosâ monachorum manu contextos. Tam nobilem ſui victoriam non modò cœlum ſuſpexit: verùm & orbis æſtimavit, quando unus aliquis eorum, quos ſuo nuper in famulitio *Joannes* numeraverat, has ſibi merces emit, etſi inutiles, quòd indignè ferret, herum ſuum tamdiu hærere in foro, & rideri, nemine fiſcellas præſtinante, quòd, ut juſſus fuerat, immodicô eas pretiô venum expoſuiſſet. An non *fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit mœnia?*

SENTENTIA.

HOmo, qui nec dum perfectè in ſe mortuus eſt, citò tentatur, & vincitur in parvis, & vilibus rebus. *Thom. Kemp. l. 1. de Imit. c. 6.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. *QUi amat animam ſuam in hoc mundo, perdet eam.* Sunt verò in ſui amantium cenſu illi etiam, qui boni aliquid aliquando omittunt, veriti *hominum judicia*. Hinc ſæpe voces iſtæ vel ejusmodi: *quis de me erit hominum ſermo, ſi audiant me ab hoc officio amotum, & viliore obedientiâ occupatum?* obedientiæ meritum indubiè perdidiſſet *Joannes*, ſi, more horum, tam inſipidè diſcurriſſet.

II. Naſcitur hæc *virtutum tinea* ex vana ſui complacentia. Miſeros nos, quòd ea plerumque acribus, quibus aliis commendari nos credimus: alia verò vix obliquô dignemur oculô, quibus & DEO & prudentibus diſplicemus. Nobilitas, formæ elegantia, ſcientiæ, divitiæ &c. bona ſunt adjectitia, aliis ad gloriæ augmentum: aliis ad interitum ſervientia. Stolidum igitur eſt, horum abuſu, æternorum facere diſpendium.

III. Si quid abjectius exequendum nobis incumbat, timemus ne rideamur, cùm tamen virtutum cultores non aliud ſic ædificet, uti exacta ſanctæ *humilitatis* & *obedientiæ* promptitudo. Adeò inter ſe differunt etiam hominum judicia. Felix qui unô DEI intuitu, & ſeclusô penitùs omni reſpectu humanô, ad perfectionem magnis contendit paſſibus, illud Pauli mundo tentatori identidem opponens: *mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Quid enim vel perfectionis adimat, vel imperfectionis addat frivolus hominum ſermo? *jacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum ne metuas judicium, ubi*

te conſcientia reddit inſontem. Thom. de Kemp. L. 3. de Imit. c. 41.

VII. MAII.

S. Stanislaus Epiſcopus & M.

CRacovia thaumaturgum hunc habuit antiſtitem, illô planè indigna, ob ſcelera, quibus, exemplô profligatiſſimi regis ſui *Boleslai*, fœdè tum ſcatebat. Prædium præſul emerat, ditandæ non ſuæ quidem reculæ, ſed Eccleſiæ, à viro nobili: quod ipſum tamen trienniô poſt emptionem, & fata venditoris, repetere, velut ſuum, hæredes veriti non ſunt, probè gnari *Stanislao* tabulas deeſſe & teſtes, quibus olim ſibi cavere neglexerat. Et cecidiſſet causâ antiſtes, niſi in patrocinium veritatis vocatus adſtitiſſet ipſe venditor, teſtis utique omni exceptione major, orationibus Epiſcopi è piaculari carcere ad tribunal regium citatus, ad diſceptandam litem tam dubiam. Vicit *Stanislaus*, omnium animis prodigiô tam inauditô attonitis, exceptô unius regis, qui non multò poſt Apoſtolicum Antiſtitis zelum in reprehendendis vitiis, & quod ejus ſententiâ à corpore fidelium, velut putridum membrum abſciſſus eſſet, non ferens, infami parricidiô trucidari ad Aras facientem; tum in fruſta concidi fecit. Hoc ſolitum mundi eſt *boſtimentum.*

SENTENTIA.

QUis inter hæc vero ſubveniat? Patronus? ſed prævaricatur, & decipit. Ini-

Inimicus insimulat, calumniator impugnat, hostis infamat. Utrobique grassatur mendacium, criminum prostitutæ vocis venalis audacia. *S. Cyprianus Ep. 2. ad Donatum.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. REgibus & principibus populi seriò acclamat DEUS: *erudimini, qui judicatis terram.* Ps. 2. v. 10. Magnâ videlicet eruditione opus est iis, quorum est tueri justitiam, ne vel *favore* acti vel *odiô*, extrà recti orbitam exerrent. Verùm, quàm rarus est hôc sæculô hic *æqui* amor! quàm non rarò prævalent munera, judicum quàm animos, tam sententias in quam volunt partem contorquentia! *væ qui justificatis impium pro muneribus!* Isa. 5. v. 23. Aliter Hussæus Vates: *auris audiens beatificabat me, &c. eò quòd liberâssem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adjutor. Job. 29. v. 11.*

II. Non potuit justissimus DEUS: quin firmandæ *Stanislai* Præsulis causæ mediô uteretur insolitô, vivô scilicet *mortui triennalis* testimoniô: adeò illi displicent perversa judicia, & judicum fraudes. *Dominus* enim *justus est, & justitiam dilexit.* Ejus bono monet apud Isaiam: *quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.* c. 1. v. 17. Felicem te, si vel *in politicis* cum proximo, vel *in moralibus* cum DEO tuo tam sincerè semper agas.

III. *Stanislaus* in sexcentas licet partes dissectus, ferisque & avibus ad laniandum expositus,

DEI tamen virtute in integerrimum corpus coaluit. Hôc miraculô DEUS adumbravit futuram noſtram *Anaſtaſin*, de qua Paulus: *omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* 1. ad Cor. 15. Non immutabimur nimirum *per gloriam*, ut explicat Cornel. à Lapide, niſi *reſurrectionem* hanc ſuis cum circumſtantiis ſeriò penſantes, *ſtudiosè* operemur ſalutem noſtram.

VIII. MAII.

Apparitio S. Michaëlis Archangeli.

CElebrem ùsque hodie diem hunc fecit illuſtris Apparitio *Michaëlis* Archiſatrapæ cœleſtis, quæ contigit in Monte Gargano Apuliæ. Hæſerat ad radices illius montis in aditu ſpeluncæ taurus, à grege reliquo exerrans: atque ita hæſerat, ut quâcùnque demum vi abigi nequiret. Sagittâ ergo impetitur; ſed dirô ſagitarii malô, quando illa vi occultiore retorta iſtum petiit. Cunctis ergo rei inſolentiâ attonitis, ſupplicatio ſolemnis indicitur, junctô tridui jejuniô, & dubium denique enodatur ab illuſtriſſimo agminis angelici principe, dum hic *Sipontinorum* Præſuli conſpicuus, eam ſpeluncam, in auguſtum deinceps templum elaborandam, ſuis, ſociorúmque honoribus ſacram fieri vult & imperat. Et jure: decet enim, dum DEUM cernui adoramus, debitis etiam officiis coli hos intimæ admiſſionis amicos.

SENTENTIA.

QUia undique hìc circumdatus es tentationibus, ſcutô circumdabit te veritas

tas ejus, ut quemadmodum undique bella, ita undique ſint & præſidia. *S. Bern. ſerm. 5. in Pſal. 90.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *VÆ terræ & mari* (morituris comminatur ſeriò Genius Apocalypticus) *quia deſcendit ad vos diabolus, habens iram magnam, ſciens, quòd modicum tempus habet.* Apoc. 12. Modicum planè tempus, quod tamen ſufficiat ad milliones animarum in tartarum deturbandas. Quis tum tibi ſenſus erit, anime mi! cùm inimici tui *vallô circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique?* trepidabis utique, & infirmus ad terram proſternêris, ſi corporis inquilinus, frigidô erga SS. Angelos affectu, horum tutelâ te feceris indignum.

II. Mandavit quidem DEUS angelis ſuis de te, *cuſtodiant te in omnibus viis tuis*: imò in manibus tollant te, *ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum*: tibi porrò mandavit de illis, ut omni obſequiorum genere favores eorum tibi concilies. *Ecce ego mitto angelum meum, &c. Obſerva eum, & audi vocem ejus.* Exod. 23. Putaſne reſpondit hactenùs curæ angelicæ, tua erga eosdem obſervantia?

III. Hoſtem tartareum cum rebellibus angelis initiò ſtravit *Princeps Michaël.* Theſſera illi: *quis ut DEUS?* hanc cape: illius patrocinium efflagita, & ſecurus eris *in die belli.* Elides hôc umbone *omnia tela nequiſſimi ignea*: & tutore tantô protectus, non peribis in tremendo judicio.

Exſpirànti occurrent Angeli Domini, ſuſcipientes animam tuam, eamque offerentes in conſpectu altiſſimi. *Spartanæ* filiis ad bellum ituris, clypeum porrexêre, cum dicto: *aut cum hoc, aut in hoc.* Tibi *Michael* dicit, porrectô clypeô ſuô: *& cum hoc, & in hoc.* Clypeus hic valet hoſti & impugnando, & expugnando.

IX. MAII.

S. Gregorius Nazianzenus.

THeologus audiit ab inſigni rerum divinarum ſcientia, pro qua comparanda, præter vitæ à ſordibus præſervandæ ſtudium, illò etiam medio uſus eſt, ut adhuc juvenis ſolicitè caveret malorum conſortia, vitaret luſus, & alias quascúnque nugas, quibus ſtolida juventus oblectari, unaque temporis pretioſi diſpendia facere conſuevit. Legem ſibimet indixit, ne nunquam juramentô, etiam leviori, labia ſua inficeret, quam ad extremum ùsque ſpiritum exactiſſimè obſervavit. Primùm Epiſcopus *Saſimorum*, *tum Conſtantinopolis* Archiepiſcopus: utrobique eam ſervavit modeſtiam, ut clariſſimè paſſim reſplenderent ſanctæ humilitatis decora, quibus exornare animum in Seleucienſi *S. Theclæ* Cœnobio Monachus, à multo tempore ſtuduerat. Sic vivunt, quorum animos imbuêre altiſſima *ſcientiæ ſanctorum* principia.

SENTENTIA.

VEra amicitia tantùm inter bonos oritur, inter meliores proficit, inter optimos conſummatur. *Caſſiod.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. FAmiliare antiquitati diverbium fuit: *ne cuivis injicias dexteram.* Vix alia peſtis tam celeriter ad intima ſerpit præcordia, uti vitia pravæ ſocietatis. Perierunt illâ innocentiſſimi aliquando animi, quibus antea vel ipſum vitii nomen horrorem ingeſſerat. Claudo vicinus ambulans & ipſe denique claudicabit. Neque alii ſunt ad hominem ſeu deſtruendum, ſeu perficiendum aptiores, quàm, quibus convixerit. Certa pridem veritas fuit, infallibili S. Spiritûs teſtimoniô firmata: *cum iniquo iniquus eris, & cum perverſo perverteris.*

II. Bonorum è converſo familiaritas res eſt admodùm pretioſa. Audiamus gentilem Senecam chriſtianiſſimè ſic loquentem, Epiſt. 75. *Nulla res magis ad boneſta inducit, dubiosque & in pravum inclinatos revocat ad rectum, quàm virorum bonorum converſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præcepti obtinet, frequenter audiri, frequenter aſpici. Occurſus mehercle ſapientûm juvat: & eſt aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias.*

III. Providè ergo factum à *D. Gregorio*, quòd, præter *Baſilii*, viri quàm literatiſſimi, tam piiſſimi, aliorum quorumcunque conſuetudine ſeverè ſibi voluerit interdictum. Noverat ſapientiæ arcana à malevolis non imbibi animis, eorumque cœtum non ſubintrare, quos *timor Domini* non commendat. Noverat, certiſſimum eſſe, quòd ſuis etiam in confeſſionibus edixit Auguſtinus: *ſocietas mala res eſt contagioſa.* Noverat denique

ſocios malos aucupis tartarei eſſe aves illices. *Quæ primùm capta eſt anima, ad alias capiendas ſit quaſi laqueus.* S. Ephrem. de rect. viv. rat.

X. MAII.

S. Gordianus M.

SÆviit aliquantùm in chriſtianos, ſtrenuus falſorum numinum cultor *Gordianus*: à ſancto tamen *Januario*, quem pro imperio quæſtioni ſubjacerat, cœcitatem ſuam dedoctus, veritati ſic porrò acquievit, ut non ipſe modò, verùm ejus hortatu uxor etiam *Marina*, cum quinquaginta tribus è ſua familia, luſtricis undis tincti, quàm pertinaciter anteà idolorum ſervituti indormierant, tam conſtanter poſtmodum unam Chriſti fidem, vigili curâ & propugnarent, & propagarent. Præmium ſuæ Conſtantiæ *Marina* tulit ruſticam ſervitutem, *Gordianus* mortem glorioſam capitis ſupplicio aditam. Mortuum cùm gentiles riderent, luxêre canes, ſacrarum exuviarum, quas abroſuri credebantur, excubitores egregii. Vide quantùm poſſit doctrina ſalutaris animô non indiſpoſit ô ſuſcepta!

SENTENTIA.

NOn minus pium eſt, docere animum ſcientiam, quàm eſcam præbere corpori. *S. Bernard. Super Cant.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. DEI Verbum ſemini aliquando aſſimilavit Salvator: cor hominis terræ. Seminatur illud non parcè: meſſis tamen ſæpe modica, vel nulla. Quid cauſæ? ſoli utique ſterilitas, & prava diſpoſitio, quâ *ſpinas & tribulos* faciliùs, quàm frugem bonam protrudere conſuevit. Aliter ſanè ſuum coluit animum *Gordianus*. Nihil hìc ſeminis *ſecus viam* cecidit: nihil *ſupra petram*: nihil *intrà ſpinas*: totum *in terram optimam*: & hinc etiam *fructus centuplus*. Idemne fueras acturus, ſi eædem tibi, quæ *Gordiano*, fuiſſent divitiæ, nobilitas, dignitas?

II. *Eloquium Domini*, ad modum grani ſinapis, *ignitum* eſt *vebementer*: nec tamen aliquando ſcelerum glaciem diffluere facit. Anxiè dolet D. Bernardus, divinum doctorem, ſive per ſe, ſive per ſuos loquentem tam parùm attendi: idque ideo, *quoniam non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim græcè loquentem non intelligit, qui græcum non novit: nec latinè loquentem, qui latinus non eſt: ſic amoris lingua ei, qui non amat, barbara eſt.* ſerm. 79. in Cant.

III. Quantam putas gloriam obtinuiſſe *Januarium*, quòd tantum gentilium numerum, cum hoc ſuo judice, in veritatis viam reduxerit? impletum ſanè hîc eſt Iſaiæ vaticinium: *erunt capientes eos qui ſe ceperant, & ſubjicient exactores ſuos.* c. 14. v. 3. Age, anime mi! quidquid animarum bono potes, ſedulus operare. Rem *exemplò* primùm; tum verbis aggredere. Planta, riga:

riga: dabit incrementum DEUS. *Doctrina cum omni imperio docetur, quando priùs agitur, quàm dicatur.* S. Greg. in Moral.

XI. MAII.

S. Mamertus Epiſc.

Vienna Galliarum plurimùm debet pientiſſimo huic ſuo antiſtiti, quòd fervidis ejusdem precibus ultimum effugerit excidium. Videbatur omnis propemodum creatura in ultionem inimicorum DEI armata, graviter exardeſcere ad acerrima illis ſupplicia inferenda, dum ignes crebrò, & improviſè exorti, plurimas depaſcere domos; terra motibus inſolitis concuti; aër ferali reſonare ſonitu; luporum, cervorum, urſorum, aliarumque ferarum rabies in feros hominum mores debacchari tamdiu non deſtitêre, quàm *triduum rogationum*, quod hodiéque Eccleſia aſcenſionis admiranda ſolemniis præmittit, ſuá in Diœceſi inſtitueret *Mamertus.* Vide, quàm verum ſit, quod gentilis olim Poëta cecinit: *flectitur iratus voce rogante DEUS.* Ovid.

SENTENTIA.

TAlis requirendus eſt ad orandum, qui ſi idoneus ad placandum: quia ſi is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. *S. Greg. in Paſtor.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. CAlamitates publicæ quid aliud demum ſunt, quàm ſcelerum itidem publicorum flagella? his æquiſſimum numen, quos vitæ beatiori reſervat, miſericorditer corripit. Alios, diſciplinæ impatientes, & temporaliter, & æternùm punit. Intimos animi receſſus diſcute: videbis tuam te ſymbolam nimis quàm frequenter contuliſſe, ad ſupplicia ejusmodi communia à DEO ferè extorquenda, ſecùs clementiam promptiſſimè impenſuro.

II. His interim tempore avertendis medium efficaciùs, quàm *communis oratio*, ſuſcipi non potuit. Hâc DEO vim velut inferimus, ut optimô ſucceſſu fecêre *Ninivitæ*, quando intentatam evitaturi ruinam, regis ſui mandatum ad unguem expleverunt. Id verò tale erat: *homines & jumenta non guſtent quidquam, & clament ad Dominum in fortitudine.* Jonæ. 3. *Coimus in cætus*, inquit antiquiſſimus Tertullianus, *& congregationes, ut DEUM quaſi manu factâ, precationibus ambiamus orantes.* in Apocal.

III. Sic DEI olim clementiam expugnavit magnus *Gregorius*, quando ad perſanandam aëris infectionem publicas ſupplicationes inſtituit: ſic alii vel largas terræ pluvias; vel harum cohibitionem; vel ſolutionem obſidionum; vel requiem terræ motuum, & ſexcenta alia, utrique vitæ percommoda obtinuêre. Solùm, ut paginæ verſæ *ſententia* docet, requiritur precantis dignitas, aut certè non nimia indignitas. *Scimus*, inquiebat ille, *quoniam DEUS peccatores non audit*:

eos

eos ſcilicet, apud quos obfirmata in malo voluntas. *Oratio fidelis cœlum ſine dubio penetrabit.* S. Bernard.

XII. MAII.

S. Pancratius M.

GRatum cœlo ſpectaculum dedit olim *Tobias*, *in medio nationis pravæ* tam candidè converſatus, ut licet aliis junior, nihil tamen puerile gereret in opere. Par illi, ſi non major *Pancratius*, à crepundiis virtuti tam aſſuetus, ut duodennis, illius, velut conſummatæ, rara orbi exhiberet ſpecimina. A *Diocletiano* filii loco habendus, ſi DEI filium ejuraret, *Moyſen* ſtrenuè & paſſibus æquis inſecutus, & aſſecutus, qui Apoſtoli teſtimoniò ad Hebr. 11. *Negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo DEI, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.* Capitis ergo damnatus, fidei, cui ore hactenus; tum proprio etiam ſanguine ſubſcripſit, relicto illuſtri mortalibus exemplo, ætatem nullam virtuti immaturam eſſe. Sacer illius tumulus, ſi *Gregorio* Turonenſi fides, usque adeò perjuros odit, ut horum quemcùnque vel ad ipſos ſolùm cancellos temerè proximantem, aut ab ultore dæmone præfocari, aut exanimem in pavimentum concidere contingat. Sic ſcilicet vitia horrent Divi.

SENTENTIA.

NUlla ſine labore virtus eſt, quia labor proceſſus virtutis eſt, *S. Ambr. in Pſ. 118.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Vicina eſt lapſibus adoleſcentia*, inquit Ambroſ. L. 1. de Vid. juvenem iis non abripi vitiis, quibus ætas hæc obnoxia eſt, ſed in vigenti corpore ſenilem exhibere prudentiam, hoc demum eſt, quod hôc orbe quàm rarum; tam DEO etiam & ſuperis charum eſt. Sapienter interim agit, quisquis de lucro illius ætatis non nimiùm ſibi fidens, DEUM rogat: *delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*

II. Senes *cum venia delirare*, dixit nonnemo: juvenibus verò id non æque conveniens eſſe, inde patet, quòd DEI adjutoriô ſibi præſentiſſimô, & vegetô mentis vigore, facilè illis dominentur vitiis, quæ ætati magis fractæ majore conſtant labore. Et eſto rebelles animi motus juvenes magis infeſtent: hiſce tamen compeſcendis ſuppetunt *labores*, *lectiones*, *vigiliæ*, *jejunia*, *&c.* quibus ſi debitè utantur, citò multùm proficient. *Sudia quæ ſunt in adoleſcentia, tanquam in herbis, ſignificant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ.* Cicero.

III. Et planè adoleſcentibus differendum non eſt virtutis ſtudium. Suſcipiendum iſtud totô animi ſinu, dum *cerei* adhuc ſunt, ne inconſulta dilatio efficiat ipſos rigidos; illud difficile. Quoniàm item vitia citiùs ſemper, quàm virtutes, animo ſeſe inſinuant: eô modo tractanda ſunt, quo ab Ægyptiis Hebræorum partus maſculi: præfocanda nimirum ſunt in ortu. Agendum cum iis, velut cum igne, quem etiam minutiſſimum in *fœnile* illapſum, ſine mora reſtinguimus. Cur verò iſtud?

quia

quia *non attendimus initium, ſed ex initio finem.* S. Chryſoſt. in Pſal. 6.

XIII. MAII.

S. Joannes Silentiarius.

ILluſtriſſimos natales, ampliſſimum plurium provinciarum regimen, ipſam denique dignitatem epiſcopalem, decennio in *Sebaſtena* Eccleſia magno cum fructu fidelium adminiſtratam, *Joannes* minoris fecit, quàm internam animi quietem, qua ut porrò ſecurè perfrui poſſet, primùm in *Laureacenſi* monaſterio novem annos; tum in aliis ſolitudinibus quadraginta & plures, in tam rigido exegit ſilentio, ut *ſilentiarii* inde nomen, æterna dignum memoria, fuerit adeptus. Neque tamen ſolâ hac verborum abſtinentiâ, ſed victûs etiam, celebris adeò extitit, ut quinque priores hebdomadæ dies jejunus tranſigeret: Sabbathô & Dominicis pane veſceretur cineribus miſtô, quâ vivendi ratione aliquot ſupra centum annos vixit. *Aut dic aliquid melius ſilentiô* (monet Comicus) *aut ſile.*

SENTENTIA.

DIu conſidera, quid loquendum ſit, & adhuc tacens provide, ne quid dixiſſe pœniteat. *S. Hieron. in Epiſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. TAm amica vel ipſis gentilibus fuêre ſilentia, ut *Pythagoras* eximius ejusdem cultor, hirundines, quòd præ cæteris avibus

vibus garrulæ, auribus nunquam non moleſtè obſtrepant, ne tectô quidem admittendas cenſeret: eô judiciô, ut *Hieronymus* advertit, falsè perſtringens homines loquaciores, quibus, ut in cœtu ſapientûm; ſic, ac potiſſimùm in religioſis communitatibus, nihil moleſtius eſt, nihil nocentius, cùm *multiloquium*, uti ex 10. Proverb. notat Chryſoſt. Homil. 21. ad pop. *rarò ſit absque peccato.*

II. Chriſtus, cujus omnis actio noſtra eſt inſtructio, quadrageſimale ſuum jejunium rigidiſſimô condiit ſilentiô. Poterat intrà maternas ædes; imò in frequentiſſimis hominum cœtibus abſtinere: nec in tali occaſione dicturus fuerat, niſi plurimorum ſalutem promoventia: maluit tamen abſtractus ab omni humana ſocietate delitere intrà denſiſſimam eremum: vivô mortalibus exemplô, ibi divina animis arcana ingeri, ubi ſtrepitus humani ceſſant alloquii.

III. *Arſenio*, viro magni nominis in aula *Theodoſii*, totam perfectionis *Epitomen* pauciſſimis voculis cœlum tradidit: *Arſeni! fuge, tace, quieſce.* Illi etiam ſancti, qui ſeria verbi divini prædicatione copioſam animarum meſſem in horrea Domini comportârunt, fructuoſiùs nunquàm locuti ſunt, niſi poſt diuturna ſilentia. Sedentes enim ſolitarii, & tacentes, ac in ſacro ejusmodi ſeceſſu levantes ſe ſuper ſe, in ipſiſſima *ſapientiæ divinæ* arcana, promptuaria *Verbi DEI*, introducti ſunt. *Qui intendit ad interiora pervenire, oportet eum cum JESU à turba declinare.* Thom. Kemp.

XIV.

XIV. MAII.

SS. Victor, & Corona.

Victorem coronâ dignum, & *Coronam* triumphali lauro, fecêre dira utriusque martyria. *Victor* miles ſtrenuus, indéque vulnera, & mortem contemnere doctus, diffractis primò digitorum compagibus, atque à cute revulſis, triduum in ardentiſſima fornace illæſus exegit: tum carnibus venenatis bis, citra læſionem tamen, paſtus, ferventi oleo perfuſus, oculis privatus, capite in terram verſo per triduum ſuſpenſus, vivus excoriatus, noviſſimè ſecuri percuſſus, ſanguine, candidiſſimo lacte miſto, fluxit. *Corona* verò *Victoris* conſtantia ad promerendam cœlitus coronam, animata, duabus palmarum arboribus incurvatis annexa, iisdémque dimiſſis medium diſcerpta, palmam illuſtris victoriæ, cum *Victore* victrix, accipere meruit. Certum tibi eſto, non coronandum unquam, niſi eum, qui legitimè certaverit.

SENTENTIA.

NOn ultione, ſed patientiâ victoria ponderatur: nova enim hæc coronarum lex eſt, quoniam nova quòque certaminum oratio. *S. Iſidor. Pelus Epiſt. 126. l. 3.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Non eſt glorioſa victoria*, inquit S. Ambroſ. *niſi ubi fuerint laborioſa certamina.* 2. Offic. Certè non defuerunt hæc utri-

utrique martyri. *Victor* enim per omnia tormentorum genera dirè exercitus: *corona* quindecim annorum matrona mediùm diffiſſa: ut gloriosè certârunt; ſic gloriâ & honore coronari fuerunt digniſſimi. Stolidum eſt victoriam ſomniare ante conflictum.

II. Utrique martyri faciles reddidit cruciatus omnes DEI amor, & futuri præmii certa fiducia. Sæpiùs victor eſſes, ſi ſimilia cogitans DEUM tibi imaginareris pugnæ tuæ ſpectatorem. *Eſto fidelis usque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.* Ita monet DEUS, Apocal. 2. Nec ex eccleſia militante commigrârunt ad triumphantem ſancti quique, niſi certatò fortiter & conſtanter certamine fidei. Ut quid igitur requiem ſine laboribus tibi ſpondes?

III. *Inimici hominis* alii *domeſtici* ſunt: alii extranei. Priores ſunt rebelles animi motus: iſti, homines, nobis undeunde moleſti. Cum utrisque decertandum tamdiu, dum vitæ ſtatione excedamus. Eâ tamen differentiâ, ut priores ſubigamus: poſteriores toleremus. Huc enim referendum illud magni Gregorii: *victoria non minor eſt hoſtes tolerare, quàm hoſtes vincere.* in Moral. En, & hoſtium diſparem ſortem, & pugnæ! ſic porrò pugnantibus nobis, & DEI gratiâ victoribus, ſua cuique dabitur *corona*, illis ſolùm in cœlo repoſita, qui *legitimè certaverint; quique vicerint, & cuſtodierint opera Domini usque in finem.*

Digitized by Google

XV. MAII.

B. Jacobus Novitius Ord. Præmonſtratenſis.

VEteranum facilè quivis *Jacobum* credidiſſet, non *Novitium*, adeò virtutem coluit: puritatem præcipuè: pro quâ incorruptè ſervandâ, nihil eorum omiſit, quæ velut huic fini proficua, unquam adhibenda cenſuêre ſanctioris aſceſeos magiſtri. Et verò ſingulari numinis gratiâ vitæ innocentiam nullâ unquam notabili, imò vix leviore noxâ, illum maculâſſe, argumento fuit mors ſuaviſſima, cantando, quod cygni ſolent, cæpta, cantando excepta. *Ave mundi ſpes MARIA:* hic hymnus devotiſſimi *MARIÆ* clientis, hoc Epithalamium, intrà quod locum ſacras inter Virgines præoſtenſum lætus adiit, cantaturus æternùm novum illud canticum, quod ſolis Virginibus concini conceſſum. Stupuit *Viconia* hoc ſuum lilium poſt triennium nec minimâ corruptionis pruinâ aduſtum, tam ſuaviter halare, quàm ſi eo die in tumulum fuiſſet transplantatum. Illorum in numero habendus indubiè Jacobus, *qui empti ſunt ex hominibus primitiæ DEO & Agno.*

SENTENTIA.

PRæcurrit ætatis maturitatem, quisquis in adoleſcentia poſitus, ſenilem gravitatem induit, & juveniles annos veteranâ quâdam continentiâ regit: fervorémque virentis corporis in cana morum maturitate componit. *S. Ambr. in Pſal. 118.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm bonum & jucundum, portare jugum Domini ab adoleſcentia! animus profectò ille ſinceriſſimus, qui, quod juſtus *Abel* conſueverat, non macrum, non exſuccum; ſed optima ſua, vitæ ſcilicet *primitias*, & vivaciſſimum ætatis florem offert. Sacrificium hoc jure *matutinum* dicas, ampliori utique benedictione dignum, quàm quod in *crepuſculo* diei noſtræ ſordidâ parcitate litatur.

II. Si *Domini eſt terra, & plenitudo ejus, univerſi* etiam *qui habitant in ea:* quî ſine grandi piaculo obtrudentur eidem vini optimi locô, vappæ, & fœces? puræ ſimilaginis vice *furfures?* flores marcidi & decidui? nihil ſanè ultra veſtrum agitis debitum, *tyrones religioſi!* ſi fixum & firmum vobis ſit, in hiſce ætatis veſtræ auſpiciis *Nazaræorum* more uni DEO dicari Optimam cum *MARIA* partem elegiſſe vos olim conſtabit, ubi tota civium ſupernorum frequentia gratulabitur vobis, quòd ſæculum hoc neſcieritis veriùs, quàm reliqueritis.

III. Jacobus *conſummatus in brevi, explevit tempora multa.* Sat diu vixit, quia bene. Ex oppoſito verò ſæpe fit, ut qui diu vixit, parùm vixerit. Rapiuntur, DEI clementiâ, tempeſtivè aliqui, ne malitiâ in transverſum agantur. Flores nimirum in vere carpi ſolent, ubi ſuccô vividi ſunt. Continùò denique ſuſpirandum ad *vitam venturi ſæculi*, utpote cujus ſolâ ſpe præſens hæc animatur. *Vita vitæ mortalis, ſpes eſt vitæ immortalis.* S. Auguſt. in Pſ. 3. Suſpirârit ſine dubio ad iſtam *Jacobus*, cantando moriens, & moriendo cantans.

XVI. MAII.

S. Ubaldus Epiſcopus.

ALtè animo imbibit Servatoris monitum *Ubaldus*, quô jubemur *diligere inimicos noſtros, bene facere his, qui oderunt nos, & orare pro perſequentibus, & calumniantibus nos.* A proletario ſcurra (cæmentarius is fuerat) per inſignem contemptum, in vivæ calcis acervum dejectus, non modò aliqua iræ, cœteroquin juſtæ, indicia verbô, vel geſtu non prodidit, ſed præterea reo, amicorum ſuaſionibus in jus vocato, eo vindictæ genere occurrit, ut cum ingenti omnium ſtupore è ſolio deſiliens venerandus antiſtes, ridenti ore, fronte in miram ſerenitatem explicatâ, his verbis infimæ fœcis hominem compellaret: *fili, oſculum mihi da: hâc pœnâ te plecto, Deúmque precor, ut & hanc noxam, & alia errata omnia tibi condonet.* Dixerit fortè *Ubaldus* cum Gregorio Nazianzeno: *mihi adverſus eos, qui injuriam intulerunt, ſatis gravis pœna eſt, referendæ injuriæ poteſtas.* Orat. 32.

SENTENTIA.

INjuriâ te quispiam affecit? potes ipſe præſtare, ut ea injuria laudi tibi cedat. Si enim injuriâ injuriam remenſus fueris, probrum per te accreſcet: at ſi injuriæ illatorem laudaveris, tu videbis eos omnes qui aderunt, & lauream tibi imponere, & præconiô laudes ad cœlum tuas efferre. *S. Chryſoſt. Homil. 12. in Epiſt. ad Rom.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. TAntum lædunt *injuriæ*, quantum apprehenduntur. Gentilibus, luce veræ fidei etiam deſtitutis, certum fuit, *pejus eſſe injuriam facere, quàm pati:* præterquàm, quòd rideri, calumniis peti, &c. tantumdem ſit, atque laudari. Generoſus igitur animus has improborum ſannas pluris non facit, quàm auræ ſibilum: ampliùs cavens, injuriâ dignum ſe facere, quàm injuriam pati. *Glorioſiùs eſt*, inquit magnus Gregorius, *injuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare.*

II. Aliô inſuper mediô, quod modò citatus eccleſiæ doctor ſuggerit, fit ut injurias facilè toleremus: *ſi*, ſcilicet, *piè meminerimus, quòd fortaſſe adhuc ex nobis habeamus, in quo ipſi debeamus tolerari.* 5. Moral. Planè, quas DEO, & proximis injurias irrogamus, leves credimus: quas patimur, intolerabiles. Unde iſtud? inde utique, quòd cenſorem injuriarum agat *amor proprius*, ut nobis plùs æquô adblandiens: ſic aliis citra eorum demeritum rigidus. *Nos in DEI injuriis benigni ſumus, & in noſtris contumeliis exercemus odia.* S. Hieron. ſuper Matth.

III. Joannes Fernandez, S. Xaverii in Miſſione Apoſtolica ſocius, proximè acceſſit ad generoſam *Ubaldi* patientiam. Concionem habenti *Japonum* proſtigatior aliquis in faciem exſpuit. Quid Eccleſiaſtes? renidenti ore ſputum, atque unà terſit injuriam. Mactè, anime mi! aude paria. Magna parvulis hiſce victoriis merces in cœlo repoſita eſt: præterquam, quòd *patientia*

probè exercita redditura te denique ſit ferè inſenſibilem, & Chriſto multùm conformem: qui, *cùm pateretur, non comminabatur.* 1. Petr. 2.

XVII. MAII.

S. Paſchalis Baylon, Recollectus.

NE inter pecudes, quarum curam ſæcularis adhuc egerat, obbruteſceret *Paſchalis*, uti huic hominum generi perfacilè accidit: crebrò à cæteris paſtoribus ſecedens, integris quandóque diebus ſacris meditationibus, & ferventi ad DEUM oratione animum excoluit. Eô pietatis genere id promeritus, ut à Divo quopiam, oblato *S. Franciſci* habitu, juberetur illi ſe inſtituto aggregare. In quo tantum perfectioni ſtuduit, ut paucis abhinc annis *Alexandro*, nominis hujus octavo, Romano pontifici dignus fuerit viſus inſeri ſanctorum Syllabo. Verè *oratio ad omnia utilis!*

SENTENTIA.

NE deficias in oratione. DEUS quod conceſſurus eſt, etſi differt, non aufert: non levitate ducitur, non facilè de ſententia movetur, quod promiſit, eſt fixum, fallere non poteſt, habet unde faciat. *S. Auguſt. ſuper Pſ 65.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Amen dico vobis* (ſpondet æterna & infallibilis veritas) *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Dolendum ſanè, orationis ſtudium tam parùm nobis curæ eſſe,

eſſe, & vel ſæpiùs negligi, vel ſolis labiis deblaterari. Unde utique conſequitur id nobis evenire, quod Salvator aſſeruit: *petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Totâ animi contentione opus eſt, ut oratio ſuis ſit numeris abſoluta. *Orans conſiderare debet, quid petit, quem petit, ſe-ipſum qui petit.* S. Bernard.

II. Oratio frequens & fervida, etſi omnibus in univerſum; iis tamen primùm eſt neceſſaria, qui de ſtatu vitæ deliberant. Res hæc tanti eſt ponderis, ut communi aſcetarum judiciô debitè pertractata æternam felicitatem; perperam ſuſcepta æternum pariat exitium. O quot in abyſſo illa miſeriarum igneis deflent lacrymis ſuam in hoc puncto ſocordiam! quantos pœnituit ſtatum religioſum ſe neglexiſſe! quantos ex oppoſito, religionem fictô ſe animô ſuſcepiſſe, ac propterea damnatos eſſe, dum in ſæculo ſalvari poterant. Hoc in negotio *quidquid agis, prudenter agas, & reſpice finem.*

III. Magna & multa ſunt religionis onera, quæ æterna ſubſequentur commoda, ſi debitè fuerint portata. Quomodo verò id fiet, niſi totum hominem diſponat ſeria oratio. *Tu, qui in congregatione vivis, bene vive, ordinabiliter, ſociabiliter, & humiliter: ordinabiliter tibi: ſociabiliter proximo: humiliter Chriſto.* S. Bernard. En compendiariam religioſi obligationem! ad quam tamen explendam, ô quàm oratione opus! *apud DEUM oratione fulciatur operatio, & operatione oratio.* S. Gregor.

XVIII. MAII.

S. Ericus Sueciæ Rex.

TOtum mundum ſuo cupiiſſet ſceptro ſubditum *Ericus*: non quidem ambitionis vitio, ſed ſtudiô religionis, cujus impulſu eò viribus totis connitebatur, ut plures, plurésque populi ad Chriſti caſtra, ab idolorum ſervitute transfugerent. Pauperum ſortem adeò doluit, ut eorum pater audiret, talemque munificentiâ plusquam regiâ ſe probaret. Æſtum libidinis glacialibus undis reſtinxit, probè gnarus, nullum alium ignem illo peſtilentiùs ſerpere. Hoſtibus juſtò prælio fuſis, fugatisque, ſuis non rarò lacrymis parentavit, animarum jacturam altiùs, quàm corporum intrà animum expendens. Hoc demum eſt, regem eſſe.

SENTENTIA.

REges efficimur, ſi improbas, & abſurdas cogitationes in poteſtate tenere voluerimus. *S. Chryſoſt. Homil. 3. in 2. ad Corinth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FRuſtra aliis imperat, qui ſuis cupiditatibus ſervit. DEUS initiò hominem creans, ſic omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, ut ſubter illum quoque vellet eſſe appetitum illius. Regimen prorſus amplum eſt in tam promiſcua paſſionum turba, quarum unum opus reniti rationis dictamini. Multum præſtiterit, qui, adjuvante DEI gratiâ, illam in hoc ſuum regnum reinduxerit pacem, *quam mundus dare non poteſt.*

II. In-

II. Indignum regiâ majeſtate videri poterat, quòd pauperum ſordes tanti faceret *Ericus* Sueciæ Rex: verùm in hoc ipſo regiò ſe ſceptrô digniſſimum oſtendit, quòd nec minimum faſtui locum dederit. Emergimus aliquando aliorum potiùs ope, quàm noſtris conatibus è fœce vulgi: moxque alii à nobis ipſis evadimus, illorum cenſui nosmet inſerentes, qui ambulant *in mirabilibus ſuper ſe:* tumque evenit, quod communi fertur proverbiô: *honores mutant mores, rarò tamen in meliores.*

III. Plùs *Ericus* ſibi placuit in nivea puritatis ſtola, quàm in regali purpura. Hoc regium inſigne vel maximè infeſtant inimici carnis ſtimuli. *Benedictus* ut illud ſervaret integrum, in vepribus; *Franciſcus* in gelidiſſimis ſe nivibus volutàrunt. Iſti ſanè regio digni ſunt titulô, quem fruſtra tu tibi polliceris, ſi caro ſpiritui leges dictet. Utne igitur hic *diſordo* locum in te deinceps habeat, aureum Aurelii Auguſtini conſilium cape: *vis ut ſerviat caro tua animæ tuæ: DEO ſerviat anima tua. Debes regi, ut poſſis regere.* S. Auguſt. in Joan.

XIX. MAII.

S. Ivo Confeſſor.

GLoriosô ſibi titulo pauperum olim, viduarum, & pupillorum *pater* & *advocatus* audiit; hodie *cauſidicorum patronus.* Profundè animo inſcripſerat effatum regii vatis Pſ. 103. *Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore. Functionem* enim advocatiæ, quod *Surius* notat, *gratis in ſe recepit: & quæ facienda*

erant, benignè, amanter, & absque dilatione exequi conatus est: corporalibus interim pauperum indigentiis tam solicitè prospiciens, ut quotidie hospitiò eos excipere, pedibus lympham affundere, mensæ convivas adhibere, omni demum charitatis genere delinire studiosissimè satageret. Ad supremum tribunal citatus, causam suam tam bellè dixit, ut accusatores inferi ne hiscere quidem auderent. *Justitia rectorum liberabit eos: & insidiis suis capientur iniqui.*

SENTENTIA.

JUstitia est animi libertas, tribuens unicuique suam propriam dignitatem, majori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, DEO obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam. *S. Anselm. serm. cur DEUS homo.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CAusidicis, judicibus, advocatis, grandi voce acclamat DEUS: *diligite justitiam, qui judicatis terram,* Sap. 1. *Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.* Isa. 1. Textum hunc compendiò sic elucidat Oleaster: *quærite quod justum est in operibus vestris: aut disquirite cujus sit litigantium justa causa, quæ injusta: quia inferiùs dicitur: quærebant munera potiùs, quàm judicium justum, præcipit Dominus justitiam quærere.* Sapienti satis.

II. S.

II. S. Auguſtinus indubitanter aſſerit, eos peccata peccatis cumulare, quibus conſuetudinarium eſt, pecuniæ amore leges vendere, corrumpere jura, ſententias ipſas venum exponere: caulas demum iniquiſſimas cauſis aliis apparentibus fulcire. Optimè & veriſſimè Ammianus: *cùm rectè procedunt judicia, delubra ſunt æquitatis: cùm depravata; foveæ fallaces & cæcæ, in quas ſi captus ceciderit quispiam, nonniſi poſt multa exiliet luſtra, ad ipſas usque medullas exſuctus.* O quàm procul fuit ab his vitiis *Ivo* juriſperitus, cujus unum fuit ſtudium, diſcernere *verum à falſo.*

III. Quòd cauſas miſerabilium perſonarum tam ſincerè diſcuteret *Ivo*, tam amanter defenderet, meruit apud divinum tribunal, ne causâ caderet. Quid te aliquando fiet, cùm *juſtitias* etiam *tuas* ventilabit æquiſſimus judex? *actoris* contra te partes ſuſcipient diſtricta numinis juſtitia, & læſa tua conſcientia: petetque inſtanter *apparitor ſtygius*, ut ei tradaris. Quid ad hæc evitanda conſilii? Chriſtum tibi quære *Advocatum*, de quo Bernardus: *mihi poſtulat, qui meam adhoc induit formam, ut ſuſcipiat cauſam.* in Cant.

XX. MAII.

S. Bernardinus Senenſis.

NEmo ingenuus ad inſignem contumeliam ſic unquam erubuit, ut *Bernardinus* ad verba *venerem* olentia: quæ, etſi juvenis, inſigni tamen alapa in viro quodam tempore caſtigavit. Fœminæ nullius memoriam, præter illius, quæ inter fœminas benedicta, in animo radicari paſſus, quòd

quòd probè noſſet, ejusmodi idola non alteri loco minus quadrare, quàm templo per ſolemnia religionis vota DEO ſacrato. *Penſum Marianum* eâ mentis recollectione percurrit, ut ſibi aſſidentem ſpectare mereretur ipſam DEIparentem. De ſalutifero porrò JESU nomine quoties occaſio favit, tam ardenter diſſeruit, ut illud lucidiſſimo charactere expreſſum ſacro dicentis vertici non ſemel incumberet. Utique ex abundantia cordis proceſſerint hæc ſermonum modeſtia, hic geſtuum decor, hæc devotionis ſinceritas.

SENTENTIA.

UNus eſt qui loquitur, & unum tantum verbum profert; & tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit. *S. Bern. ſerm. 24. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PRopheta regius illota *turpiloquorum* ora *ſepulchro patenti*; Guilielmus Peraldus verba obſcœna *diaboli ſputis* comparavit. Uterque bene. Nec enim candidis mentibus aliud tam exitiale, quàm hæc verborum ſcurrilitas. *Petrum* ſermo nativus *Galilæum* prodidit. *Turpiloquos* hi ructus olidi dæmonis ipſius ciniflones probant. Sæpe quem ſuggeſtiones peſſimæ non vicerunt: in lapſum proturbârunt laſcivientium colloquia.

II. Modiciſſima ſcintilla ſtupæ fortuitò illapſa ſerpere non deſinit, quousque feſtinô ambitu totam

tam inflammet. Idem prorſus in innocentûm animis agunt maleferiatorum colloquia. Furtivè primùm ſe inſinuant, ac initiò velut neglecta jacent. Ubi tamen incautus animus ad eadem periculosâ reflexione recurrit: peſtem ſuam tamdiu exerunt, dum animô ſibi in illis complacente, tota puritatis ſinceritas in evanidum impudicitiæ fumum abeat. Sic ſcilicet non *oculus* tantùm: verùm & *auris*, & *lingua* plurimorum deprædantur animas.

III. Non igitur mirum (etſi *turpiloquis* planè mirum) totam *Bernardini* converſationem aliud ſanè non fuiſſe, quàm *ſcholam honeſtatis*. Qui enim aliud ore proderet, quàm quod virgineô geſſerat animo? ad hoc verò multùm contulit vivum *DEIparæ* exemplum, cujus labia, dum viveret, nunquam non diſtillârunt *myrrham primam*, ſermonis puriſſimi. *Tanta fuit gratia labiorum in MARIA, ut ipſa optimè per Judith ſignari poſſit, de qua dicitur: non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum.* S. Bonavent. in Spec.

XXI. MAII.

S. Godricus Eremita.

FAmâ ſanctitatis eximiæ, & vitæ ultra morem cæterorum mortalium rigidæ, quibus mirè orbi inclaruerat *Godricus*, virum quempiam religioſum ſuo è clauſtro tantiſper exciit, ut conventum eremitam ſollicitè rogaret, breve tam exemplaris vitæ compendium in calamum dictare non gravaretur, quò id poſteris ad imitationem, &

pro-

propagandam inde DEI gloriam, transmitti cum fructu posset. Annuit anachoreta, & hoc, inquit, scribe: *Godricus olim fœnerator, infamis, perjurus, falsarius, fraudator, sycophanta, belluo, & vagus agricola fuit. Nunc est obtritus pulex, canis putidus, superbus, intolerabilis, indignus, quem terra ferat. Hanc vitæ epitomen cape.* Idemne seriò de te dicere, & ab aliis dici sustineres?

SENTENTIA.

NEmo putet nullius negotii rem esse, facilè effici posse, ut quis animô humili, atque demissô sit. Imò contra nihil ex omnibus, quæcúnque per virtutem aguntur & exercentut, æquè laboriosium & operosum, atque ejusmodi res est. *S. Gregor. Nyssenus orat. de 8. beatit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. RArum omnino est, tantos in humilitatis studio feciſſe progressus, ut non à seipso tantùm, verùm ab aliis despici volupe cadat. Dicat aliquis cum Davide: *ego sum vermis & non homo*: vocitet se cum eodem *canem mortuum, & pulicem unum.* 1. Reg. 24. plus tamen præstiterit, si cum S. Paulo veraciter dicere audeat: *maledicimur, & benedicimus:* adeò solemne nobis est, maledictis maledicta reddere. Vitium hoc est amoris proprii, cujus impulsu humiles videri, quàm esse malumus. Verùm, audi,

quàm

quàm alius ſit veræ humilitatis ſtylus: *non reputes aliquid te profeciſſe, niſi omnibus inferiorem te judices.* Thom. Kemp.

II. Excelluêre in hac humilitatis virtute, cum DEIpara, *humilitatis magiſtra*, ſanctorum plures. S. Patriarchæ *Norberto* non potuit aliud obtingere gratiùs, quàm, dum Archiepiſcopus *Magdeburgum* nudipes ingrederetur, à palatii janitore ſannis excipi, vile mendicabulum credi, vix non fuſte abigi. *S. Xaverius*, alterius orbis ſervator, in ſuis epiſtolis ſæpiùs *hominem nequam* ſe nominat. Et ſupercilium ſuperbè tollat, quem penes nec umbra eſt ſanctitatis?

III. Ipſum hoc pridem deploravit S. Bernardus: *multi*, inquiens, *honorari appetunt in ſchola humilitatis.* ſerm. 1. ſup. Miſſus. ordine utique præpoſterô. Qui ad auſterius verbum ſe torquent, & humiles tamen videri volunt, *hypocritæ* ſunt, illi valde ſimiles, qui ſe in *angelum lucis* transfigurat, ſanctitatem foris ſimulat, nequitiam intus fovet. *Perfacilè eſt veſtem contemptam habere: ſed verum humilem patientia oſtendit injuriæ.* S. Auguſt.

XXII. MAII.

S. Baſiliſcus Martyr.

ALterius conſtantiâ nutare *Baſiliſcus* deſiit, militiæ aliquamdiu ſub *Maximiano* auctoratus. Cùm fortè præſens ſpectâſſet pugnam, quâ *Theodorus* cognatus orthodoxam Chriſti fidem ad ſanguinis usque, & vitæ diſpendium propugnârat: rei inſolentiâ attonitus, ſic ratiocinari ſecum occepit: ergòne in tam ancipiti tot bellorum alea

non

non pigeat, ad captandam imperatoris gratiam, heû quam modicam! ultima adire discrimina, excipere vulnera, sanguinem, cum hoc spiritu, furori hostium devovere? pro Christo verò, & æternis in cœlo præmiis durum sit vel unius, & momentanei non rarò supplicii acerbitatem quantulamcúnque experiri? non sic imposterum erit. Cognato sanguini meus, volo, misceatur, ut Christô potiar. Sic dixit, sic egit. Ferreas indutus crepidas, clavis ignitis probè armatas, & capite demum minutus, ad glorioſi certaminis metam alacer procurrit. *Verba movent, exempla trahunt.*

SENTENTIA.

SErmo vivus, & efficax, exemplum operis est. *S. Bern. serm. 56.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. BEne S. Chrysost. Hom. 4. in 2. ad Timoth. *multùm profectò confert ad irritamenta virtutum, magistrum luctantem indesinenter aspicere.* Hâc viâ sancti quique pertigêre ad bravium: dum oculos identidem reflecterent *in auctorem fidei & consummatorem Christum, qui,* vivô mortalibus exemplô, *sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Hebr. 12. v. 2.

II. His tamen temporibus, quibus multorum refrixit charitas, neglecta frequentiùs jacent hæc virtutum exempla. Curritur in incertum, & plurimis potiùs placet perire cum plurimis, quàm salvari cum paucis. Vitia aliorum facillimè animis

mis ſeſe inſinuant, virtutes non item. Multa his plerumque difficultas affingitur, ut pretium detrahatur: ſicque *exempli* luce poſthabitâ, magis diligunt homines *opera tenebrarum*, ſcelera videlicet, quæ aliquando cum; ſæpe ſine exemplo perdiſcuntur.

III. Quotusquisque deinde eſt, qui *baſiliſci* exemplô tantum amore DEI, quantum proprii commodi agere & pati velit? mundi pullis, ſordidæ carnis, & divitiarum mancipiis, nulla pericula tam gravia, nec labores tam diuturni, nullæ moleſtiæ tam acres, quibus pares non ſint, & quas non velut per ludum vincant. DEI verò causâ vel ad momentum fatigari, durum admodum eſt, & penitùs inſuetum. *Pro modica præbenda longâ viâ curritur, & pro æterna vita à multis vix pes ſemel à terra levatur. Pro bono incommutabili, pro præmio inæſtimabili, pro gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur.* Thom. Kemp. L. 3. de Imitat. c. 3.

XXIII. MAII.

B. Wipertus Epiſcopus. Ord. Præmonſtratenſis.

RAſeburgenſis eccleſia, paſtore viduata, aliquamdiu luxerat ſuam orbitatem, cùm ſedis ejusdem canonici, imò communia populi ſtudia eò collimârunt, ut demortuo ſufficeretur *Wipertus Blucherius*, Canonicus Præmonſtratenſis, non multæ quidem ætatis, adultæ tamen virtutis, & raræ pietatis. Dignitatem ergò admiſit, quam ſubterfugere nequiit. Summus tamen pontifex, quòd id muneris minorenni collatum eſſet, ele-

ctioni acquiescere noluit: quam persuasionem, atque unà ætatis tarditatem ut corrigeret DEUS, naturæ auctor, immissâ *Wiperto* unius noctis spatio prodigiosâ canitie, palam ostendit virtuti penitus maturæ, in ætate etiam immatura, suum deberi pretium: nèque *Wipertum* sibimet assumpsisse honorem, sed vocatum desuper, sicut *Aaronem.*

SENTENTIA.

EUm, qui regendos alios suscipit, tantâ decet gloriâ virtutis excellere, ut instar solis cœteros veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret. *S. Chrysost. Homil. 10. in 1. ad Timoth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. HOnores & celsitudines graduum ecclesiasticorum, *ipsis etiam angelicis humeris* formidandos esse, sensit D. Bernardus, serm. 2. de Ascens. Et tamen non desunt, qui omnem movent lapidem, ut hæc in se suscipiant onera: quanquam onera non videantur nudam dignitatem pensantibus. Credunt nimirum, ecclesiæ Prælatum vix aliud esse, quàm, *pinguissimos possidere redditus: superbè vestiri, & epulari quotidie splendidè.* Ex hoc errore quid mirum, sequi innumeros alios: cumque illis hunc facilè capitalem, quòd cœco pastore cœcis ovibus ducatum præstante, & istæ, & ille in foveam cadant?

II. *Ætas conveniens, probitas morum, scientia non vulgaris*, si deficiant in illo, cui citra maturam meriti æstimationem dignitas ecclesiastica ob-

obtigit: malè proſpectum erit quam gregi, tam paſtori. Deerit modò lingua ad differendum: jam oculus ad videndum: jam rationis maturitas ad diſcernendum in caſibus & cauſis, in quibus non *de aſini umbra* agitur, ſed de æterna ſalute. Vide modô, num jure ſuccenſeas S. Juliano M. qui, teſte S. Hieronymô L. 1. contra Pelag. dicere conſuevit: *aut nullum eſſe, aut rarum eſſe Epiſcopum, qui omnia ad tantum ordinem requiſita habeat.*

III. *Dignitas* ergo *in indigno* (inquit S. Salvianus) *ornamentum eſt in luto.* Non dubium, plures hodieque SS. dicturos quod ille: *ſi fuiſſemus de numero Prælatorum, eſſemus de numero damnatorum.* Felix igitur, qui vel latuit: vel ſic vixit, ut cum Paulo ſperare poſſit, repoſitam ſibi *coronam juſtitiæ.*

XXIV. MAII.

S. *Simeon Stylites.*

PUer ſexennis acutè obſervavit, mundum fallaciis, & dolis ſcatere: quibus ut cautè ſe ſubduceret, jam tum vaſtiſſimam eremum ingreſſus, DEO ſolitarius vivere, quàm denſiſſimæ pereuntium turbæ immiſceri maluit. Annos natus duodecim cœnobium adiit, monachum induit: utrùmque tam deliberate, tam conſtanter, ut ad columnam denique magiſtri ſui exemplô invitatus, ſtaret corpore, & animô rectiſſimus, ipſe columnæ quàm homini ſimilior, quia in cœpto ſemel perfectionis obtinendæ propoſito totus immobi-

bilis. Sta: ſed circumſpectè, nunquam ſic tui ſecurus, quin caſum metuas.

SENTENTIA.

O Infelicitas generis humani! amarus eſt mundus, & diligitur: putas ſi dulcis eſſet, quomodo amaretur? turbatur, & tamen amatur; quid ſi tranquillus eſſet? flores mundi quomodo colligeres, qui à ſpinis non revocas manum? *S. Auguſtinus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DIſplicuit *Simeoni* vafer mundi genius, eos perſequi ſolitus, quos amare debuerat. Chriſtus, divi cœlites, quorum precibus ſervatur mundus, hujus odia & deſpectus plurimùm ſunt experti. Æquum ergo eſt in vicem illum contemni & deſpui. *Cùm mundus oderit chriſtianum, quid amas eum qui te odit?* S. Cyprian.

II. Odîſſe verò mundum, eſt, dolofis ejusdem amplexibus maturè ſe extricâſſe, & cum *Simeone* in ſanctæ religionis ſinum convalâſſe. *Vivitur* hîc *puriùs*, remotis mille periculis, quibus mundus ſcatet. *Quis* enim *non infirmatur in carne? quis non ſordeſcit in pulvere?* S. Leo, ſerm. 11. in Quadrag. Pulverem hunc ut plurimùm inſpergit ſæcularis converſatio: tamqun pertinaciter aliquando, ut (accedentibus præſertim ſequioribus exemplis) excuti difficillimè poſſit. *O nimis iniqua amicitia, ſeductio mentis! ſed, cùm dicitur: eamus,*

eamus, faciamus : pudet non esse impudentem. S. Augustt. L. 2. Confes. c. 8.

III. *Simeon* columnæ firmus institit. Neque hoc mirum. *In religione* enim *cadit homo rariùs.* Et, si cadat aliquando (neque enim apostolicum etiam collegium hâc fragilitate caruit) *surgit* tamen *citiùs*, erectus proborum precibus & exemplis. Neque verò fieri potest, ut ex hæreditario conditionis suæ malo prolapsus, non surgat, ubi ad surgendum *superiores* extimulant, & mora jacendi non permittitur. Indubium igitur, tantas esse in *religione* gratias, ut jure dixerit *Ægidius*, *Francisci seraphici* comes: malle se *unum gratiæ gradum in religione*, *quàm decem in sæculo.* Hiero. Platus de bono statûs Relig. l. 1. c. ult.

XXV. MAII.

S. *Maria Magdalena de Pazzis*, *Carmelitana.*

QUàm omnibus suis actionibus nobilissimum finem præfixerit *Magdalena*, compendiò testatur sublimis illa protestatio, quâ aliquando dixerat: *ego, si vocem unam aliò fine, quàm pro DEI amore proferendo, etsi illa nihil in se noxæ haberet, essem in gloria supra Seraphinos extollenda, illam tamen eloqui nollem.* Quindecim ante obitum diebus ingenuè profitebatur, nunquam hactenus capere se potuisse, quî mortalium aliquis frontis esset tam perfrictæ, ut vel unicô lethali peccatô DEUM optimum lacessere non vereretur. Vitæ illius tenor palam ostendit, verba hujusmodi non in primis labiis enata. Amoris enim divini æstu frequenter adeo succensa fuerat, ut aliud quàm

corde, tam ore non volveret: quàm, *ô Amor! ô Amor*! heu! quàm diſpar mundi genius! quàm longè alius agendi modus *hominis animalis*!

SENTENTIA.

O Quàm bonum eſt non vivere, niſi DEO: non operari, niſi propter DEUM: non delectari, niſi in DEO! ſi vel pilum affectûs in me deprehenderem, qui vel à DEO non oriretur, vel ad DEUM non referetur, eum quantociùs evellerem. *S. Franciſcus Saleſ. in Reliq. & praxi ſpirit. part. 4. c. 13.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. AXioma vulgare eſt: *cujus finis bonus, ipſum bonum: cujus malus, ipſum malum.* Magna mortalium pars ſub vitæ poſtremam periodum occinet ſibi illud diſcipulorum: *per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Luc. 5. utique ex defectu bonæ intentionis, quam, ſi quis ſibi faceret familiarem, experiretur, etiam contra receptiſſimum illud, *ex nihilo*, non nihil, ſed *aliquid* fieri: opera ſcilicet *adiaphora* quoque, intentione bonâ animata fieri bona.

II. Et ſanè praxis bonæ intentionis non aliis ſic eſt inſueta, uti iis, quibus præſtantia *meriti* minimè eſt cognita. Pudeat chriſtianum (magis hominem DEO ſacrum) in hoc puncto vinci iterum à *filiis ſæculi*, quibus in ſua commoda tam pervigil oculus, ut nec minimam modiciſſimi etiam quæſtûs occaſionem præterlabi ſinant: dum interim

rim pro lucro ſpirituali à plurimis minimô minùs agitur. S. Thomas Aquin. poſt mortem cuidam aſpectabilis, lucidiſſimâ ſidere pectori inſertô, *ſtellam* illam *bonâ intentione* meruiſſe ſe aſſeruit. *Surius.* Quid apud nos? *nox, & tenebræ, & nubila.*

III. Sinceriſſimus DEI amor, & conſtans ultimi finis memoria *Magdalenam* vel nudâ peccati umbrâ terreri fecerunt. Nunquam non recole debitum, quô DEO obſtringeris. Hoc enim tantundem eſt, ac, meminiſſe *finis* tui, *qui* tibi præfius eſt: & *cui* poſſidendo totum te impendere debes. Experire dictorum vim, chara anima! propediem exclamabis cum diva noſtra: *ô Amor! ô Amor! ô Amor!* & cum Auguſtino: *charitas, DEUS meus, accende me!*

XXVI. MAII.

S. Philippus Nerius, Auctor Congregationis Oratorii.

PUeritiam innocentiſſimè decurrit, jam tum virtutum candidatus non ignobilis. Adultior, tantô *Amoris Divini* æſtu frequenter incaluit, ut fragile corpus iis ignibus ferè impar, ſæpiùs exclamare illum cogeret: *ſatis eſt, Domine!* Cor ejus tanquam locum incoleret explicando amori ſuo nimis anguſtum, prodigiô ab omnibus retrò ſæculis inauditô, geminas coſtas locô movit. Hyeme frigidiſſimâ non algere ille, ut cæteri mortalium, ſed internis incendiis in exteriora ſe effundentibus, non rarò ſic æſtuare viſus eſt, ut refrigerantia eidem adhiberi neceſſe eſſet. Tuâ uti-

que ſponte fateberis, vix unam adhuc amoris iſtiusmodi ſcintillam hactenus in te reſplenduiſſe.

SENTENTIA.

NEquaquam id ulli ſpondeo, quod poſſit cujuslibet rei firmum habere præſidium, qui aliquid plus amaverit, quàm DEUM. *S. Salvianus l. 3. contr. Avar.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. M*Agna res eſt Amor*, inquit Thom. Kemp. de Imit. L. 3. c. 6. *magnum omninò bonum.* Res planè magna: bonum grande, iis maximè notum, quibus hoc Amoris exercitium familiare. Impellit ad opera magna, atque ad apicem perfectionis amantem provehit. Rebus ſe indignis tam non tenetur, ut illas ultro obtruſas quâcunque viâ fugiat, ſpernat, negligat. Unum DEUM ut ſcopum ſibi præfigit, in quem totô ſuô conatu collimat, cætera *detrimentum* faciens, & arbitrans *ut ſtercora.*

II. *Philippus Nerius* amori velut innatans, novit probè ſenſum vocum iſtarum: *DEUS meus, Amor meus: tu totus meus, ego tuus.* Non amant ſincerè, niſi quorum cor DEI gratiâ dilatatur. Anguſtum hunc locum curæ & ſollicitudines terrenæ, affectiones inſuper inordinatæ tantum frequenter occupant, ut *divino Amori* locu reliquus non ſit. Utinam iſtius vis diſſolvat has *colligationes impietatis!*

III. *Philippus Nerius* & flagrantiſſimæ charitatis

tatis fuit, & fragrantiſſimæ virtutis. Hujus odorem bonum ardenter adeò deperiit, ut defectum in ſceleratis, *impuris* præſertim, odoratu prodigioſò ſtatim notaret. Hinc aliquando illæ voces ad proſtituti pudoris adoleſcentem ſecretò factæ: *malè oles, fili mi!* mirum *Amoris* ingenium: ſimilitudinem appetit, &, niſi hâc habitâ, non quieſcit. *Da amantem*, inquit Auguſtinus, *& ſcit quid loquor.* Amoris defectus nunquam citiùs, quàm *ab amante* deprehenditur. Si *minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat quod non propter te amat:* quomodo te amat, qui id amat, quod tu odiſti?

XXVII. MAII.

Venerabilis Beda, Presbyter.

SEptennis puerulus in monaſterio SS. Petri & Pauli in Anglia litterarum ſtudia orſus, conatu indefeſſo, & ſancta intentione, quàm litterario labori præmittere nunquam non ſolebat, eam adeptus eſt doctrinam, ut ejus ſcripta hodiéque ſuſpiciat, & pro meritis æſtimet Eccleſia Romano-Catholica; ut olim æſtimavit *Sergius* Pontifex, in arduis Eccleſiæ rebus *Bedæ* operâ multùm uſus. Ardentiſſimum orationis ſtudium occupationi literariæ ſic intermiſcuit, ut alterum alteri robur adderet. Moribus cœterà tam comis, converſatione tam religioſus, ut *Venerabilis* nomen illi obtigerit. Die aſcenſioni dominicæ ſacro, cilicio jucubans, dudum terreſtrium ſatur & ipſe cœlos aſcendit, dignus qui æternùm fulgeat ut ſplendor

firmamenti, & ut ſtellæ in perpetuas æternitates, quod doctus fuerit, & ad juſtitiam erudierit multos.

SENTENTIA.

SI ad humana perdiſcenda tota hominis brevis eſt vita: quod tempus ſufficere credimus ad intelligentiam poſſe divinam? *S. Chryſologus ſerm. 112.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. STudium litterarum res eſt magni pretii & fructûs, ſi non deſit *timor Domini*, *initium ſapientiæ:* ſecus enim res vana eſt, & dani, quàm lucri, feracior. *Si ſcires totam Bibliam, & omnium philoſophorum dicta: quid totum prodeſſet ſine charitate & gratia?* Thom. Kemp. L. 1. de Imit. c. 1. *Surgunt* non rarò *indocti, & cœlum rapiunt*: alii cum doctrinis ſuis tamdiu hîc volutantur in carne & ſanguine, dum tandem in æternas devoluti miſerias, ampliùs non reſurgant.

II. Ludum aperuit divina Sapientia, quæ *intellectum dat parvulis, & linguas infantium facit eſſe diſertas*, quando per os unigeniti Filii DEI totum ſcientiæ ſanctioris arcanum pauciſſimis illis explicuit: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Defuerunt olim *ſcientiis profanis* hæc *Rudimenta*: indeque minor etiam hodie illarum æſtimatio. Hæc verò Chriſti doctrina non tam in magiſtrorum pulpitis traditur, quàm in abdito illo animæ, ſoli DEO vacantis, receſſu. *Ex-*

per-

perto crede, aliquid amplius invenies in ſilvis, quàm in angulis: ligna, & lapides docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis. S. Bern.

III. Qui hâc *ſanctorum ſcientiâ* probè fuerit excultus, etiam in aliis magnos citò faciet progreſſus. Docebitur illius *ſcientiæ* legibus harum uſum & finem. Jubebit deinde *charitas*, ut quæ quis *ſine fictione*, didicit, *ſine invidia* communicet. Suadebit verò *æquitas*, ut ſi cum imperio docere velit, priùs agat, quàm dicat. Non adeò inter ſe diſcordant *lux & tenebræ*, uti vita vilis & ſcientia inſignis. *Nulla res diſcipulo tam pernitioſa, quàm vita magiſtri contumelioſa.* Severinus Boenthius.

XXVIII. MAII.

S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis.

DIvinæ providentiæ vitam debuit, quam mater noverca dici debuerat) potionibus peſtiferis adhuc intrà uterum latenti, & violentâ compreſſione: avia venenô præſentiſſimô perſummum ſcelus extorquere ſategerant. Virtuti à tenerisſic fuit addictus, ut jam decimo quinto ætatis anno functionibus eccleſiaſticis cum fructu obeundis par creditus, paulo poſt Cœnobio *S. Symphoriani* Abbas præficeretur: denique divino oraculo *Pariſienſium* Epiſcopus eſſet, in eâ etiam dignitate ſanctiſſimam vitam ageret, miraculis in vita, & morte clariſſimus: cujus mortis memoriam ſic familiarem ſibi habuit, ut obitûs diem divinitùs prænuntiatum ſpondæ lectuli adſcriberet.

Mul-

firmamenti, & ut ſtellæ in perpetuas æternitates, quod doctus fuerit, & ad juſtitiam erudierit multos.

SENTENTIA.

SI ad humana perdiſcenda tota hominis brevis eſt vita: quod tempus ſufficere credimus ad intelligentiam poſſe divinam? *S. Chryſologus ſerm. 112.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. STudium litterarum res eſt magni pretii & fructûs, ſi non deſit *timor Domini*, *initium ſapientiæ:* ſecus enim res vana eſt, & dani, quàm lucri, feracior. *Si ſcires totam Bibliam, & omnium philoſophorum dicta: quid totum prodeſſet ſine charitate & gratia?* Thom. Kemp. L. 1. de Imit. c. 1. *Surgunt* non rarò *indocti, & cœlum rapiunt*: alii cum doctrinis ſuis tamdiu hîc volutantur in carne & ſanguine, dum tandem in æternas devoluti miſerias, ampliùs non reſurgant.

II. Ludum aperuit divina Sapientia, quæ *intellectum dat parvulis, & linguas infantium facit eſſe diſertas*, quando per os unigeniti Filii DEI totum ſcientiæ ſanctioris arcanum pauciſſimis illis explicuit: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Defuerunt olim *ſcientiis profanis* hæc *Rudimenta*: indeque minor etiam hodie illarum æſtimatio. Hæc verò Chriſti doctrina non tam in magiſtrorum pulpitis traditur, quàm in abdito illo animæ, ſoli DEO vacantis, receſſu. *Ex-*

per-

perto crede, aliquid amplius invenies in ſilvis, quàm in angulis: ligna, & lapides docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis. S. Bern.

III. Qui hâc *ſanctorum ſcientiâ* probè fuerit excultus, etiam in aliis magnos citò faciet progreſſus. Docebitur illius *ſcientiæ* legibus harum uſum & finem. Jubebit deinde *charitas*, ut quæ quis *ſine fictione*, didicit, *ſine invidia* communicet. Suadebit verò *æquitas*, ut ſi cum imperio docere velit, priùs agat, quàm dicat. Non adeò inter ſe diſcordant *lux & tenebræ*, uti vita vilis & ſcientia inſignis. *Nulla res diſcipulo tam pernitioſa, quàm vita magiſtri contumelioſa.* Severinus Boenthius.

XXVIII. MAII.

S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis.

DIvinæ providentiæ vitam debuit, quam mater noverca dici debuerat) potionibus peſtiferis adhuc intrà uterum latenti, & violentâ compreſſione: avia venenô præſentiſſimô perſummum ſcelus extorquere ſategerant. Virtuti à teneriſic fuit addictus, ut jam decimo quinto ætatis anno functionibus eccleſiaſticis cum fructu obeundis par creditus, paulo poſt Cœnobio *S. Symphoriani* Abbas præficeretur: denique divino oraculo *Pariſienſium* Epiſcopus eſſet, in eâ etiam dignitate ſanctiſſimam vitam ageret, miraculis in vita, & morte clariſſimus: cujus mortis memoriam ſic familiarem ſibi habuit, ut obitûs diem divinitùs prænuntiatum ſpondæ lectuli adſcriberet.

Mul-

Multùm proficiet in via virtutis, qui fatalis horæ memoriam profundè animô concipit.

SENTENTIA.

MOrtis diem omnes affuturum ſcimus, & tamen omnes, aut penè omnes differre conamur, etiam qui poſt mortem ſe beatiùs credunt eſſe victuros. Tantam habet vim, carnis & animæ dulce conſortium. *S. Aug. de Gratiâ novi teſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *TAntis malis vita hæc repleta eſt*, inquit Ambroſius, *ut comparatione ſui mors remedium putetur eſſe, non pœna.* Expertus hoc eſt *Germanus*, morti victima (ni DEUS avertiſſet) deſtinatus antea, quàm lucem aſpiceret. In vita verò iis calamitatibus exercitus paſſim eſt ab omni ferè hominum genere: ut, niſi lucrum ſpectare maluiſſet miſeriæ tam multiplicis, jure petiturus fuiſſet animæ ſuæ ut moreretur. Malè fallitur, quisquis laboribus hujus ſæculi ſic terretur, ut hîc, quàm ibi *requie* frui malit.

II. Multùm *Germano* profuit, *mortis* aſſiduò meminiſſe. Habet enim *mors* ſolicitè cogitata, quòd quantumcunque deviantes injectô velut frœnô in virtutis tramitem reducat: & exerrandi facilitatem corrigat. Oblivio conditionis noſtræ & futuri aliquando judicii, via ſunt, quâ in præceps abeunt, qui dicunt in corde ſuo: *non eſt DEUS.*

Qui

Digitized by Google

Qui verò *confiderat qualis erit in morte, ſemper pavidus erit in operatione: atque inde in oculis ſui Conditoris vivet.* S. Greg. 12. Moral.

III. Quibusdam amicorum ſuorum mortis horam aliquando revelavit DEUS: aliis eandem occultam voluit: utrumque juſtiſſimè, & ex æternæ *ſapientiæ* legibus. Multi ſcelerum ſordibus aſſueti, ſi nôſſent certò, vitam in ſeros ſibi prorogandam: ad ultimum ferè punctum ſordeſcere adhuc non vererentur, cùm ex oppoſito finis incertitudinis hujus longè ſit alius. *Ad hoc conditor noſter latere nos voluit finem noſtrum, ut, dum ſemper ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur.* S. Gregor. l. c.

XXIX. MAII.

S. Theodoſia Martyr.

RElegionem orthodoxam adhuc gentilis in filio proprio ſic odit, ut materni affectûs oblita penitus, ea propter apud judicem illum deferret, inque vincula conjici obtineret, ſuis etiam manibus neci datura, ſi præſes juſiſſet. Verùm aliter DEO viſum. *Theodoſia* enim curioſitate, fœminis cognatâ, laborans, cum carceres adiret, exploratura quî filius; quî matronæ duodecim, fidei quòque causâ detentæ ſe gererent, adeo momento immutatam animô ſe ſenſit, ut jam vileſcerent caduca omnia, néque aliud collubeſceret, quàm amore Crucifixi, cujus ancillam palam ſe edixerat, ſanguinem, & vitam ponere, quod & cupienti obtigit. Vocat DEUS quos vult, & quomodo vult.

vult. Tu mirabilem ejus providentiam adorans, vocanti morem gere, trahenti non reluctare.

SENTENTIA.

DEUS omnibus ad trahendum manum porrigit, quantum in se est: & quod plus est, non solùm attrahit manum recipientis, sed etiam aversos ad se convertit. S. *Thom. in c. 6. Joan.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VErè *incomprehensibilia sunt judicia DEI, & investigabiles viæ illius.* Educit quos vult *de tenebris in admirabile lumen suum:* alios errare in finem permittit: utrumque occultô quidem, justissimô tamen judiciô. Actum fuisset de salute *Theodosiæ*, nisi radius desuper illapsus, monstrâsset, extra unius *veri numinis* cultum, viam ad salutem reliquam non esse. Reverere, anime mi, devotissimô affectu hæc non vestigabilia DEI consilia, & dic: *magna & mirabilia sunt opera tua Domine DEUS omnipotens: justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.* Apocal. 15.

II. Plurimùm *Theodosiæ* profuit inspirationibus divinis citò se dedidisse: secus eidem accidisset uti sponsæ in *Canticis*: quæ cùm ad repetitam sponsi compellationem usque & usque tamen in lectulo tricaretur: ille cruditatem hanc severè castigaturus, *declinaverat, atque transierat.* Et hoc demum supplicium illud est, quô *animæ ne-*

gli-

gligenti in vita hac majus infligi non poteſt. Meritò tamen ſic fit: nam, *punitione gravi dignus eſt, qui ſæpiùs DEI gratiam contempſit.* S. Greg. Homil. 37. in Evang.

III. *DEUS cui vult miſeretur, & quem vult indurat.* ad Rom. 9. neque tamen deſerit, niſi deſertus. Quid, quòd Auguſtinô teſte, Epiſt. 106. *gratia divina etiam reluctantibus datur?* Comendant iſta uti ſummam ejusdem in nos liberalitatem: ſic quoque damnant ſupinam noſtram erga eundem ingratitudinem, quâ vocantem, & in auxilium noſtrum manus extendentem, tamdiu deſpicimus, dum denique dicat: *in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo.*

XXX. MAII.

S. Gaultericus Abbas.

INdignè admodùm tulit, nec immeritò, ſacrâ palmarum Dominicâ, quâ patientis noſtri Servatoris hebdomas incipit, fœminam, quæ ejus concioni intererat, veſtitu immodicô nimiùm ſuperbire: levem ergo redarguit, ſed petulanter deriſus, ultionem divinam pervicaci denuntiavit: & ore, ut patuit, fatidicô. Proterva enim veneris puppa à maligno dæmone inſeſſa, & fœdè diſcruciata, ipsô reſurgentis Domini die ad beati Abbatis tumulum, qui biduo ante vitá exceſſerat, perducta, vix denique multis precibus ab infauſto hoſpite liberari potuit. Latuit fortè miſeram veriſſimum juſtini effatum: *non veſtis, ſed pudicitia, vera matronarum ornamenta.* l. 20.

SEN-

SENTENTIA.

QUod pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur: quia nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui, ubi ab aliis non poſſit videri. *S. Greg. in homil.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. EVangelicus Epulo ſuum indubiè ſatis auxerit ſupplicium, quòd indueretur *purpurâ* & *byſſô*, Lazarô interim ſeminudô & ſeminece foribus accubante. Multos aliquando ruina ejusmodi involvet, qui veſtitu cùm ſcandalosô, tum ſuperfluô ſuis & aliorum conſcientiis præcipitia parant. O quàm ægrè audient: *diſcedite à me maledicti!* &c. *nudus* enim *fui*, *& non cooperuiſtis me.* S. Thomas Villanovanus novô thorace ſe veſtiturus, còm à ſartore quatuor aureis æſtimari illum audiret: *apage te*, inquiit: *hôc ego argentô totum pauperem; imò totum Chriſtum induiſſem.*

II. Hæc pia reflexio, *latitare aliquando Chriſtum ſub detritis pauperum centonibus*, plurimos inſignem erga hos docuit liberalitatem. Æmulati enim ſunt vel *Martinum Turonenſem*, vel *Margaritam*, Philippi III. Hiſpaniarum Regis lectiſſimam conjugem, pretioſiora ſua pauperibus elargitos. Acris eſt querela S. Joannis Chryſoſtomi: *nos ingrati ſervis quidem, & equis, & mulis torques aureos circumponentes, Dominum nudum cir-*

circumeuntem, ac manum porrigentem deſpicimus. Homil. 32 ad Pop.

III. Salvator noſter carnem indutus veſte utebatur *inconſutili, deſuper contexta per totum:* vili nimirum, ſi Iſidoro Peluſiotæ credimus, nec niſi Galilæorum pauperibus uſitatâ. *Joannes Præcurſor* veſtitus pilis camelorum: *Paulus Eremita* palmæ foliis. Satis probârunt iſti & alii, veſtium luxum levitatem ſapere, & mulierculis, quàm viris, ignoſci faciliùs. Felix illa eſt anima, quæ nunquam non coram DEO comparet in charitatis *veſtitu deaurato.*

XXXI. MAII.

S. Petronilla V.

PRolixô admodùm tempore, ex voluntate Principis Apoſtolorum, cujus filia fertur, paralytica decubuit. Aliquando præſente *Titô*, & multùm mirante, quòd, cùm *Petrus* aliis paſſim optata ſanitatum beneficia, vel ſolâ corporis umbrâ, largiretur, filiam negligeret: ægram ſurgere, & diſcumbentibus miniſtrare juſſit Apoſtolus: tum verò ad lectulum denuò redire. Paulò tamen poſt divinô beneficiô ſanitati reddita, propediem ſenſit, integræ ſibi eas ſtrui inſidias, quas ægra facilè declinâſſet. A *Flacco* enim comite, quod eximiâ pulchritudine cœteris præſtaret, in thalami conſortium importuniùs expetita, tridui obtentis induciis, quod totum cum *Fœlicula* collactanea ferventiſſimis precibus dedit, à *Nicodeme* presbytero viaticô præmunita, felix æternitatis iter ingreſſa eſt, virgo, corpore, & mente intamina-

tissima. *Est, mihi crede*, inquit Seneca, *vel in lecto virtuti locus.* Epist. 76.

SENTENTIA.

FOrtitudo corporis imbecillitas animi est: & rursus imbecillitas corporis fortitudo animæ est. *S. Hier.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. POterat per DEI gratiam vel verbulô sanare filiæ paralysin *Petrus*: verùm animæ ejus servandæ, quàm corporis curandi studiosior, miraculum altiori reservavit. *Infirmitas corporis*, inquit Ambrosius, *sobrietas mentis est, & virtutum officina.* In hac magis, quàm alibi, obtinetur *sui cognitio*, homini summè necessaria: *tædium vitæ præsentis: desiderium futuri:* sui contemptus, DEI Amor. Sic nimirum *virtus in infirmitate perficitur.* 1. Corinth. 12.

II. Morbi constanter tolerati res sunt martyrio vel admodùm similis, vel (ob diuturnitatem) aliquando superior. *Colica, Calculus, Podagra, Paralysis*, & ejusmodi morbi pluribus annis *patienter* tolerati, argumentum sunt præclaræ sui victoriæ. *Non in ligno suspendi solùm hoc Martyrem facit. Nam si sic esset, extra tales coronatos Job poneretur: neque enim vidit carnificem, nec suspensus in ligno, vel sublimis positus circa latera laniatus est: attamen multis martyribus graviora passus est.* S. Chrysost.

III. Mar-

III. Martyribus & morbidis *patientia neceſſaria eſt, ut reportent promiſſiones.* Hæc una ex ejusmodi ſpinis recentiſſimas colligit roſas, & extrema luctûs gaudiis redundare facit. *Nunquam eſt virtus patientia in proſperis: ille verò patiens, qui adverſis conteritur, & tamen ab affectu ſuæ rectitudinis non curvatur.* S. Bernard. Secemur hîc, uramur, utne æternùm comburamur. Hâc viâ Sanctorum potiſſimi felicitatem ſunt conſecuti: ac experimentô denique didicerunt, *momentaneum & leve tribulationis ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari.*

FESTA JUNII.

I. JUNII.

S. Simeon Siculus.

TEnerâ devotione primò ſacra obiit loca, ea præcipuè, quæ Chriſti Servatoris præſentia noverat nobilitata. Tum verò DEO uni victurus, propè *Treviros*, non jam inter turbas, ſed ab omni hominum conſortio abſtractiſſimus vixit. Laborârunt homines, inferíque, ut hoc ejusdem propoſitum ſubruerent, ſed fruſtrà fuere. Perſtitit enim *Simeon* eodem in loco, atque inſtituto tamdiu, dum à DEO evocatus accenſeri meruit feliciſſimæ divorum ſocietati. Hanc ſocietatem ſi ſeriò cupias, nimiam hominum familiaritatem ſollicitè vita.

SENTENTIA.

FAciliùs eſt domi latere, quàm foris ſe poſſe ſufficienter cuſtodire. Qui igitur intendit ad interiora, & ſpiritualia pervenire, oportet eum cum JESU à turba declinare. *Thom. Kemp. l. 1. de Imit. c. 20.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurimùm decipitur, qui intrà confertiſſimas hominum turbas eam conſcientiæ puritatem conſecuturum ſe ſperat, quam anachoretæ ſanctiſſimi tempore multô, labore aſſiduô, ferarum tantùm ſocii, vix demum ſunt adepti. Verô veriùs eſt, nunquam animi aures audiendo divino eloquio aptiùs eſſe diſpoſitas, quàm ubi mundana nec minimum obſtrepunt.

II. Infinitè igitur DEO obligatur, quisquis diſpoſitione ejusdem miſericordiſſimâ iis ſubtractum ſeſe occaſionibus novit, quibus in ſæculo implicatus peccâſſet frequentiſſimè. Sanè enim, ut *oſcitante unô oſcitat & alter:* ſic cadente unô cadit & alter, proſtratus impulſu cùm occaſionis præſentaneæ, tum ſequioris exempli, quibus facillimè deorſum trahuntur *ſenſus & cogitatio hominis, prona ad malum ab adoleſcentia ſua.*

III. Fit tamen quandoque, ut etiam poſt tam grande beneficium evocationis è ſæculo, diſpendium faciamus fructuum ampliſſimorum *ſacræ ſolitudinis,* admittendo videlicet intrà animum turbas, à quibus, propoſitô, prô quàm laudabili! dudum corpus abſtraximus. Peſſimum hoc vitium eſt, & damna adferens varia; pietatis tepo-

rem,

rem, cogitationum inquietudinem, mentis diſtractionem, cœleſtium nauſeam. Verbô, aliud non eſt, quàm, *canem reverti ad vomitum: & ſuem lotum regredi ad volutabrum luti.*

II. JUNII.

S. Blandina Virgo & M.

NIhil hæc Virgo muliebre habuit, præter ſexum. Tormentis enim acerbiſſimis pro Chriſti fide ſubjecta, tam non vacillavit, tam non è fidelium caſtris profugit, ut potiùs alios quoque, quibus ferè deerat ad luctandum animus, voce maſcula firmaret. Non aliud toties ore volvebat, quàm *Chriſtiana ſum, apud nos nihil ſceleris admittitur.* Et planè non fruſtrà illi fuit, quod identidem *Chriſtianam* ſe diceret. Senſerat enim ad ſingulas *Chriſtianæ dignitatis* appellationes, novi roboris præmia deſuper ſibi donari. An tu etiam dignè *Chriſtianum* te dici credis?

SENTENTIA.

NIhil prodeſt, quod aliquis Chriſtianus vocatur in nomine, ſi hoc non oſtendit in opere. *Aug. ſerm. 38. de Sanct.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUis *dicendus eſt Chriſtianus, atque Catholicus?* quærunt catechiſtæ: reſpondetur: *qui baptiſmatis Sacramentô initiatus, JESU Chriſti ſalutarem, veramque doctrinam in ejus eccleſia profitetur.* Profitetur, non utique verbô tantùm, ſed & factô. Unde facilè

conjicies, jurene, an citra meritum *Chriſtianus* dicaris atque *Catholicus*. Sanè, quàm militem non facit gladius tantùm: tam etiam Chriſtianum non efficit nudum nomen.

II. Chriſtianus ergo per baptiſmatis Sacramentum eccleſiæ filius gignitur, ſubque Chriſti Servatoris ſigna tranſit, ſtrenuum acturus militem, atque juratiſſimos ſibi hoſtes, *mundum*, *carnem*, *dæmonem* oppugnaturus tamdiu, dum, à duce ſuo adjutus, illos expugnet penitùs. Et hoc eſt, quod jubet Apoſtolus: *labora ſicut bonus miles Chriſti JESU.*

III. Magna eſt hæc Chriſtianorum felicitas, dignitas magna: par tamen etiam fœditas, ſi ſuo nomine tantum deficiant, ut videantur ſolùm eſſe, quod re ipsâ non ſunt. *Chriſtiana ſum*, clamabat repetitis vicibus Blandina: *apud nos nihil ſceleris admittitur.* Hoc *Chriſtianorum* eſt. Imò néque hoc tantùm, ſed per bona etiam opera certam facere ſuam hanc vocationem: alioquin vel excidentur ut arbores, illi ſimiles, cui tranſiens maledixit Dominus, quæ ſcilicet foliis tantùm ſuperbiunt, fructibus verò carent. Aut certè, quia nec frigidi, nec calidi, ſed tepidi, evomentur ex ore DEI.

III. JUNII.

S. Clotildis Franciæ Regina.

ACtum planè fuiſſet de *Clodovæo*, gentilitatis erroribus densùm implicato, niſi precibus aſſiduis conjux regia cœcutienti marito veræ fidei radium impetrâſſet. Sub vitæ finem perducta non habuit, quô magis affligeretur, quàm fatalibus re-

regiorum principum diſſidiis, quæ ut componeret, iterum ad orationem confugit, atque optatum precum ſuarum effectum experta eſt, quando mitigatis illi animis pacem, quam antea nec nominari voluerant, ultrò citróque ſeſe inter ſtabiliêrunt. Mortua tumulari voluit ad pedes puellæ paſtoritiæ, ſanctæ ſcilicet *Genovefæ*, Galliæ Regina: non ignara, *humilitatem*, in coronatis etiam capitibus, quôvis diademate radiare validiùs.

SENTENTIA.

ORatione, veluti clave, aperire poſſumus cœleſtium theſaurorum arcas, & multas inde ſpirituales opes reportare. *Leß. de ſtatu vitæ delig.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SUam *Clodovæus* converſionem, poſt DEUM, *Clotildi* debuit: ſuam *Auguſtinus Monicæ* matri. Utrinque fieri nequiit, perire *Maritum* & *Filium*, pro quibus tot vota lacrymis miſta cœlos penetrârunt. Ea nimirum orationis vis eſt, ut ipſum etiam DEUM promptiſſimum reddat ad erogandum quascunque gratias: imò majora etiam, quàm petantur, beneficia. Vide, quàm non magnis impendiis maxima quævis conſequi poſſis.

II. Ibi præſertim præſto eſt munerum largitor DEUS, ubi petuntur ea, quæ ſpiritualem hominis profectum promovent. Et verò quî negaret ea, quæ ipſemet peti vult? *quærite*, inquit, *primùm regnum DEI, & juſtitiam ejus*: & non

tantùm hæc, ſed cætera etiam omnia, quæ ſuſtentationi ſunt neceſſaria, clementer adjicientur. Quid ampliùs exſpectaret ab amico amicus? *conſidera*, inquit S. Chryſoſtomus, *quanta tibi eſt commiſſa felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum DEO: cum Chriſto miſcere colloquia: optare quod velis, quod deſideras poſtulare.* L. 2. de orando DEUM.

III. Certum tamen, non omni paſſim orationi has reſpondere gratias. Quàm multi petunt! cùm tamen malè petant, nihil eorum accipiunt quæ petunt. Deeſt illis aliquando *integritas conſcientiæ*: modò *fiducia*: ſæpiùs *attentio*: ipſa denique *perſeverantia*. Et mirum ſit nihil obtineri? *pete, quære, inſta: petendo & quærendo creſcis, ut capias. Servat tibi DEUS, quod non vult citò dare: ut & tu diſcas, magna magnè deſiderare.* S. Auguſt. ſerm. 5. de Verb. Dom.

IV. JUNII.

S. Optatus Milevitanus Epiſcopus.

TOtô animi nervô in id incubuit *Optatus*, ut profligatis *Donatiſtarum* machinis optata eccleſiæ pax rediret. Bellum ergò illi cum iſtis internecinum fuit, & pugnatum utrinque acriter: ſed diſpari ſucceſſu. Hæretici enim ſuô pro more, cùm firmioribus argumentis nequirent, convitiis rem acturi, *Optatum* crebriùs *ſceleratum* appellavêre, *refractarium legi*, *vagum*, ab *eccleſia proſcriptum*, *immundum* &c. Quid *Optatus?* riſit nimirum haſce quisquilias, ac ne quod faceret diſpendium pacis animi, *manſuetudine magiſtrâ*,

non

non modò non regressit convitia, sed *Parmenianum*, sectariorum facilè principem, *fratris* etiam nomine dignatus est. Adeò convitia contemptu meliùs refelluntur, quàm convitiando reciprocè.

SENTENTIA.

BEnè sibi conscius falsis non debet moveri, nec æstimare plus ponderis in alieno esse convitio, quàm in suo testimonio. *S. Ambros. de Offic.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MUltam animi pacem ex eo consecutus est vates regius, quòd ad *opprobria exprobrantium* æquè parùm moveretur, ac ad unius folii casum. *Factus sum*, inquit, *tanquam homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.* Ps. 37. Præsentissimum remedium evitandi quæcunque adversariorum jacula, est, *illa contemnere.* Puta, fastu non pharisaicô: sed generositate homine christianô dignâ. *Plùs improbum lædis, sustinendo, quàm, ulciscendo.* Tertul.

II. Convitiandi consuetudo vel ipsâ suâ diuturnitate adeò viluit, ut à rectæ mentis hominibus lutô vilior habeatur. Nôrunt isti *bonos* non impeti *à bonis*, sed *malorum* hæc esse negotia. Quis Christô integrior? quot tamen in eum jacta convitia? parùm fuit à Pharisæis dictum fuisse, *amicum publicanorum, belluonem, meribibulum &c.* etiam *dæmonium* habere dictus est. *Si* porrò *Patremfamilias Beelzebub vocârunt, quantò magis domesticos ejus?* Matth. 10.

III. Infirmum arguunt animum *convitia convitiis plexa.* Canum uſus eſt, morſibus inter ſe contendere. Aliud docentur homines in ſchola Chriſti: percutienti videlicet in unam maxillam, præbere & alteram: volenti tollere pallium, dimittere & tunicam. Et eadem ſchola iſtas verborum altercationes ferat? firment verò animum debilem vel *ethnica exempla*, ſi *aſcetica* minùs ſufficiant. *Diogenes* obtrectatori cuipiam plenis buccis convitia jacienti, leniſſimè reſpondit: *ſicut nemo mihi te laudanti; ita nec tibi me vituperanti facilè crediderit.*

V. JUNII.

S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus & M.

STrenuum ſanctus hic Præſul *operarium* egit in eccleſiæ vinea, magnam hujus partem, *Germaniam* ſcilicet, ſollicitè fodiens, omnique meliore modo quà exemplô, quà verbô colens. Animos addidit princeps angelus, crebro ſuum hunc clientem inviſere ſolitus. Et verò fructus enati ſunt non pœnitendi, magna morum mutatio, atque ejuratâ gentilitatis ſuperſtitione, ſincerus *Triunius Numinis* cultus. Sed alicubi *labruſcas* pullulâratinfida humus, apud *Friſios* ſcilicet, qui etſi noviter converſi, turpiùs tamen, quàm olim *Galatæ*, retrorſum acti, ſcelere inauditô hunc ſuum *vinitorem*, ut *vineæ hæredem* judæi, unacum ſociis quinquaginta & uno, crudeliter enecârunt. Familiare fuerat ſancto Præſuli dicere ſæpiùs: *ſacerdotes ſui temporis eſſe ligneos, calices verò aureos: ante hac verò ſacerdotes fuiſſe aureos, cali-*

calices ligneos. Erant hi in *ſæculo aureo*, illi in *ferreo.*

SENTENTIA.

QUantò aurum plumbô præſtat, tantò regibus dignitate præcellunt presbyteri. *S. Ambr. L. de dignit. sacerdot. c. 2.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn alius aliquis labor tam quæſtuoſus, ac ille, qui à paſtoribus eccleſiæ animarum bonô exantlatur. Nihil iſtius operæ deperit, etſi in eccleſiæ vinea multi etiam palmites ſuam curvitatem ſic ament, ut erigi quoque timeant. Perditionem ſuam ejusmodi ſibi ipſis imputent. Tu verò cave, ne ſpuriis hiſce palmitibus te innectas.

II. Multùm ſubinde hanc vineæ myſticæ culturam impedit paſtorum vana timiditas. Hi, licet noverint, miſſos ſe, ut evellant, & deſtruant, & diſperdant, & diſſipent, & ædificent, & plantent: nihiloſeciùs humani reſpectûs faſcinô capti, tamdiu dormiunt, dum vepres & zizania totam vineam operiant. *Malos* hos *malè perdet* DEUS: *& vineam ſuam aliis locabit agricolis*, qui priùs errata corrigant, quàm emendari iſta ampliùs non poſſint.

III. Vitium, non multùm iſti abſimile, frequenter ipſos etiam palmites occupat, amore propriô arbitrum agente. Putant *putatione* opus ſibi non eſſe, indeque dum luxuriantes ramos, atque inutilia ſarmenta abs ſe reſcindi metuunt, cùm non advertunt, ſilveſcere occipiunt. Periculoſa horum

rum perſuaſio eſt, párque illi, quâ, qui maximè infirmantur, infirmos ſe credere nolunt, ne medicamentorum amaritie torqueri debeant. *Quis ita ad unguem omnia ſuperflua reſecavit, ut nihil ſe habere putet putatione dignum? crede mihi, putata repullulant: ſemperque nobis putationis eſt tempus.* S. Bernard. ſerm. 58. in Cant.

VI. JUNII.

S. Claudius Archi-Epiſcopus Veſontinus.

TAntùm Divo huic Præſuli in deliciis, & cenſu fuit auguſta *caſtimoniæ* ſpecies, ut miles adhuc (rara hoc in genere avis) religioſiſſimè eandem coleret, fœminásque omnes, non ſecus, atque ipſiſſimam peſtem horreret. Corpus ejusdem poſt obitum integerrimum perſtitit: ſervari utique dignum, quod theſaurum integritatis, etſi in vaſe fictili, tam ſollicitè per omnem vitam ſervârat. *O quam pulchra eſt caſta generatio!* Sap. 4. Quisquis olim agere cœlitem decreviſti, cœlibem vitam ama, &, quantum potes, eam conſulenti Chriſto, ſuoque exemplo ſuadentibus Divis obſequere.

SENTENTIA.

OCandens lilium! ô tener, & delicate flos! increduli, & ſubverſores ſunt tecum: vide quomodo cautè ambules inter ſpinas. Plenus eſt mundus ſpinis: in terra ſunt, in aëre ſunt, in carne tua ſunt. *S. Bernard. ſerm. 48. in Cant.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. HOmini carnalibus desideriis altiùs mersо, dum de castitatis præstantia sermo fit, id omnino evenit, quod pueris, fortè colloquiis doctiorum adstantibus. Audiunt isti suum captum excedentia: &, *audiunt tantùm.* Audiunt & illi: neutri judicant. Priores ob tenuitatem specierum: posteriores ob viscositatem concupiscentiæ, cujus munus est, *evertere sensum*, & *obtundere lumen intellectûs*, quod lumen animæ omnino necessarium est, ut dispiciat eas spiritûs subtilitates, de quibus *homo animalis* nec quidem somniat.

II. Vellent non pauci castorum accenseri syllabo, viâ tamen non solitâ: imò prorsus erroneâ. Labendi enim occasionibus indies se implicantes: carnem insuper victûs superfluitate ad rebellandum spiritui animantes, latè patentibus sensuum externorum portis, castitatem somniant: sejunctissimi à sensu &. exercitiis illius, qui sentiens aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, indissimulanter perrexerat castigare corpus suum, & in servitutem redigere.

III. Audimus frequenter castitatem thesaurum esse nobilissimum, vitro tamen fragili similem: portari, & haberi in vase fictili, carne scilicet ab ortu suo ad malum proclivi. Si jam ultrò ambulemus vias difficiles, lubricas, præcipites, quis demum ambigat perinde nobis esse hoc thesaurô privari? personæ olim utriúsque sexûs sanctitatis eximiæ hìc naufragârunt: & tyroni vix primis veræ sanctitatis principiis imbuto, circa hæc brevia, velut per ludum oberrare placeat?

contra

contra libidinis impetum monet Auguſt. ſerm. 250. de temp. *apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam.*

VII. JUNII.

S. Robertus Abbas.

SAcræ Ciſtercienſium familiæ præclarum jubar *Robertus*, mirâ, ut in omni vita reliqua, ſic in quadrageſima potiſſimùm abſtinentiâ effulſit. Nulla illi lautitiarum cura, nullum curandæ cuticulæ ſtudium. Quin & panis avenaceus ipsò reſurgentis è tumulo ſervatoris feſtò delicatior viſus, pauperi in obſonium ceſſit, ſed perſonato. Angelus enim mendici exuviis tectus, eam portionem panis aſportavit, palam exhibiturus olim omnibus iis, *quorum DEUS venter eſt.* Verè *jejunium angelorum imitatio eſt*, ut inquit Præſul Antioch. ſerm. 1. de jejunio.

SENTENTIA.

ABſtinentia tua, atque jejunium tuum eò magis DEO grata ſunt, quò cum moribus ſanctis offeruntur, ut quæ in aliis ſunt umbracula vitiorum, in te ſint ornamenta virtutum. *Hieronym. ad Demetriad.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUantumcùnque omnem hominem dedeceat voluptatibus ex victu quæſitis pecorum more diffluere: turpiſſimum tamen id eſt in religioſis uni DEO per ſacra inſtituti ſui vota devinctis. Deficit in his tantò amplius libertas ſpiritûs, & mens ad ruminandum cœleſtia he-

hebeſcit, quò minùs curatur *potûs cibíque parcitas.* Læti non bibent *ſobriam ebrietatem ſpiritûs*, ſi lætitiarum nauſeam non ingeneret ſanctæ ſobrietatis ſtudium. Et eſto res monſtro proxima ſit *mulier temulenta:* monſtro tamen quid pejus, & longè deformius eſt, religio abſtinentiæ incuria.

II. Luctandum religioſis indies cum carne, mundo, & dæmone: victoria penes quos ſtabit? proſtrata planè jacebunt ventris mancipia, ſordidæ quieti, quàm luctæ ſpirituali aptiora. Certum divo Hieronymo, certum aſcetis omnibus, *ventrem plenum facilè deſpumare in libidinem*, & *à patre Libero ad inconceſſam venerem proximum eſſe intemperantiæ locum.* Sodomam, & regionem finitimam, etſi paradiſo DEI aſſimilarentur, buſtum tamen ferale fecit, & æternum ultionis divinæ exemplum *ſaturitas panis, abundantia, & otium.*

III. Palmam ergo victores capient, qui, abſtinentiâ magiſtrâ, vires ad myſticum hoc certamen adferent non imminutas, ſed vel ipſomet jejuniô inſtauratas. Hoc providentiſſimus DEUS corporibus medetur & mentibus: hôc eò denique reducit, unde per ingluviem fœdè receſſimus. *Qui à paradiſi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc, in quantum poſſumus, per abſtinentiam redeamus.* S. Greg. Homil. in Evang.

VIII. JUNII.

S. Medardus Epiſcopus.

CReviſſe cum Divo hoc miſerationem, & de ipſo propemodum matris utero cum illo egreſſam, argu-

argumento fuit eximia ejusdem in pauperes beneficentia, qua puerulus jam prætextam, aliàs cibos, aliquando equum egentibus cessit, toto tandem patrimonio, in illurum usus, peramanter distracto. Non potuit non summè placuisse Numini tam pia prodigalitas, dum illi primò gratiam miraculorum; tum geminas *Noviodunensis* & *Tornacensis* ecclesiarum infulas; tantam denique sanctitasis absolutæ existimationem rependit, ut *Clotarius* Rex, sacro Præsule è vivis erepto, defuncti corporis & bajulum agere, & vespillonem avidè percuperet. Dixerit Philosophôrum Princeps, *difficile esse largum fieri divitem* Eth. 5. non aliunde profectò *Medardus* tantas gratiæ divinæ divitias sibi comparavit, quàm ex hac sua in pauperes largitate.

SENTENTIA.

BEnefacere homini, est beneficium apud DEUM deponere. *Chrysost. super Genes. Homil.* 27.

REFLEXIO.

PUNCT. I. UTi animò in pauperes propensô nil gratiùs; sic avaro nihil est scelestiùs. Possidentur avari à substantiis, non possident: possident illas liberalitatis amantes, ut erogent, indubii post perituram hanc habere se meliorem, & manentem substantiam. Disperdendo non perdunt: dant enim, ut accipiant, nixi ejus fidelitate, qui nec calicem aquæ frigidæ suâ olim mercede fraudabit. Dole, si sordido Euclionum syllabo accensus, minùs hucúsque Christo suis in membris prospectum cupiisti.

II.

itized by Google

II. Difficulter ſua avari erogant, quod ea cupidè nimis poſſideant. Liberales verò tantò faciliùs iſta abjiciunt, quantò minùs ad ea afficiuntur. Adeò res omnes una æſtimatio vel pretioſas facit, vel deſpicabiles. Eſto totum mundum avarus lucretur, plùs tamen illi laboris deinceps accreſcet in conſervandis, quàm in congerendis divitiis. *Mens avari, quæ priùs ex abundantia requiem quæſierat, poſtea ad cuſtodiam graviùs laborat.* S. Greg. in Moral.

III. Fœneratur ergo Domino, qui miſeretur pauperis. *Beatus*, inquit *vates regius*, *qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Pſ. 40. En præmium! en lucrum! dormient ſomnum ſuum & nihil invenient omnes viri divitiarum in manibus ſuis. Dicetur illis: recepiſtis mercedem veſtram: miſericordibus vero: *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; miſericordiam hi conſequentur, quòd eam in pauperes ſtudiosè exercuerint. *Via cæli eſt pauper, per quem venitur ad patrem: incipe erogare, ſi non vis errare.* S. Aug. de verb. Dom.

IX. JUNII.

SS. Primus, & Felicianus MM.

QUanti roboris ſit vel ſola Chriſtianorum præſentia, ad elidendos, & eludendos impii dæmonis conatus, ipſe dæmon nefarius urbi Romæ, & orbi pandit, quando palam proteſtatus eſt, nulla deinceps ex idolis reſponſa ſe daturum, niſi iis litarent *Primus*, & *Felicianus*. Sed actum egit infelix veterator: ſancti enim pugiles, non

virgarum, plumbatarúmque ictibus, non equuleï torturâ, & lampadum incendiis, non ipsâ denique morte ſeparari potuerunt à charitate Chriſti, eòque adduci, ut amorem hunc, quem uni DEO debebant, tam infide partirentur. An non rubore ſuffundar, toties ſuccubuiſſe me hoſti tam debili, tam impotenti?

SENTENTIA.

UBi DEUS nobis proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipſum ſolum intuemur: ignis autem, & gladius, & beſtiæ, & ungulæ carnem lacerantes voluptati nobis, ac deliciis potiùs ſunt, quàm terrori. *S. Greg. Nazianz. orat. de Laud. S. Baſilii.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MIſerum dæmonum, quem ad nudam martyrum præſentiam obmuteſcere oportet! videsne, quàm verum ſit, quod pridem edixit mellifluus: illum, more canis catenæ innexi, ſollicitare poſſe, latrare poſſe, mordere tamen non poſſe, niſi volentem. Mordetur, quisquis non martyrum tormentis, ſed levi verbulô tactus & putatitiá perſtrictus injuriolâ, ſævit, ringitur, remordet. O quàm iſti diſtant ab invicta martyrum patientia!

II. Facile martyribus accidit dura quæque perpeti, quòd adverterent *infirmitates ſuas adjuvari unctione gratiæ ſpiritualis.* S. Bernard. Audis, DEUM usque adeò facere cum tentatione proven-

ventum, ut ſuos nunquam patiatur tentari ſupra id quod poſſunt. Tu tamen ad minimum tentationis aſſultum adeò concidis, ut rectiùs, quàm Jobo, dici tibi poſſit: *venit ſuper te plaga, & defeciſti: tetigit te, & conturbatus es.* Job. c. 4. v. 5.

III. Per multas tribulationes introeundum nobis eſſe in regnum DEI, cum duce martyrum Chriſto, docuerunt martyres. Hanc doctrinam utinam tandem caperemus! calicem Domini affectanter biberemus, lætiſſimi de ſacratiſſimo paſſionis ejus conſortio. Sanè paſſiones hujus temporis non ſunt condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, ſi in amplexum *crucis* non inviti, ſed hilares ruerimus: ſi *ficci martyrii* Canditati, nullis *pro JESU* adverſis terreamur. *Nemo aptus eſt ad comprehendendum cæleſtia, niſi ſe ſubmiſerit ad portandum pro Chriſto adverſa.* Thom. Kemp. de Im. L. 2. c. 12.

X. JUNII.

S. Margarita Scotiæ Regina.

SAnctiſſimam triadem tam impensè coluit, tam fervide adoravit, ut non contenta cor ſuum eidem ſe conſecrâſſe, magnificô præterea templô honoraret. quod nocte concubiâ frequentans, non niſi recitatis officiis SS. Trinitatis, S. Crucis, beatæ Virginis, mortuorum, & totô Davidis Pſalteriô, deſeruit: diem porrò totum ſervitiis, ac charitati pauperum ſic impendit, ut projentaculo indies novem orphanis, pauperculisque liberis cibum de genu porrigeret: ſub prandium deinde trecentis pauperibus, in aula regia convi-

vatoribus, cum rege marito miniſtraret. Accipiet hæc olim de fructu manuum ſuarum, cujus eleemoſynas modò enarrat omnis eccleſia ſanctorum.

SENTENTIA.

EST Trinitas, à qua homo cecidit, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: eſt & Trinitas quæ cecidit: intellectus, memoria, & voluntas: eſt & Trinitas in quam illa cecidit: impotentia, ignorantia, & concupiſcentia: eſt & Trinitas, per quam Trinitas cadens reſurgit ad Trinitatem de qua cecidit: ſcilicet fides, ſpes, & charitas. *S. Bernard. ſerm. 1. de parv.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *TRinitatis, ſeu divinitatis arcanum,* inquit Melleus Doctor, ſerm. 5. in Cant. *nec ab angelis, nec ab hominibus, niſi Spiritu ſanctô revelante cognoſcitur.* Abyſſus eſt profundiſſima, cui per humilitatis exercitium immergimur tutiùs, quàm eam curiosè ſcrutemur. Odit *Trias ſanctiſſima* diſcuſſionem inutilem: amat fidem ſimplicem & ſinceram. Crede, anime mi! quod modò nec capis, nec vides, niſi *per ſpeculum & in ænigmate:* ut aliquando videas illud *facie ad faciem.*

II. Quantum obligemur toti ſanctiſſimæ Triadi, novimus ſinguli. Debemur illi ex toto, quòd tota ad noſtram creationem concurrerit, & pro illo *fiat* prodigioſo, uſurpârit, *faciamus*, amoris ple-

pleniſſimum. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Enormiter profectò in leges gratitudinis peccamus, ſi tam liquidò beneficiò nondum incitati, toti in ſanctiſſimæ Triadis laudes effuſi, dicamus corde & ore: *tibi laus, tibi honor, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ô beata TRINITAS!*

III. Trinitas potentiarum noſtrarum miſeranda, ne toties exerret ab amore diviniſſimæ *Triadis*, ſolerter eſt corrigenda, ſiquidem velimus aliquando æternùm adorare *Trinitatem in Unitate, & Unitatem in Trinitate.* Adhæreat memoria Patri per *fidem*: intellectus Filio per *ſpem*: voluntas ſancto Spiritui per *charitatem.* Memoria beneficia DEI recolat: ſapiat DEUM intellectus: voluntas ei conformetur: & erit refiƈta Trinitas noſtra ad exemplar increatæ *Trinitatis.* Vileſcet damnata Trinitas, *mundus, caro, dæmon*: ſolúmque placebit *adhærere DEO.*

XI. JUNII.

S. Barnabas Apoſtolus.

LEviticæ ſtirpis ſurcùlus melior, à puero in ſanctitatis eximiæ ſpem adolevit. *Joſephum* parentes dixêre, quem æmulum cupiebant, virtutum, veteris illius Patriarchæ cognominis. Litteris per ætatem aptus, ſub *Gamaliele* viro in ſcripturis doctiſſimo tantùm profecit, ut non ſuis modò condiſcipulis *Saulo, Stephano*, viris optimè de eccleſiâ meritis; ſed doctiſſimis judæorum admirationi eſſet. A Servatore *Chriſto* in diſcipulorum numerum adſcitus, *Barnabas* audiit, tan-

Digitized by Google

quam *filius consolationis*; quòd sanctitatis illius præstantia omnibus esset solatio. Post glorioſam redemptoris *Anastasin*, divenditis omnibus, *Antiochiæ* primùm, post *Alexandriæ*, tum in *Cypro* insula; denique per totam Italiam DEI verbum studiosè disseminavit. Illi nobilissima *Mediolanensium* ecclesia suum debet initium. *Salaminam* regressus, cùm perfidiæ judæorum continuò bella moveret, ab iisdem lapidibus obrutus, martyr occubuit. Longo post obitum tempore reliquiæ illius detectæ sunt, codice evangelii *Matthæi*, quod propriâ manu *Barnabas* descripserat, pectori decenter appositò. Ne mirêre tantam virtutem messem in *Barnabæ* animo. *Scriptura, DEI ager est.* S. Augustt. tr. 22. in Joan.

SENTENTIA.

SAcra scriptura habet eruditionem, admonitionem, & consolationem. *S. Bernard. in Ps. qui habitat.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *OMnis profectus*, inquit verissimè Isidorus de summo bono L. 3. *ex lectione & meditatione procedit. Quæ enim nescimus, lectione discimus: quæ didicimus, meditatione conservamus.* Hinc primum spiritûs fervorem hausit *Antonius Eremitâ.* Hinc conversionis initium *Augustinus.* Hinc alii fructus legerunt alios: illos præcipuè, qui præcipui sunt: *virtutis amorem, peccati odium.* Experire, quid in te possint *scripturæ monita, sanctorum exempla.*

II. Si

II. Si animæ devotæ volupe ſit perinde converſari cum DEO, tanquam cum amico optimo: facillimè omnium id conſequetur *ſacrâ lectione.* DEUS iſtâ tanquam mediô utitur, ad implantandam nobis perfectionem: tanquam ſpeculô, ad exhibendum nobis interiora noſtra, ut loquitur Gregorius M. Speculum iſtud non aſpernabimur, ſi tantum nobis fuerit ſtudium pulchritudinis internæ, quantum externæ. Similitudo hæc ipſi etiam olim Auguſtino placuit. Unde ſic loquitur: *optimè uteris lectione divinâ, ſi eam tibi adhibeas ſpeculi vice, ut ibi velut ad imaginem ſuam anima reſpiciat, & vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plùs ornet.* Epiſt. 142.

III. Multæ lectionis fructus modicus inde eſt, quòd hæc perfunctoria ſit, & locorum, qui affectibus ciendis idonei ſunt, ſupinè incuria. Quæritur in ejusmodi lectione non *ſapor*, uti notat melliſluus, ſed *ſcientia*: indeque in *profanam* facilè iſta degenerat. Qualiter ſcripturis utendum, audi: *omnis ſcriptura divinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum*, &c. *ut perfectus ſit homo.* 2. ad Timoth. 3. v. 16.

XII. JUNII.

B. Hroznata Canonicus Præmonſtratenſis.

NObiliſſimus regni Bohemici Princeps, ſæculum, omnémque illius faſtum luxúmque pede tam generoso protrivit, ut ampliſſimas etiam facultates, ne iis peſſumiret, alendæ Chriſti familiæ ſub candido Divi Norberti labaro, totas expenderet, fundatis *Teplenſi, Chotieſſovienſi* Virginum Cœnobiis ampliſſimis; cujus prioris erectio-

ctionem ut ſuâ operâ promoveret efficaciùs, primus ipſe ſportas aliquot terræ & lapidem plenas regiis imponere humeris; primus arreptô ligone humum effodere non erubuit. Canonicum Præmonſtratenſium inſtitutum amplexus, tuendis eccleſiarum ſuarum juribus tam ſtrenuè incubuit, ut famis, cibi, & carceris tetertimi confectus injuriis, inter diuturna denique vincula, ſpiritum martyrii laureâ digniſſimum DEO redderet, miraculis ante, & poſt obitum illuſtriſſimus. Facilè cætera ſpernit, cui DEI amor ſui ipſius contemptum dictavit.

SENTENTIA.

COntemne divitias, & eris dives: contemne gloriam, & eris glorioſus: contemne ſupplicia inimicorum, & tunc eos ſuperabis. *S. Chryſoſt. ſuper Epiſt. ad Hebr.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. M*Ultùm* omninò præſtiterunt apoſtoli, quòd ſua reliquerint: *plùs* tamen, quòd etiam ſeipſos. Hanc *paupertatis* formam ſequuntur, quotquot in religioſis cœtibus ad eximiam ſanctitatem aſpirant. Et eſto ſublimis ſit hæc *philoſophia:* iis tamen admodùm plana eſt, qui norunt, quantum religioſos ſtringat illa Servatoris ſententia: *ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem &c. adhuc autem & animam ſuam: non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14.

II. Relict) igitur eô quod majus eſt (*majus* autem *eſt relinquere ſeipſum, quàm mundum.* S. Aug.

Aug. de ſpir. & an.) facilè relinquitur quòd eſt minus. Divitiæ contemnuntur, quia rarò virtutem; vitia ſæpius promovent: quia res ſunt malis, quam bonis communiores: quia ſpinæ ſunt ſemina virtutum ſuffocantes: quia *faciliùs eſt camelum tranſire per foramen acûs, quàm divitem introire in regnum cælorum*: quia denique veræ divitiæ in DEO tantùm ſunt. *Omnis copia, quæ DEUS meus non eſt, mihi egeſtas eſt.* S. Auguſt. L. 14. Confeſ.

III. Facilè poſt ſui abnegationem contemnitur vana gloria, quæ minùs illius titillat animum, qui non *temporariæ* labores ſuos dicat, ſed *æternæ. Remotis obſtaculis*, inquit Auguſt. L. 3. de Civit. *vanæ opinionis, ſcelera nuda penſentur: fallacia tegmina & vanæ laudis & gloriæ auferantur; & apparebunt miſeriæ peccatorum.* En! quàm pro ſalubri horum memoria & praxi non fruſtra ſuadeat S. Bernardus: *qui relinquere diſponis omnia: te quoque inter relinquenda memorare memento.* in Collat.

XIII. JUNII.

S. Antonius Patavinus Conf.

O *Lyſſipona* Princeps Luſitaniæ Urbs Magnum hunc ſanctum Civem habuit, ſanguine, & natalibus clarum, virtutibus illuſtriſſimum. Canonicorum Regularium Inſtitutum, majoris perfectionis amore, cum rigido pauperis Franciſci Ordine permutavit. Solitudinis, & ſilentii amantiſſimus, culinaria primum munia obiit, cacabis

eluendis, quàm verbo DEI prædicando doctior creditus. Inde tamen obedientiâ evocatus, cum fortuitò fratribus loqui verbum ædificationis juſſus eſt, primùm quidem ſimpliciter orſus, tum verò tantô animi fervore, tantâ myſticarum ſententiarum altitudine peroravit, ut omnibus foret indubium, non alio, quàm Spiritu ſancto dictante illa concipi, & proferri potuiſſe. Concionatoris munere perfungens alter *Elias* habitus eſt, ob zelum quô vitia perſtringere conſueverat, idque tantô cum fructu, ut innummeri gratiâ DEI aſpirante à ſcelerum ſordibus ad egregiam vitæ ſanctitatem repurgarentur. A ſummo pontifice *Arca Teſtamenti* audiit ob ſublimem doctrinam. Hæreticum, Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ cultum docuit, luculentô illô miraculô, quô jumentum triduanâ inediâ vix non confectum *Antonii* juſſu, pabulô etiam neglectô, reverenter in poplites cernuum diviniſſimum Sacramentum adoravit. Hoc demum eſt *eſſe potentem opere & ſermone.*

SENTENTIA.

DUm doctrinæ diſcretio à prædicatore cautè cuſtoditur, ei divinitùs largior copia prædicationis datur. *S. Greg. 19. Mor.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurimum docendo & concionando præſtiturum ſe ſperet, qui non ſponte currens, ſed à DEO vocatus, humiliter obſequitur. Tali enim dat *os & ſapientiam*, quâ ferrea

rea etiam in hujus obſequium cogere corda poſſit. Tales inſuper prædicant *JESUM*, *& hunc Crucifixum*: alii verò non miſſi, *ſe ipſos.* Horum ſermo *in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*: illorum *in oſtenſione ſpiritûs*, *& virtutis DEI.* En diſcrepantiam!

II. *Prædicationis officium Viris*, inquit Ambr. in Epiſt. ad Rom. *commiſſum eſt, non mulieribus.* Auſu nimirum virili opus eſt, ad perſtringenda vitia, vitiorumque patronos. Concionatores DEUS ſtatuit ut *civitatem munitam*, *&* ut *columnam ferream*, *& murum æreum*: ne videlicet vel humanis reſpectibus obliquentur à recto, & obſequantur illi malorum voto: *loquimini nobis placentia.* Iſa. 30. vel, quod adhuc deteriùs, *verbis* prædicent, *quod moribus impugnant.* S. Greg. in Paſtor.

III. Utne igitur infructuoſa ſit prædicatio, puritas intentionis non deſit. Non quærendum aliud, quàm *major DEI gloria*, & *animarum ſalus.* Abſit iſtud; *res magna vili pretiò venundabitur*, ut inquit citatus Eccleſiæ Doctor. Evellenda deinde primùm noxia (juxta monitum *Jeremiæ* datum) poſtmodum implantanda ſalubria. Vocandus denique in laboris partem *Antonius*, ſpecialiſſimus pro recuperandis perditis Patronus. Efficiet hic ſuis precibus, ne eam facias jacturam, extrà quam in orbe major non eſt: *tuæ* videlicet priùs *animæ*: tum & *aliarum.* *Quid proficit homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

XIV.

XIV. JUNII.

S. Basilius Magnus.

SAnctè sanctorum Parentum *Basilii*, & *Eumeliæ* vestigia pressit *Basilius*, mirè in hoc à DEO felicitatus, quòd familiam penitùs sanctam obtigisse sibi cerneret. Præter enim parentes sanctos soror illi fuit *S. Macrina*, fratres *SS. Gregorius* Nissenus, & *Petrus* Sebastenus, Episcopi: avia paterna *S. Macrina* alia: avi, ac Propatrui, *Martyres sancti. Juliano* Apostatæ precibus suis supplicium maturavit: abstinentiâ fuit tam admirabili, ut, quod Breviarium notat, *Spiritu tantùm vivens, præter ossa & pellem nullâ præterea corporis parte constare videretur.* Servavit his mediis in exsucco corpore, tanquam arca probè obseratâ, vivacissimum virginitatis florem. Quod tuum in hoc servando studium? quæ media?

SENTENTIA.

EPulentur splendidè Cives Babylonis: si te viderit ob amorem suum sponsus marcescere, si pallescere, si calescere impatienti desideriô, accelerabit diem, offeret oscula, junget amplexus. *S. Bernard.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UT ad eximiam sanctitatem pertingeret *Basilius*, eximiis etiam usus est mediis. Hæc inter facilè princeps fuit, *potûs, cibique parcitas*, viris sanctitate celebribus tam non

non incognita, ut etiam ab hac, nec immeritò, virtutis adjumenta petant. *Semper virtuti cibus jejunium fuit.* S. Leo ſerm. 2. de jejun. Emori ergò *virtutem* vult, qui neceſſarium illi *abſtinentiæ* cibum ſubtrahit.

II. Puritas etiam non aliâ faciliùs viâ comparatur, quàm *ſanctæ abſtinentiæ* ſtudiô. *Sine Cerere & Baccho frigere venerem*, res eſt aſcetis admodùm certa. Jumentis ferocientibus pabulum vel ſubtrahimus, vel imminuimus. Cur non eodem modô plectimus carnem ſpiritui rebellem, *jejuniis vitiorum ſentina ſiccatur, petulantia marcet, concupiſcentiæ languent, fugitivæ abeunt voluptates.* S. Cyprian.

III. Nec mala ſolùm exterminat *abſtinentia*, verùm etiam cum puritatis amore, cum virtutis ſtudio, reliqua quoque bona magnô advehit numerô: *devotionem* præcipuè acuit, & magnum *orationi* pondus adjicit. *Bona eſt oratio cum jejunio.* Tobiæ 12. Pœnitentia & planctus interior non aliô magis accenduntur, quàm abſtinentiâ exteriore. Hinc illud DEI monitum: *convertimini ad me in jejunio, & fletu, & planctu.* Joel. 2. Animum denique *ſubtilem* reddit ſancta hæc abſtinentia, & cœleſtium rerum planè capacem: dum ex oppoſito mentis aciem adeò retuſam facit *intemperantia*, ut homo à brutis vel nihil, vel modiciſſimè diſcrepet, quod pudendum, *jejunium leves pennas animæ producit, ut in ſublime feratur, & ſumma contempletur.* Chryſoſt.

XV.

XV. JUNII.

S. Landelinus Abbas.

QUamdiu ſub *Autberti* antiſtitis cura pervigili degit *Landelinus*, vitam vixit honeſtati optimè conſonam. Sceleratorum verò perſuaſionibus circumventus, & conſpectui magiſtri ſui ſe ſuffuratus, turpiter adeò defecit, ut non modò ſociorum vitia ſectaretur: ſed viam iisdem ad interitum, velut dux, ſtrenuè præiret. Et periiſſet profecto, niſi complicum quispiam ſubitaneô extinctus fatô, & rectâ ad tartarum abreptus, *Landelinum* ſalutis ſemitæ reſtituiſſet. Tantum enim in illius animo potuit terribilis hic caſus, unaque tutelaris angeli & monita & minæ, ut ad *Autbertum* reverſus, filio prodigo non abſimilis, amariſſimis expiare lacrymis tot ſcelerum ſordes, támque perfidum à tam pio parente diſceſſum multis poſt annis non deſineret. Fuerunt hi pœnitentis animi queſtus tanti apud DEUM ponderis, ut *Landelinum* denique numeroſæ ſobolis religioſum facerent Patrem, & plurium monaſteriorum auctorem. Ne facilè in præceps ruas, ſanctorum monitis, & exemplis te ſuſtine.

SENTENTIA.

QUi vias vitæ ingredi vult, præceptorem, & ducem ſibi aſſumat. *S. Bernardus ſerm. 77. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *ANguſta eſt via quæ ducit ad vitam*, & innumeris inſuper anfractibus plu-

plurimùm obliqua, ut nullô momentô deſint exerrandi pericula. Miſeri ſunt qui eam ingrediuntur fidô ductore deſtituti: citò enim moleſtiis abſterriti revolabunt ad ſpatioſam: ſicque peribunt cum plurimis, qui ſalvari poterant cum paucis. Suos errores ſibi, & pravo ſociorum exemplo debuit *Landelinus*: rectitudinem ductui *Autberti*: quem penes ſi manſiſſet, nunquam errâſſet. Ne ſis ſapiens apud temetipſum: nimis enim quam certa eſt D. Bernardi ſententia: *qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſeſe diſcipulum ſubdit.*

II. Filius prodigus non antea *lurconum fæci* ſe miſcuit, quàm à patre receſſiſſet. Non ferunt vitia virtuoſorum præſentiam: indeque hanc impensè ambiunt, quotquot ab illa peſte ſibi metuunt. Virtutis verò amantibus, hæc usque adeò in pretio eſt, ut non modò DEI, verùm & moderatorum ſuorum oculos offendere ſummè horreant. Inſtitutio ſcilicet vitæ melioris proborum adjumenta tam non reſpuit, ut etiam exigat.

III. *Landelinus* inſtar ovis errantis ad caulam reductus, errorum cauſas & occaſiones ſine dubio retexerit ductori ſuo. Sanè ſic ſolent, quibus ſerium eſt *non ſemper errandi* propoſitum. Qui ſanitatis temporariæ diſpendia metuunt, à medicis non medentia ſolùm ſibi comparant, verùm & præſervantia. Cur idem non fiat, ut ſervetur incolumitas animæ? *cur morſus à ſerpente parvulus fugit conſcientiam ſacerdotis, ad quem eum oportet, tanquam ad ſinum matris confugere?* S. Bern. in Cant.

XVI.

XVI. JUNII.

S. Ludgardis Virgo.

COntra ſuam voluntatem & propoſitum nobiliſſimo juveni deſponſa, Chriſtum, in re tam perplexa, conſiliarium & cupiit, & habuit. Hic enim retectô lateris vulnere copioſum ſanguinem manante, *vide*, inquiebat, *mea Ludgardis, quomodo vulnera mea clament ad te, ne fruſtra ſanguinem fuderim pro te.* Sapienti pauca dixit, ſed ſufficientia, *Ludgardis* enim indignum exiſtimans, tantum amorem, tamque divinum carnali poſthabere, ſpretis omnibus mundi commodis *Ciſtercienſium* familiæ ſe credidit, uni poſthac DEO victura. Et certè totô deinceps vitæ tempore tam ardenter JESUM ſitiit, tam calidè ſanctis ejusdem amoribus ſuccenſa fuit, ut in mortis confinio DEI Mater eidem conſpicua, cum divo præcurſore, ceu paranympho, ſic loqueretur: *euge mea Ludgardis, ſatis diu in terra fuiſti: modò te cœlum magno deſiderio exſpectat: eamus, eamus filia, eamus, ut JESUM omnis formæ decus, & ſponſum noſtrum intueamur.* O ut te ſequerer, ſponſa Chriſti! ſequar planè, ſi tantum, quantum tu, JESUM Chriſtum amem.

SENTENTIA.

BOna foramina: in quibus paſſer, & turtur invenerunt ſibi domum, & nidum: in quo columba ſe tutatur, & circumvolantem intrepida intuetur accipitrem. Ubi

tuta,

tuta, firmaque infirmis ſecuritas, niſi in vulneribus Salvaroris? *S. Bern. ſerm. 61. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. S. *Gertrudis* (non dubium quin etiam *Ludgardis*) in dies ſingulos diviniſſimæ *Triadi* profundiſſimas dicere gratias conſuevit, pro roſeis vulneribus *Sponſi ſanguinum CHRISTI JESU.* Sponſam te non probas, *anima mea*! ſi non tantundem agis. Euge! convola ad hos gratiarum theſauros: *vulnus* potiſſimùm *lateris*: per quod ad æſtuantiſſimum Salvatoris *cor* facilè pertinges. Saluta illud cum doctore melliſluo: *roſa cordis aperire, cujus odor fragrat mirè*: *te dignare dilatare, fac cor meum anhelare flamma deſiderii.*

II. Hæc *Vulnera* amanti animæ ſunt *Panoplia*, unde depromitur *armatura fortium.* Pudet *animam*, duce ſuô tot plagis conciſsô, deliciis indormire: indeque generosô auſu contumeliis peti, injuriis affici, opprobriis ſaturari calidiſſimè cupit, certa, *ſcutô SS. Vulnerum* ſe tutam, & probè munitam.

III. Hæc denique *vulnera* vivaciſſimô ſuccô fluentia, *cellæ vinariæ* ſunt, in quibus inebriantur animæ, ordinaturque in illis *charitas.* Hîc *ſanguinem uvæ bibunt mercciſſimum*: uvæ ſcilicet ab eo abſtractæ, qui ſe dixit *Vitem veram.* Accurre, anime mi! cur, neglectis hiſce deliciis, fodere porrò tibi pergis *ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas?* cur calice *meretricis*

babylonicæ inebriari potiùs vis, quàm vinô, quod *germinat virgines?* audi, quàm hôc potu ebrius ſuaviter moduletur Bernardus: *ſalve mitis apertura, de qua manat vena pura! odor tuus ſuper vinum, virus pellit ſerpentinum: potus tuus potus vitæ: qui ſtitis, huc venite: te, dulce vulnus, aperi.*

XVII. JUNII.

S. Rainerius Conf.

STetit aliquamdiu *Rainerius*, atque, utinam! memor periculorum, quibus cùm ætas omnis; tum potiſſimum adoleſcentia eſt obnoxia: faciliùs utique lapſum caviſſet. Sed impegit ad ſcopulos infidæ carnis, & innocentiæ diſpendium fecit, quô non aliud dolendum magis. Acceſſit damnabilis verecundia, quâ ex illo libidinis luto per ſeriam confeſſionem ſeſe exolvere tamdiu diſtulit, dum miſerentis DEI clementiâ, & tutelaris genii monitis animos reſumeret. Reſumpſit ergo, & pœnitentiæ ſacramentalis lavacrô ablutus, fœditatem ſuam, quâ infectus erat, tam acutè diſpexit, tam amarè deflevit, ut oculorum jacturam faceret. Elige quod vis, aut hic confundi ad tempus coram homine, aut ibi æternum coram DEO, angelis, & hominibus.

SENTENTIA.

ESt nobis dura, & deflenda conditio: peccare nos cogit fragilitas innata, & con-

confiteri prohibet confusio cognata peccati: malum enim facere pudor non est, sed confiteri: timemus dicere, quod committere non timemus. *Chrysol. serm. 34.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Est confusio adducens peccatum: & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Eccl. 4. Illâ erubescunt, dum *confessio* instituenda, qui sine rubore peccaverunt: hanc verò subeunt suâ sponte, qui non confunduntur *pro anima sua dicere verum.* Miseros nos, quòd *Confessionis* incommoda (à nobismet conficta) tantum apprehendamus: commoda & solatia nesciamus! sit *confessio* juxta Magnum Gregorium *via Paradisi*: malumus tamen *infernum* ingredi taciti, quàm *Paradisum* confessi.

II. Quodvis peccatum grave, ut nobis certum, reos nos facit mortis æternæ. Una *confessio* est, quæ malum omne tollit, & in DEI filios iteratò nos adoptat: hanc tamen fugimus, peccatum amamus. An hoc est æstimare pro merito *grande justificationis opus*, quod nostrô bonô in sacro tribunali efficitur? præterquàm quòd non desint, qui hanc sui accusationem *carnificinam* credere malint, quàm, sicut sanè est, *medicinam.* Comminatur verò DEUS huic hominum generi, quod sive per damnabilem seu verecundiam, seu socordiam, seipsum dijudicare negligit: *visitabo super viros defixos in fœcibus suis.*

III. Satis olim frequentes fuerunt *confessiones publicæ*: & adhuc verecundetur homo, depone-

re culpas *secretò* in aurem Vicarii Christi, hominis aliquando ignoti, & *sigillô* insuper arctissimè obstricti? veniet interim dies illa, quæ *revelabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium:* de qua August. *ecce! coram tot millibus populorum nudabuntur iniquitates meæ.* L. Medit. c. 4.

XVIII. JUNII.

S. Elisabetha Antistita.

REgiis parentibus progenita, Regem Christum iis præhabuit, cui ut famularetur, Divi Benedicti Ordinem ingressa, tantum virtutibus resplenduit, ut digna crederetur, quæ Parthenonis Schonaviensis Antistitam ageret. Virgini Matri devotissima, hanc in morte patronam habere meruit, audiréque verba consolatione plenissima: *Filia! certa esto, te non Christianâ modò, sed sanctâ etiam morte defuncturam.* Decem ante obitum diebus acerbissimis excruciata doloribus, patientissimam se exhibuit, atque in austeræ pœnitentiæ auctarium, cui per vitam se dederat, cilicio immori voluit. Mors eccho vitæ: bonæ bona, malæ mala.

SENTENTIA.

O Vita secura, ubi pura conscientia! ô, inquam, vita secura, ubi absque formidine mors exspectatur, imò exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione. *S. Bern. ad milit. templ. c. 1.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. MOritura confidentiùs *Eliſabetha*, ſæculo primùm mortua eſt. Religioſos utriusque ſexûs exultare aliquando in Morte, ridere, cantare, res eſt non adeò infrequens. Hoc interim privilegium inde illis conceſſum creditur, quòd mundo mortui ſint in tempore, ut DEO viverent in æternitate. Mors quidem *terribilium omnium terribiliſſimum* videtur: ſed iis ferè ſolùm, quibus *ſupplicium* eſt, non *requies*, *beati mortui*, *qui in Domino moriuntur.*

II. Mortis memoria iis potiſſimùm amara eſt, qui habent pacem in ſubſtantia ſua. Tenent eos divitiæ, quibus cor apponunt: tenent conſanguinei, amici, propinqui &c. rident verò iſta DEO dicati, velut dudum abjurata: & liberrimi, beneficium credunt, non ſupplicium, *diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO.* Gemunt hi, columbæ in morem, cum Davide: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

III. Conſtans *Deiparæ* cultus, & ſedula virtutum illius imitatio, quidquid in morte arduum eſt, mirè complanant. Obſideant æternitatis iter denſæ cacodæmonum phalanges: tranſibit intrepidus, quem *MARIA* duxerit. Et quidni hoc favoris exhibeat ſuis cultoribus, quæ deſertoribus etiam, tantum, totiesque ſe propitiam præſtitit? imò hoc ipſum ſpem tuam firmet, *anime mi!* nihil illi pro te negandum, ſi fideliter *MARIÆ* ſervias. *Data eſt tibi* (ô DEIpara) *omnis poteſtas in cælo & in terra: & nihil tibi*

impoſſibile eſt, cui poſſibile eſt deſperatos in ſpem ſalutis revocare. S. Petr. Dam. ſerm. 1. de Nativ. Virg.

XIX. JUNII.

SS. Gervaſius & Protaſius MM.

VItalem & *Valeriam* parentes habuêre *Gervaſius* & *Protaſius*, Martyrii Laureâ decoratos: cui obtinendæ ut parentum exemplo pararent ſe filii, venditis primò poſſeſſionibus ampliſſimis, & pretiô pauperibus erogatô, ſervis etiam manumiſſis, juſtum decennium in exactiſſimo DEI ſervitio decurrerunt: quæ res falſorum numinum myſtas popásque tam ægrè habuit, ut *Aſtaſium* comitem in piorum fratrum cædem incitare tamdiu non deſinerent, dum homo ſuôpte ingeniô ferox, & Chriſtiani cruoris ſitiens, in quæſtionem adductos, & Chriſtum conſtantiſſimè confitentes, gladiô, unum alterum plumbatis crudeliter enecaret. Malis diſplicuiſſe, nunquam bonis diſplicuit.

SENTENTIA.

SIcut Rex imagine ſuâ honoratur: ſic DEUS in homine diligitur, & oditur. Non poteſt hominem odire, qui DEUM amat: nec poteſt DEUM amare, qui hominem odit. *S. Chryſoſt. in Matth. c.* 22.

REFLEXIO.

PUNCT. I. AGonem Martyrii decurſuri pugiles gemini *Gervaſius* & *Protaſius*, facultatum ſuarum diſpendia facere, quàm illarum curis

curis prægravari maluerunt. Liberum esse oportet Martyrem à carne & sanguine: divitiis item & sæculi nugis: alioquin quî tormenta superabit, si in hisce minoribus cupidati suæ subjaceat? da Domine, ne ullâ re creatâ distinear, atque ab amore tui præpeditus, hisce temporalibus serviam, quibus imperare me voluisti.

II. Decennali pietatis exercitiô fatali luctæ præluserunt Athletæ prudentissimi. Fallitur quisquis de externis fidei hostibus victoriam sibi spondet, si ab internis vinci se quâvis occasione patiatur. Sanè assuescendum primò est pugnæ domesticæ, subjugandis nimirum animi passionibus, frœnandæ iræ, cupiditatibus compescendis &c. priùs, quàm in publicum prodeas. *Quòd si qui in pravis animi motibus edomandis, versutissimique hostis insidiis cognoscendis non se multùm ac diu exercuerint, ipsis cogitandum relinquo, quantum periculi adituri sint, cùm lacessent mundum, qui totus positus est in maligno.* S. Franc. Xav. Epistolar. L. 3. Epist. 5.

III. Martyres istos *sacrificulis* displicuisse, laudi iisdem cessit, non vituperio. Noluit Propheta regius caput suum *oleô peccatoris* impinguari. Imò suos discipulos monuit ipse Christus, malorum odium non ægrè, sed hilariter ferre. *Beati eritis, cùm vos oderint homines.* Amat mundus similes sibi: dissimiles odit & execratur, *Semper offendunt bona malos, pia impios, sacra profanos.* S. Chrysol. ser. 33.

XX. JUNII.

S. Itisberga V.

FIlia *Pipini* Galliarum Regis, ſoror *Caroli* Magni Imperatoris etſi audiret, *Chriſti* tamen ſponſa & dici, & eſſe maluit: pro qua quidem dignitate conſequenda Luſitaniæ Regis nuptias generosè recuſavit, ſic ſuadente, & animante *Venantiô*, conſcientiæ moderatore. Reſolutionem multùm impediit *Itisbergæ* pulchritudo eximia, Luſitano ſic adamata, ut altiora quæque propoſita illius, quam ſponſam cupierat, planè negligeret: pro quo inſanè amantis errore corrigendo, precibus illa deſuper obtinuit, ut fœdiſſimâ ſcabie vultum deformata, tantum Regi diſpliceret, quantum antea placuerat: DEO non item, qui & priſtinam pulchritudinem paulò poſt *Itisbergæ* reſtituit: ac pulchritudinis internæ nunquam & in minimo defectum paſſam, arctâ ſacratioris conjugii lege ſibi copulavit. Pulchritudo res infelix eſt: ſed iis tantùm, qui uſum illius neſciunt.

SENTENTIA.

PUlchrè à conditis amorem ſubtrahunt, qui in ipſum auctorem pulchritudinis cordis paſſibus tendunt. *S. Greg. in Regiſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PUlchritudo corporis Ambroſio eſt *pictura DEI*: Auguſtino *bonum DEI donum.* Imò eam æſtimâſſe videntur ipſe

DEI

Dei Filius, & hujus Virginea Parens : dum ille fuit *ſpecioſus formâ præ filiis hominum:* hæc (etiam ſecundum ſpeciem externam) *pulcherrima inter mulieres.* Tale donum ſi & tibi contulerit *Auctor naturæ*, illi gratias refer : & hanc formæ præſtantiam mentis internâ venuſtate non æquare ſolùm, ſed ſuperare contende.

II. Vitiô noſtrô etiam hîc fit, ut alibi paſſim, bonum fieri malum. Pulchritudine corporis abutimur aliquando in noſtram & aliorum perniciem & ſcandalum, quando eam vel adſcititiô fucô corrumpimus : vel, quod deteriùs, eâ tanquam laqueis alios irretimus. Contra prius ita loquitur Ambroſius : *neglecta decoris cura plus placet : & hoc ipſum, quòd nos non ornamus, ornatus eſt.* L. de Virginit. Contra poſterius verò ita pronuntiat Hieronymus : *ſi vir, vel mulier ſe ornaverit, & vultus hominum ad ſe provocaverit, etſi nullum inde ſequatur damnum, judicium tamen patietur æternum : quia venenum attulit, ſi fuiſſet qui biberet.* in Epiſt.

III. Optima igitur illa pulchritudo, quæ eſt ab ornatu virtutis. Hâc anima ſic ornatur, ut ejus decorem Rex concupiſcat. Hæc forma digna eſt imperiô, nec, niſi iſtâ inſtructi, ſpeculabimur olim pulchritudinem illam increatam, *tam antiquam, tamque novam.* Hæc denique nunquam marceſcit, nunquam vel maculæ alicujus vel rugæ periculum patitur, niſi à vitiis, quæ faciunt faciem animæ denigrari *ſuper carbones.*

XXI. JUNII.

S. *Aloysius Gonzaga.*

MArchio *Castilionensis*, & sacri Romani Imperii Princeps, sanguinis illustrissimi decora virtutum splendore sic acuit, ut, septennis, angelo, quàm homini videretur similior. Innocentiâ enim vitæ mirabili, & exempli sanctioris fragrantiâ omnium in se oculos, animosque convertit. Puritatem mentis & corporis, quam conceptô piè votô Beatissimæ Virgini *Florentiæ* nuncupârat, tam industriè custodiit, ut non modò non aliarum mulierum formas, sed nec ipsius illustrissimæ parentis faciem obtutu fixiore aliquando specularetur. In societatem JESU à DEIpara vocatus, parvô annorum curriculô virtutum exemplar absolutissimum evasit, amore divino sic exæstuans, ut in carne velut extra carnem positus *Seraphinum* referret, non hominem. Consumatus denique in brevi, & non tam morbô, quàm amore consumptus, animam nullô unquam gravioris delicti tabô sordidam cœlo transmisit, candidissimis virginum agminibus sociandam. Modicô tempore vivit diutissimè, quisquis vivit ut *Aloysius.*

SENTENTIA.

FOeces senectutis vestræ immolatis altissimo, qui juventutis & adolescentiæ vestræ florem in rebus nugatoriis expendistis. *Petrus Cellens. Epist. 6.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. A *Loyſium* ſuum in maximis partûs doloribus Virgini Lauretanæ, devovit parens marchioniſſa. Inde pietatis igniculi, qui è vix nati vultu, & geſtibus promicabant: inde tota vitæ reliquæ ſanctitas. Felicem te, ſi pari pietatis ſenſu DEO à parentibus antea conſecratus fueris, quàm genitus. Quam tamen ſiquidem illi neglexerint, tu vel adhuc hodie ſuppleto, certus, tuum te animum non alterius fidei tutiùs commiſſurum, quàm DEI & DEIparæ.

II. Jugo Domini à prima ſtatim pueritia humeros ſubdidit *Aloyſius*, probè gnarus, DEUM non aliâ re magis oblectari, quàm hiſce non parvis parvulorum conatibus. Miramur aliquando virilem ætatem inter vitia plurimis tam fœdè diffluere. Quæ cauſa ejusmodi ſordium? utique juventus & adoleſcentia temerè neglectæ. Cerei ſumus in adoleſcentia, & quàm vitiis, tam virtutibus apti. Tum verò ubi vel iſtæ fuerint impreſſæ, vel illa, facilè indureſcimus. *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt.* S. Hieron. Ep. 7. ad Lætam.

III. Cùm igitur, quod prudenter *Seneca* notat, *meliora prætervolent, deteriora ſequantur.* Epiſt. 108. maturè proſpectum eamus ſaluti noſtræ: memores, feſtivè quidem, veraciter tamen dicere ſolitum B. Ægidium, ſeraphico *Franciſco* familiariſſimum: *carnes ſaliendas eſſe antè quàm computruerint: fruſtra enim putridis ſalem aſpergi.* Et quoniam hæc ipſa res tanti eſt ponderis, & momenti, DEO, & DEIparâ inconſultis,

tis, ad exemplum *Aloysii* nil porro præsumamus. Docebimur nos, hisce magistris, quæ sit *voluntas DEI bona & bene placens, & perfecta.* Rom. 12. v. 2.

XXII. JUNII.

S. Paulinus Episcopus Nolanus.

MIra fuit charitas sancti hujus antistitis, quando non modò patrimonium, quod habuit amplissimum, sed & redditus Episcopales, ac quod his omnibus superius est, se ipsum denique pauperum usibus cessit. Wandalorum sævities plurimos Italiæ, & Campaniæ cives in miserandam servitutem abstraxerat, ínque his viduæ filium unicum. Huic redimendo lytrum ab Episcopo petiit afflicta parens, & obtinuit: ipsum videlicet Præsulem, quòd pecuniarium non suppeteret. Hic ergo à misella in Africam abductus, *Alarici* regis genero mancipium serviit, viduæ filium exemit. Horto excolendo præfectus, illum juxta ac animum sic curavit, ut gentilis heri, plùs DEI oculos recrearet. Agnitus tandem non modò honorificentissimè dimissus est, sed & in debitum charitatis suæ præmium, omnes civitatis suæ captivos, liberos secum abduxit. Mortem illius non Christiani modò, sed Judæi etiam & gentiles acerbè deplorarunt; tum maximè, ubi defuncti faciem angelico candore radiantem coràm aspexerunt. Ammodò *Hieronymo* fidem habebis, dicenti: *non memini me legisse malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit.*

SEN-

SENTENTIA.

ESt charitas, non nuda verba, non ſalutationes ſimpliciter præſtitæ, ſed præſidium ac patrocinium, operibusque ipſis conjuncta voluntatis demonſtratio. *S. Chryſoſt. Homil. 7. in Ep. ad Rom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUam verè inquiit Auguſtinus in Pſ. 36. *Semper habet unde det, cui plenum eſt pectus charitatis.* Defuerint *Paulino* pecuniæ, & media quæque, miſeris juvandis idonea, non defuit ipſe ſibi. Se dedit, ut daret id, quô majus non habuit. Auxilium aliquando, aut conſilium te rogat proximus, tu tamen rogantem ſpernis. Panis buccellam, & frigidam aquæ petit egenus, & denegas. Quâ conſcientiâ? quid ſi teipſum peteret;

II. *Nunquàm DEI amor otioſus eſt,* ſi Gregorio credas. *Operatur magna, ſi eſt: ſi verò operari renuit, amor non eſt.* Dilectio proximi amori Divino cognata paris omnino cum hoc eſt indolis. Habet ſemper quod operetur, ſi non in effectu, in affectu certè. Atque ubi in effectu operari ſtatuit, non jam frivolis utitur: verbis, puta, ad omnem politiam compoſitis: fucatis ſervitiorum obſequiis, quod aulicis familiare: ſed efficaci præſidio: & auxilio. Promitte, condicito, teſtare, & conteſtare, quantum lubet: nil agis, ſi non aliud agas. *Probatio enim dilectionis, exhibitio eſt operis.*

III. O-

III. Opus eſt aliquando, ut bono proximi teipſum, tuaque impendas, & hoc grave videtur. Miſerum te, quod in hoc charitas exercitio commoda terrena quæras, æterna negligas. Ethnici etiam diligentes ſe diligunt, utilibus ſibi benefaciunt: quid porrò indè mercedis ſperent? utique ultra ejus, quam receperunt, non micam. Difficultatem in te impendendo ſenties nullam ubi purgatò rationis oculô charitatis faciem non obliquè, ſed ſincerè aſpexeris. *Verus amor non ſentit amaritudinem, ſed dulcedinem.* S. Aug. l. 13. Conf.

XXIII. JUNII.

S. Chriſtina Mirabilis.

SIc dicta fuit à vita prorſus mirabili, quam inter quotidiana & acerbiſſima tormenta, *manium purgantium* bono decurrit. Mortua juvenis, inque purgatorii carcerem, & inferni voragines abducta, non ut lueret, ſed luentium ſupplicia ſpectaret: tum verô vitæ denuo reddita, voluntariis cruciatibus tantum conferre ſtatuit, ſopiendis, vel mitigandis ſaltem illis incendiis, quantum per DEI gratiam poſſet. Ignibus ergo jam toſta: jam aquis bullientibus elixa: modò patibulis per dies integros ſuſpenſa: ferarum aliàs morſibus fœde lacerata: vexata denique ab amicis & cognatis, quibus à dœmone videbatur inſeſſa, per quadraginta duos annos ea perpeſſa eſt, quæ mortem millies intuliſſent, niſi DEI omnipotentia corpus ejusdem novis, novisque ſuppliciis identidem reſervâſſet. Facilè cruciatus hujus ſæculi ſuperat, quisquis futuri ſupplicia metuit.

SEN-

SENTENTIA.

ANimabus purgandis carcer purgatorii reddit meritum impossibile, jugum ineffugabile, debitum insolubile, incendium intolerabile. *S. Bonav. serm. in die anim.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. Misera, & sanè deploranda est animarum purgantium conditio: satis pati possunt, satisfacere non possunt: juvari tamen possunt vivorum suffragiis, quæ isti, utinam tam promptè sufficerent, quàm cupidè poscunt iis olim non indigere. Magnæ hominum parti corporales eleemosynas elargiri prohibet vel facultatum tenuitas, vel paupertas spontaneè suscepta: non uni illorum copia adimitur spiritualibus temporales compensandi quæ tamen distributio negligitur.

II. Momentis omnibus meritorum occasio largissima mortalibus suppetit, ut si modô velint, dormientes etiam, suam augere gloriam possint. Hæc tamen occasio heu! quoties abjicitur! faceremus saltem animarum bono, quod proprii profectûs causâ facere nos piget. Magna est animarum mendicitas, quæ impedit solutionem debiti, quod peccando contraxerunt. *Nam manente reatu peccati, & deficiente monetâ meriti, non possunt solvere, quod ab eis exigitur, nisi per violentiam supplicii.* S. Bonav.

III. Non dubium, aliquatenus acerbitatem ignium purgantium eos mitigare, qui animarum bono charitativè sese ipsos discruciant. Verùm,

ô quàm modica eſt hæc *imminutio!* ſi ignes fornacis Babylonicæ; ſi graviſſima martyrum tormenta vix umbra dici poſſint ad piaculares illos ignes: pauculi flagellorum ictus, ſubtimidâ manu tergo inflicti, num æſtimari merebuntur? anne aliquid ſit cilicii ſemi detriti geſtatio horaria? interim *ibi gravior erit una hora in pœna, quàm hîc centum anni in amariſſima pœnitentia.* Thom. Kemp.

XXIV. JUNII.

S. *Joannes Baptiſta.*

EA virtutum præſtantiâ enituit *Joannes,* ut non modò Prophetarum, Angelorum, Evangeliſtarum, ſed & ipſiusmet Servatoris ore laudari promeritus ſit. Innocentiſſimus licet eſſet, atque in ipſo matris utero ſanctificatus, à tenera tamen ætate rigidiſſimam auſpicatus eſt vitam, in vaſtæ eremi ſolitudine rerum omnium penuriam paſſus, nec niſi locuſtis, melle ſilveſtri, & frigidâ victitans: veſtitus verò pilis camelorum, & zonâ pelliceâ lumbos præcinctus. Ut multos filiorum Iſraël converteret ad Dominum DEUM ipſorum, vitæ exemplis verborum tonitru addidit: tantôque id cum fructu, ut judæorum profligatiſſimi, phariſæi videlicet, & publicani, illum convenirent, confitentes peccata ſua. Atque utinam ſapiiſſet etiam horum exemplô *Herodes* judæorum rex, vitiorum mancipium! non utique *Joannem,* inceſtûs fœdiſſimi reprehenſorem, ſaltationi petulantiſſimæ præmium deſtináſſet. Sed minui capite debuit, ut virtute inter natos mulierum maximus, gloriâ quóque creſceret tantum, quantum

creſ-

creſcere par erat *Chriſti præcurſorem*, *Virginis ex conſobrinâ nepotem.* Hoc virtutum paradigma niſi elaboratiſſimum videas, nil profectò vides.

SENTENTIA.

COrporalis ſaltus eſt, totum corpus à terra ſuſpendere; ſpiritualis ſaltus eſt, ſpiritum, & totum, quod ſpiritus eſt, à terrenis abalienare. *Richard. Victorin. in Pſ. 113.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Joannes* materni adhuc uteri clauſus angustiis, ad *incarnati Verbi* præſentiam lætus exiliit. Exultant, qui DEUM cupiunt, gigantum more, ad currendam perfectionis ſemitam. Eunt *de virtute in virtutem*, donec videant *DEUM deorum in Sion.* Heu nos miſeros, quòd in hunc usque diem dormitârint animæ noſtræ *præ tædio.* Aliter in poſterum erit. Curremus poſt *præcurſorem:* nec deerit DEUS conatibus noſtris, ut & *feliciùs* curramus, & *velociùs.*

II. Currendum porrò, dum vires adhuc vegetæ ſunt, alioquin vel modicùm, vel nihil proficietur. Securiùs præ reliquis viam ſuam emetientur, qui cum *Joanne* turbas, quantùm poſſunt, devitant. In ſolitudine (item in clauſtris) magnis ſemper paſſibus, ductore, & doctore DEO, ad perfectionem contenderunt ſancti. Multis verò vitiis ſeſe inquinârunt vitioſorum cœtibus miſti, de quibus *ſecum habitantes* ne ſomniáſſent quidem. *Lætus exitus triſtem ſæpe reditum parit.* Thom. Kemp. de Imit. L. 1. c. 20.

III. Introeat igitur, qui ſalutis ſuæ ſtudioſus eſt, *cubile cordis;* hîc advertet, quantùm per ſuperbiam receſſerit ab humilitate *Joannis*, per tepiditatem ab hujus fervore, per ſenſualitatem, ab illius mortificationibus, per timiditatem ab ejus fiducia, qua néque ad purpuræ ruborem erubuit æqui amantiſſimus præco. *Præcurſorem* æmuletur ſaliendo in montibus, & virtutes virtutibus cumulando: tranſiliet difficultatum colles, dum capiat bravium currentibus propoſitum. Monet gentium doctor: *ſic currite, ut comprehendatis.*

XXV. JUNII.

B. Henricus ex Canonico Præmonſtratenſi Epiſcopus Olomucenſis.

PAtrem habuit *Uratislaum* primum Bohemiæ Regem; nec tamen illius eſſe hæres cupiit, ſatis divitiarum habiturum ſe autumans, ſi pauperi *Chriſto* in religioſo quodam Ordine famularetur. Placuit præ aliis inſtitutum Præmonſtratenſe, cui dum ſe mancipavit in *Strabovia*, principe Metropolis Bohemiæ Cœnobio, iis in brevi virtutum ſplendoribus refulſit, ut digniſſimus haberetur, qui Epiſcopali *Olomucenſium* eccleſiæ præſideret: quod munus, quia conatu omni ſubterfugere non poterat, tam dextrè adminiſtravit, tantô cum miſerorum ſolatio, ut plus ornamenti conferret ille dignitati, quàm dignitas illi. Plurimùm laboravit pro cœlibatu ſacerdotum, pro tuendis eccleſiarum juribus, pro ſervanda pace publica: & demum multis pro DEI gloria fundatis, ac extructis locis piis, ad ſuperûm habitationem

hâc

hâc die transiit. *Bona commutatio, quâ pro regno terreno, cæleste comparatur.*

SENTENTIA.

PRo magno diligi non debet, quidquid fine concluditur : illa appetenda , illa magnopere diligenda, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt, *S. Greg.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Transit mundus & concupiscentia ejus.* 1. Joan. 2. Transeunt regna, & omnis illorum gloria, quæ tanta utique non est, quanta videtur. *Quod regnum est*, quærit Seneca, de tranquil. an. *cui non sit parata ruina, & proculcatio, & Dominus, & carnifex?* hinc non mirum, sanctos despexisse terrena, sceptra, diademata, coronas, pedibus protrivisse. Paris nimirum cum apostolo sensûs fuerant, qui omnia arbitratus est *ut stercora, ut Christum lucrifaceret.*

II. Honor fugientes sequitur, sequentes fugit. Fugit *Henricus* regni decora: & ad Episcopalem vocatus dignitatem, tantò regibus præstitit, quantò aurum metallis reliquis. Si enim simplicis sacerdotis dignitas, ex mente SS. PP. regiam multùm transcendat: quantò magis dignitas sacerdotis tanti? ut tamen hæc identidem crescceret, accelsêre virtutes eximiæ, tanquam jugiter sibi metuisset à magni Gregorii dicto: *cùm allevatur, dejicitur, qui honoribus proficit, & moribus deficit*, in Registro.

Digitized by Google

III. Stabiliendo ſacerdotum cœlibatui, propugnandis eccleſiæ juribus, firmandæ paci publicæ, omnem quam potuit impendit operam *Henricus*, probè gnarus, non aliâ re magis in plura diffluere ſolere animos, quàm occupationibus uxoriis, bona inſuper eccleſiarum Epiſcopis credi ut *depoſita*: pace denique finibus Epiſcopatuum proſcriptâ, viam vitiis complanari. Sequamur, ſacerdotes exemplum inſigne, in ſtudio *puritatis*, *frugalitatis*, *pacis*: ſicque ad apoſtoli præſcriptum erimus *forma gregis ex animo*.

XXVI. JUNII.

S. David Anachoreta.

UT animum ſervaret ad cœleſtia recollectum, corporis evagationes extremè fugit, oditque. Annis octoginta uni incluſus cellulæ, ſpatioſiſſima ſe inhabitare palatia credidit. Sanctitatis ſtudio tantum in hac ſua ſolitudine ſe impendit, ut prodigiosâ à DEO luce, quæ liquidis è turguriolo illius flammis erumpere in noctes ſingulas videbatur, honorari mereretur. Quæ quidem flammæ, ut ſanctitatis illius indices fuerunt; ſic viam *Palladio* præluxerunt ad audendum ſimilia, & promerendum paria. Si, inquiebat iſte, ſic reſplendent, in hac etiam vita, ſanctorum merita, quâ demum luce fulgebunt in beata illa æternitate, cùm illorum animæ DEO appropinquabunt, luci mortalibus inacceſſibili? *ut nullibi eſt, qui ubique eſt: ſic qui ſecum eſt, ibi eſt, ubi illum eſſe maximè convenit.*

SEN-

SENTENTIA.

FAciliùs eſt domi latere, quàm foris ſe poſſe ſufficienter cuſtodire. Qui igitur intendit ad interiora, & ſpiritualia pervenire, oportet eum cum JESU à turba declinare. *Thom. Kemp. de Imit. l. 1. c. 20.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ANni aliquando complures impenduntur à ſæcularibus in addiſcendis quibusdam vel ſcientiis, vel artibus. Quidni idem fiat à religioſis, ut addiſcant *cognitionem ſui*, homini à ſæcularium ſorte diſcreto primò & præcipuè neceſſariam? hæc verò *ſui cognitio* non ab aliis citiùs capitur, quàm ab amantibus recollectionis internæ. Uti enim flamma libero aëri expoſita citò diſpergitur: ſic & grande illud negotium ſine fructu ſuſcipitur, ſi mens extra ſe vagetur.

II. Huic verò evagationi cavendæ, præter alia media, excogitatum etiam eſt religioſum *ſilentium*. Facit hoc, ut in numeroſo etiam ſociorum cœtu minimè depereat receſſus ille mentis, quem ut ſervarent integrum, vaſtiſſimis frequenter eremis ſeſe abdiderunt priorum temporum ſancti, ſanctæque. Viſa quidem hæc vita eſt *triſtis, aſpera, melancholica:* verùm iis tantùm, qui non norunt, quàm ſit dulce cum DEO converſari. *Viderint alii quid ſentiant, unusquisque enim ſuo ſenſu ducitur: mihi oppidum carcer, & ſolitudo paradiſus eſt.* S. Hier. Epiſt. 4. ad Ruſt.

III. Incedunt, qui pari ſolitudinis amore tenentur, *quaſi triſtes*, ſunt autem *ſemper gaudentes*: ſunt & *verè gaudentes*, cùm ſibi certò perſuadeant, verum gaudium non in exterioribus, *riſu*, *garrulitate*, *vagationibus*, &c. contineri: néque his ſatiari animum majoris boni capacem: ſed rebus ordinis longè altioris. Et quî non gaudeant *ſolitarii*, cùm DEUM habeant & magiſtrum ſtudii ſui, & objectum? *ſolitaria vita cœleſtis doctrinæ ſchola eſt: illic namque DEUS eſt totum quod diſcitur.* S. Baſilius.

XXVII. JUNII.

S. Samſon Conf.

GEneris dignitatem, quâ inter Romanos multùm eminuit, divitias, quas ex ampliſſimo patrimonio innumeras propè poſſidere poterat, generoſô animô tantum deſpexit, ut iis niſi in pauperum ſubſidium uti penitus nollet. Medicinæ ſtudio addictiſſimus *Conſtantinopolim* ſe contulit, ibidémque domum ſuam publici ad inſtar noſocomii habuit: adeò multi fuerunt, quos à pertinaciſſimis non modò corporis, ſed & animi morbis ſanos reddidit. Hos inter ipſemet imperator, qui tum Orientis ſceptra moderabatur, ulcere inſanabili laborans, ſolo viri ſancti contactu plenè convaluit: in cujus gratiæ vicem, ædem hoſpitalem omninò celeberrimam *Samſonis* domui contiguam extruxit. *Samſon* vitâ in operibus charitatis fructuosè traductâ, placidâ morte deceſſit, poſt hanc quóque charitatis non immemor, quam palàm oſtendit, ubi præſentiſſimum periculi

in-

incendium ab auguſtiſſimo *Sophiæ* templo, cunctis in aëre ſpectabilis, disjectis, diſpulſisque flammis providè avertit. Vide quàm charitas non ſit otioſa!

SENTENTIA.

Dilectionem ſi habueris, néque pecuniarum ſenties ſumptum, néque corporis laborem, néque moleſtiam verborum, néque miniſterii ſudorem, ſed omnia generosè feres, ſive corpore, ſive pecuniis, ſive ſermone, ſeu quôvis alio proximo ſuccurrendum ſit. *S. Joan. Chryſoſt. Hom. 21. in Epiſt. ad Rom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CHaritas, ſi perfecta ſit, proximo ſe totam impendit. Magna cogitat, mira adinvenit: verbô, proximum veiut *ſe alterum* ſpectat, qui ex veræ charitatis legibus vivit: adeò, ut quæ ſibi vel fieri vellet, vel nollet, eadem vel proximo faciat, yel facere caveat: atque iſtud non ſordidi quæſtûs causâ, ſed ex nudo integerrimi affectûs præſcripto. An talis fuit hactenus tua charitas? *incipit homo amare, & non amabit in homine niſi DEUM.* S. Auguſt.

II. Medicina *Samſoni* medium fuit exercendæ ampliùs charitatis. Etiam tu medicum age: néque tamen corporalem aliis medicinam adhibeas, ſed ſpiritualem, quæ ſcilicet internos animi morbos fortiter profliget. Atque in iſto quoque eum ordinem ſervare memento, ut antea tuum animum, quàm aliorum perpurgandum memineris.

Digitized by Google

Hîc enim vel maximè charitatis exercitium quivis ordiri debet a ſe ipſo. *Improbus, & imperitus eſt medicus, qui alienum mederi appetit, & ipſe quod patitur neſcit.* S. Gregor. in Paſtor.

III. Magno denique in ſuos charitatis affectu ferri debent, qui animarum curam gerunt, ſi eosdem cum morbis etiam corporalibus conflictantes pro officii ſui ratione inviſant. Cogitant patres ſe eſſe, nec abſterreantur vel vilitate decumbentis, vel morbi malignitate. Facit hæc charitas quâ corporalibus morbis compatimur, ut ſpirituales etiam infirmitates à decumbente fidentiùs detegantur. Utinam omnes animarum medici ejus imbuantur & animentur ſpiritu, qui dixit: *quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. ad Cor. 11. v. 29.

XXVIII. JUNII.

S. Potamiæna V. & M.

INfinitas propè pugnas (ut vitæ ſcriptor *Euſebius* Cæſarienſ. aſſerit) pro corporis pudicitiâ, & virginitate, contra inſanos amatorum ſuorum impetus conſtanter ſuſtinuit, victrix ſemper, devicta nunquam. Ab impuriſſimo præſide gladiatorum petulantiæ tradita, ſatellitum è numero habuit, qui eam defenderet: *Baſilidem* nimirum, ingenuè ad ſordes illas erubeſcentem, utut cæterà gentilem. Hic ergo Virginem omni conatu ab injuriis vulgi & laſcivorum militum defendit tamdiu, dum ignibus conſumpta puriſſimum DEO ſpiritum redderet, æternæ ſecuritatis ſedibus inferendum. Præmium tutelæ *Baſilides* accepit converſionis gratiam, & poſt triduum palmam mar-

martyrii, quâ cum victor ſupera ſcandit, æternùm ſociandus *Potamiænæ* ſuæ, quam caſtè adeò deperiit. Virginitatem *angeli* ſecurè poſſideant: plus lucri *hominibus* accedit, quòd difficulter, & certaminibus, quotidianis eam propugnent.

SENTENTIA.

VIrginitatis certamen magnum quidem, & præclarum, ac divinum eſt (nam adverſus corporis voluptates ipſi bellum eſt) at in aliis certaminibus labores minuit. *S. Iſid. Peluſ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. V*Irginitas* vel ex eo commendatur, quôd vigilantiâ tantâ à tantis Virginibus fuerit cuſtodita. Nimirum, *quod rarum, charum.* Rarus verò Virginum numerus, comparatione aliorum, qui *non capiunt verbum hoc.* Agito quod potes, anime mi! in ſervanda re pretii tanti. *Omni cuſtodiâ cuſtodi* non modò *cor tuum*: verùm & ſenſus. *Senſus, per quos animus eminens, & ad res terrenas ſe exercens, ea quæ placent arripit, & apprehendit, feneſtras ſcriptura appellavit, quos ſermo morti aditum pateſacere dicit.* S. Gregor. Nyſſen.

II. Dimicandum igitur aſſiduè contra concupiſcentias, *quæ militant in membris noſtris:* hæc enim eſt noſtra conditio. *Angelos DEUS collocavit non in ſummo, ſed in tuto: homines autem nec in ſummo, nec in tuto, ſed in cauto.* S. Gregor. In tuto eſt angeli puritas: non item noſtra. No-

ſtra tamen præmii ferax eſt, non angeli. DEUM roga, ut, qui transgredi potes, non transgrediáre.

III. Præmium *Baſilidi* amatæ in *Potamiænæ* & propugnatæ caſtitatis martyrii laurea fuit: nec aliud pretioſiùs dari potuit: imò nec *puritati* congruentiùs cùm hujus ſtudium ad martyrii naturam accedat proximè. Multa martyribus toleranda ſunt: non pauciora Virginibus. Certandum prioribus illo cum hoſte, qui corpus ſolùm perdere poteſt, non animam: Virginibus verò dimicandum cum eo, qui ſi finaliter vincat, corpus & anima perdentur *in gehennam*. Vide, quàm te militem Chriſti probes, ſi Virgo vivas. *Non* enim *ideo laudabilis Virginitas, quia & in martyribus reperitur, ſed quia ipſa martyres facit.*

XXIX. JUNII.

SS. Apoſtoli Petrus, & Paulus.

PEtrus & *Paulus*, quos DEUS conſtituit *Principes ſuper omnem terram*, meritorum tam ſublimium initia & progreſſus ſingulariſſimæ DEI Clementiæ debuerunt. Prior perfidus, alter eccleſiæ perſecutor, multùm exerrârunt à tramite veræ ſanctitatis: DEI tamen miſericordis manu in eundem reducti, ſuos errores úsque adeò fuerunt deteſtati, ut *Petrus* omnibus vitæ ſuæ diebus continuis lacrimarum imbribus elueret, quæ ſemel ad ignem incautè deliquerat: *Paulus* verò detersô glaucomate, quod judaiſmus interno mentis oculo obduxerat, adeò nil ore proloqueretur, nil mente volueret, præter *JESUM, & hunc Crucifixum*, ut diviniſſimum hujus nomen caput jam

dum

dum à cervice reſciſſum triplici ſaltu poſtremùm ſalutaret. Facilè cum DEI gratia ad eximiam ſanctitatem pertingit, qui cordis aditum non facilè illi obſerat.

SENTENTIA.

QUis jam deſperet aut de humilitate generis, aut de magnitudine criminis, cùm videat ſic abundâſſe cœleſtis gratiæ fontem, ut & piſcatorem regibus præponeret, & perſecutorem Apoſtolis coæquaret? *S. Aug. ſerm. de SS. Petrus & Paulus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FIdem in Chriſtum ardentiſſimè profeſſus eſt *Petrus*, ſimulque ipſam hanc fidei Profeſſionem aliis præivit Apoſtolis, dicendo: *tu es Chriſtus filius DEI vivi* Matth. 16. circa quod effatum ita diſſerit S. Leo: *Petrus per revelationem ſummi Patris corporea ſuperans, & humana tranſcendens, vidit mentis oculis Filium DEI.* Confitere DEUM, ſed integrè, verbis ſcilicet & factis. *Credere, intelligere, & facere conſequuntur.* S. Baſil. de Baptiſ.

II. Eandem fidei profeſſionem gentium doctor in ſuis expreſſit epiſtolis tot ferè actibus, quot periodis. O quàm in omni pagina ibi ſuavia de Chriſti Servatoris humanitate & DEItate! de miſericordia Patris, ſapientia Filii, bonitate Spiritûs ſancti! quàm ſanctum occupari ſimilibus! quàm miſerum eſſe in iſtis rudem! quàm miſerrimum cum vera in DEUM fide mores combinare

velle

velle â fide alieniſſimos! at verò, ut conqueritur Magnus Gregor. *Plurimi fidem tenent, vitam fidei non tenent.* 16. Moral.

III. Ardentiſſimus in DEUM & Chriſtum amor conſecutus eſt ſinceram hanc in utroque Apoſtolo fidem: nec aliter potuit. *Non charitas*, inquit modò cit. Greg. *fidem, ſed fides charitatem præcedit.* in Ezech. Parum amamus DEUM, quia non credimus ſicut oportet. Parùm verò nos amare, ſæpe ſæpiùs probat electio præpoſtera, quâ DEO creaturas præferimus. Anne in omnibus cum Apoſtolo dicimus? *charitas Chriſti urget nos.* Fac quidquid vis, niſi diligas, nullus es. E contra: *dilige, & fac quidquid voles.* S. Auguſt. de verb. Dom.

XXX. JUNII.

S. Martialis Epiſcopus.

INter ſeptuaginta duos *Chriſti* diſcipulos tantum virtute, & doctrinâ profecit, ac enituit, ut dignus æſtimaretur, qui *Gallias* converteret. Et verò munus iſtud dexterrimè adminiſtravit, maximôque cum fructu, quem, ut ampliorem in horas colligeret, duodenos angelos habuit adjutores. *Valeriam* Virginem nobiliſſimam, quam *Stephani* ducis Aquitaniæ mucro caſtitatis victimam fecerat, quòd connubium cum illo repudiaſſet, vitæ reddidit *Martialis*, unáque gentilium quindecim millia numero fidelium addidit. *An, putas, miniſterium ſuum implevit?* ſequere præcurrentem, atque ut vel peccatorem unum in viam virtutis recurrere facias, omnem impende operam.

SEN-

SENTENTIA.

TRes ſunt paſtoris voces: ſuavis, dulcis, & alta. Suavis ad infirmum: dulcis ad morientem: ad ſurdum pertinet alta. *Hugo de clauſtr. anim.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FEliciſſima diſcipulorum Chriſti turba, quid aliud à magiſtro, animarum amantiſſimo, diſcere potuit, quàm nobilem animarum zelum? utinam hoc etiam inſtructi ſint quibus animarum cura commiſſa eſt! & cùm unius etiam animulæ converſio angelis longè ſit jucundiſſima, in beatos illos ſpiritus ne injurii ſint, eosdem hôc gaudiô, quod ſolertiâ procurare poſſent, ſocordiâ ſuâ privando!

II. Animæ pretium ſolus is novit, qui pro ea mortuus eſt. *Anima etiam peſſima*, inquit Auguſt. *melior optimô corpore.* l. 9. de Civit. c. 9. quòd ſi in eâ ſpectentur non naturalia tantùm, ſed ſupernaturalia, gratiæ videlicet dona, quanta erit? hæc ipſa tamen anima, ut notat idem doctor, *aut à DEO regitur, aut à diabolo.* ſerm. 84. de temp. prout nimirum in ſe habuerit vel gratiam, vel peccatum. Illis enim, qui in corpore vivo mortuam circumferunt animam, non injuriâ dicetur illud Chriſti: *vos ex patre diabolo eſtis.*

III. Ferat jam animarum paſtor depoſitum tam nobile tam neglectim haberi ab hoſte peſſimo? præſertim cùm nobilior charitatis actus non ſit, quàm pereuntium animarum cura? charitas certè non eſt, quæ uni impenditur corpori, ſed ſenſua-

lis,

III. Stabiliendo ſacerdotum cœlibatui, propugnandis eccleſiæ juribus, firmandæ paci publicæ, omnem quam potuit impendit operam *Henricus*, probè gnarus, non aliâ re magis in plura diffluere ſolere animos, quàm occupationibus uxoriis, bona inſuper eccleſiarum Epiſcopis credi ut *depoſita*: pace denique finibus Epiſcopatuum proſcriptâ, viam vitiis complanari. Sequamur, ſacerdotes exemplum inſigne, in ſtudio *puritatis*, *frugalitatis*, *pacis*: ſicque ad apoſtoli præſcriptum erimus *forma gregis ex animo*.

XXVI. JUNII.

S. David Anachoreta.

UT animum ſervaret ad cœleſtia recollectum, corporis evagationes extremè fugit, oditque. Annis octoginta uni incluſus cellulæ, ſpatioſiſſima ſe inhabitare palatia credidit. Sanctitatis ſtudio tantum in hac ſua ſolitudine ſe impendit, ut prodigiosâ à DEO luce, quæ liquidis è turguriolo illius flammis erumpere in noctes ſingulas videbatur, honorari mereretur. Quæ quidem flammæ, ut ſanctitatis illius indices fuerunt; ſic viam *Palladio* præluxerunt ad audendum ſimilia, & promerendum paria. Si, inquiebat iſte, ſic reſplendent, in hac etiam vita, ſanctorum merita, quâ demum luce fulgebunt in beata illa æternitate, cùm illorum animæ DEO appropinquabunt, luci mortalibus inacceſſibili? *ut nullibi eſt, qui ubique eſt: ſic qui ſecum eſt, ibi eſt, ubi illum eſſe maximè convenit.*

SEN-

SENTENTIA.

FAciliùs eſt domi latere, quàm foris ſe poſſe ſufficienter cuſtodire. Qui igitur intendit ad interiora, & ſpiritualia pervenire, oportet eum cum JESU à turba declinare. *Thom. Kemp. de Imit. l. 1. c. 20.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ANni aliquando complures impenduntur à ſæcularibus in addiſcendis quibusdam vel ſcientiis, vel artibus. Quidni idem fiat à religioſis, ut addiſcant *cognitionem ſui*, homini à ſæcularium ſorte diſcreto primò & præcipuè neceſſariam? hæc verò *ſui cognitio* non ab aliis citiùs capitur, quàm ab amantibus recollectionis internæ. Uti enim flamma libero aëri expoſita citò diſpergitur: ſic & grande illud negotium ſine fructu ſuſcipitur, ſi mens extra ſe vagetur.

II. Huic verò evagationi cavendæ, præter alia media, excogitatum etiam eſt religioſum *ſilentium.* Facit hoc, ut in numeroſo etiam ſociorum cœtu minimè depereat receſſus ille mentis, quem ut ſervarent integrum, vaſtiſſimis frequenter eremis ſeſe abdiderunt priorum temporum ſancti, ſanctæque. Viſa quidem hæc vita eſt *triſtis, aſpera, melancholica:* verùm iis tantùm, qui non norunt, quàm ſit dulce cum DEO converſari. *Viderint alii quid ſentiant, unusquisque enim ſuo ſenſu ducitur: mihi oppidum carcer, & ſolitudo paradiſus eſt.* S. Hier. Epiſt. 4. ad Ruſt.

III. Incedunt, qui pari ſolitudinis amore tenentur, *quaſi triſtes*, ſunt autem *ſemper gaudentes*: ſunt & *verè gaudentes*, cùm ſibi certò perſuadeant, verum gaudium non in exterioribus, *riſu*, *garrulitate*, *vagationibus*, &c. contineri: néque his ſatiari animum majoris boni capacem: ſed rebus ordinis longè altioris. Et quî non gaudeant *ſolitarii*, cùm DEUM habeant & magiſtrum ſtudii ſui, & objectum? *ſolitaria vita cœleſtis doctrinæ ſchola eſt: illic namque DEUS eſt totum quod diſcitur.* S. Baſilius.

XXVII. JUNII.

S. Samſon Conf.

GEneris dignitatem, quâ inter Romanos multùm eminuit, divitias, quas ex ampliſſimo patrimonio innumeras propè poſſidere poterat, generosô animô tantum deſpexit, ut iis niſi in pauperum ſubſidium uti penitus nollet. Medicinæ ſtudio addictiſſimus *Conſtantinopolim* ſe contulit, ibidémque domum ſuam publici ad inſtar noſocomii habuit: adeò multi fuerunt, quos à pertinaciſſimis non modò corporis, ſed & animi morbis ſanos reddidit. Hos inter ipſemet imperator, qui tum Orientis ſceptra moderabatur, ulcere inſanabili laborans, ſolo viri ſancti contactu plenè convaluit: in cujus gratiæ vicem, ædem hoſpitalem omninò celeberrimam *Samſonis* domui contiguam extruxit. *Samſon* vitâ in operibus charitatis fructuosè tractâ, placidâ morte deceſſit, poſt hanc quóque charitatis non immemor, quam palàm oſtendit, ubi præſentiſſimum periculi

in-

incendium ab auguſtiſſimo *Sophiæ* templo, cunctis in aëre ſpectabilis, disjectis, diſpulſisque flammis providè avertit. Vide quàm charitas non ſit otioſa!

SENTENTIA.

Dilectionem ſi habueris, néque pecuniarum ſenties ſumptum, néque corporis laborem, néque moleſtiam verborum, néque miniſterii ſudorem, ſed omnia generosè feres, ſive corpore, ſive pecuniis, ſive ſermone, ſeu quôvis alio proximo ſuccurrendum ſit. *S. Joan. Chryſoſt. Hom. 21. in Epiſt. ad Rom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CHaritas, ſi perfecta ſit, proximo ſe totam impendit. Magna cogitat, mira adinvenit: verbô, proximum veiut *ſe alterum* ſpectat, qui ex veræ charitatis legibus vivit: adeò, ut quæ ſibi vel fieri vellet, vel nollet, eadem vel proximo faciat, vel facere caveat: atque iſtud non ſordidi quæſtûs causâ, ſed ex nudo integerrimi affectûs præſcripto. An talis fuit hactenus tua charitas? *incipit homo amare, & non amabit in homine niſi DEUM.* S. Auguſt.

II. Medicina *Samſoni* medium fuit exercendæ ampliùs charitatis. Etiam tu medicum age: néque tamen corporalem aliis medicinam adhibeas, ſed ſpiritualem, quæ ſcilicet internos animi morbos fortiter profliget. Atque in iſto quoque eum ordinem ſervare memento, ut antea tuum animum, quàm aliorum perpurgandum memineris.

Hîc enim vel maximè charitatis exercitium quivis ordiri debet a ſe ipſo. *Improbus, & imperitus eſt medicus, qui alienum mederi appetit, & ipſe quod patitur neſcit.* S. Gregor. in Paſtor.

III. Magno denique in ſuos charitatis affectu ferri debent, qui animarum curam gerunt, ſi eosdem cum morbis etiam corporalibus conflictantes pro officii ſui ratione inviſant. Cogitant patres ſe eſſe, nec abſterreantur vel vilitate decumbentis, vel morbi malignitate. Facit hæc charitas quâ corporalibus morbis compatimur, ut ſpirituales etiam infirmitates à decumbente fidentiùs detegantur. Utinam omnes animarum medici ejus imbuantur & animentur ſpiritu, qui dixit: *quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. ad Cor. 11. v. 29.

XXVIII. JUNII.

S. Potamiæna V. & M.

INfinitas propè pugnas (ut vitæ ſcriptor *Euſebius* Cæſarienſ. aſſerit) pro corporis pudicitiâ, & virginitate, contra inſanos amatorum ſuorum impetus conſtanter ſuſtinuit, victrix ſemper, devicta nunquam. Ab impuriſſimo præſide gladiatorum petulantiæ tradita, ſatellitum è numero habuit, qui eam defenderet: *Baſilidem* nimirum, ingenuè ad ſordes illas erubeſcentem, utut cæterà gentilem. Hic ergo Virginem omni conatu ab injuriis vulgi & laſcivorum militum defendit tamdiu, dum ignibus conſumpta puriſſimum DEO ſpiritum redderet, æternæ ſecuritatis ſedibus inferendum. Præmium tutelæ *Baſilides* accepit converſionis gratiam, & poſt triduum palmam mar-

martyrii, quâ cum victor ſupera ſcandit, æternùm ſociandus *Potamiænæ* ſuæ, quam caſtè adeò deperiit. Virginitatem *angeli* ſecurè poſſideant: plus lucri *hominibus* accedit, quòd difficulter, & certaminibus, quotidianis eam propugnent.

SENTENTIA.

VIrginitatis certamen magnum quidem, & præclarum, ac divinum eſt (nam adverſus corporis voluptates ipſi bellum eſt) at in aliis certaminibus labores minuit. *S. Iſid. Peluſ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. V*Irginitas* vel ex eo commendatur, quôd vigilantiâ tantâ à tantis Virginibus fuerit cuſtodita. Nimirum, *quod rarum, charum.* Rarus verò Virginum numerus, comparatione aliorum, qui *non capiunt verbum hoc.* Agito quod potes, anime mi! in ſervanda re pretii tanti. *Omni cuſtodiâ cuſtodi* non modò *cor tuum*: verùm & ſenſus. *Senſus, per quos animus eminens, & ad res terrenas ſe exercens, ea quæ placent arripit, & apprehendit, feneſtras ſcriptura appellavit, quos ſermo morti aditum patefacere dicit.* S. Gregor. Nyſſen.

II. Dimicandum igitur aſſiduè contra concupiſcentias, *quæ militant in membris noſtris:* hæc enim eſt noſtra conditio. *Angelos DEUS collocavit non in ſummo, ſed in tuto: homines autem nec in ſummo, nec in tuto, ſed in cauto.* S. Gregor. In tuto eſt angeli puritas: non item noſtra. No-

ſtra tamen præmii ferax eſt, non angeli. DEUM roga, ut, qui transgredi potes, non transgrediâre.

III. Præmium *Baſilidi* amatæ in *Potamiænæ* & propugnatæ caſtitatis martyrii laurea fuit: nec aliud pretioſiùs dari potuit: imò nec *puritati* congruentiùs cùm hujus ſtudium ad martyrii naturam accedat proximè. Multa martyribus toleranda ſunt: non pauciora Virginibus. Certandum prioribus illo cum hoſte, qui corpus ſolùm perdere poteſt, non animam: Virginibus verò dimicandum cum eo, qui ſi finaliter vincat, corpus & anima perdentur *in gehennam*. Vide, quàm te militem Chriſti probes, ſi Virgo vivas. *Non* enim *ideo laudabilis Virginitas, quia & in martyribus reperitur, ſed quia ipſa martyres facit.*

XXIX. JUNII.

SS. Apoſtoli Petrus, & Paulus.

PEtrus & *Paulus*, quos DEUS conſtituit *Principes ſuper omnem terram*, meritorum tam ſublimium initia & progreſſus ſingulariſſimæ DEI Clementiæ debuerunt. Prior perfidus, alter eccleſiæ perſecutor, multùm exerrârunt à tramite veræ ſanctitatis: DEI tamen miſericordis manu in eundem reducti, ſuos errores úsque adeò fuerunt deteſtati, ut *Petrus* omnibus vitæ ſuæ diebus continuis lacrimarum imbribus elueret, quæ ſemel ad ignem incautè deliquerat: *Paulus* verò detersô glaucomate, quod judaiſmus interno mentis oculo obduxerat, adeò nil ore proloqueretur, nil mente volueret, præter *JESUM, & hunc Crucifixum*, ut diviniſſimum hujus nomen caput jam

dum

dum à cervice reſciſſum triplici ſaltu poſtremùm ſalutaret. Facilè cum DEI gratia ad eximiam ſanctitatem pertingit, qui cordis aditum non facilè illi obſerat.

SENTENTIA.

QUis jam deſperet aut de humilitate generis, aut de magnitudine criminis, cùm videat ſic abundâſſe cœleſtis gratiæ fontem, ut & piſcatorem regibus præponeret, & perſecutorem Apoſtolis coæquaret? *S. Aug. ſerm. de SS. Petrus & Paulus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FIdem in Chriſtum ardentiſſimè profeſſus eſt *Petrus*, ſimulque ipſam hanc fidei Profeſſionem aliis præivit Apoſtolis, dicendo: *tu es Chriſtus filius DEI vivi* Matth. 16. circa quod effatum ita diſſerit S. Leo: *Petrus per revelationem ſummi Patris corporea ſuperans, & humana tranſcendens, vidit mentis oculis Filium DEI.* Confitere DEUM, ſed integrè, verbis ſcilicet & factis. *Credere, intelligere, & facere conſequuntur.* S. Baſil. de Baptiſ.

II. Eandem fidei profeſſionem gentium doctor in ſuis expreſſit epiſtolis tot ferè actibus, quot periodis. O quàm in omni pagina ibi ſuavia de Chriſti Servatoris humanitate & DEItate! de miſericordia Patris, ſapientia Filii, bonitate Spiritûs ſancti! quàm ſanctum occupari ſimilibus! quàm miſerum eſſe in iſtis rudem! quàm miſerrimum cum vera in DEUM fide mores combinare velle

velle â fide alieniſſimos! at verò, ut conqueritur Magnus Gregor. *Plurimi fidem tenent, vitam fidei non tenent.* 16. Moral.

III. Ardentiſſimus in DEUM & Chriſtum amor conſecutus eſt ſinceram hanc in utroque Apoſtolo fidem: nec aliter potuit. *Non charitas*, inquit modò cit. Greg. *fidem, ſed fides charitatem præcedit.* in Ezech. Parum amamus DEUM, quia non credimus ſicut oportet. Parùm verò nos amare, ſæpe ſæpiùs probat electio præpoſtera, quâ DEO creaturas præferimus. Anne in omnibus cum Apoſtolo dicimus? *charitas Chriſti urget nos.* Fac quidquid vis, niſi diligas, nullus es. E contra: *dilige, & fac quidquid voles.* S. Auguſt. de verb. Dom.

XXX. JUNII.

S. Martialis Epiſcopus.

INter ſeptuaginta duos *Chriſti* diſcipulos tantum virtute, & doctrinâ profecit, ac enituit, ut dignus æſtimaretur, qui *Gallias* converteret. Et verò munus iſtud dexterrimè adminiſtravit, maximôque cum fructu, quem, ut ampliorem in horas colligeret, duodenos angelos habuit adjutores. *Valeriam* Virginem nobiliſſimam, quam *Stephani* ducis Aquitaniæ mucro caſtitatis victimam fecerat, quòd connubium cum illo repudiaſſet, vitæ reddidit *Martialis*, unáque gentilium quindecim millia numero fidelium addidit. *An, putas, miniſterium ſuum implevit?* ſequere præcurrentem, atque ut vel peccatorem unum in viam virtutis recurrere facias, omnem impende operam.

SEN-

SENTENTIA.

TRes ſunt paſtoris voces: ſuavis, dulcis, & alta. Suavis ad infirmum: dulcis ad morientem: ad ſurdum pertinet alta. *Hugo de clauſtr. anim.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FEliciſſima diſcipulorum Chriſti turba, quid aliud à magiſtro, animarum amantiſſimo, diſcere potuit, quàm nobilem animarum zelum? utinam hoc etiam inſtructi ſint quibus animarum cura commiſſa eſt! & cùm unius etiam animulæ converſio angelis longè ſit jucundiſſima, in beatos illos ſpiritus ne injurii ſint, eosdem hôc gaudiô, quod ſolertiâ procurare poſſent, ſocordiâ ſuâ privando!

II. Animæ pretium ſolus is novit, qui pro ea mortuus eſt. *Anima etiam peſſima*, inquit Auguſt. *melior optimô corpore.* l. 9. de Civit. c. 9. quòd ſi in eâ ſpectentur non naturalia tantùm, ſed ſupernaturalia, gratiæ videlicet dona, quanta erit? hæc ipſa tamen anima, ut notat idem doctor, *aut à DEO regitur, aut à diabolo.* ſerm. 84. de temp. prout nimirum in ſe habuerit vel gratiam, vel peccatum. Illis enim, qui in corpore vivo mortuam circumferunt animam, non injuriâ dicetur illud Chriſti: *vos ex patre diabolo eſtis.*

III. Ferat jam animarum paſtor depoſitum tam nobile tam neglectim haberi ab hoſte peſſimo? præſertim cùm nobilior charitatis actus non ſit, quàm pereuntium animarum cura? charitas certè non eſt, quæ uni impenditur corpori, ſed ſenſua-

lis,

Digitized by Google

lis, imò brutalis affectio. Quando verò diligitur anima, quòd capax sit præmii interminati, quòd sit res ipsi DEO charissima; tunc charitas exercetur numeris suis absoluta. Et foret sanè frequentior hujus praxis, si pastorum quilibet identidem sibi occineret illud Bernardi: *anima magna res est, quæ Christi sanguine redempta est.* in Epist.

FESTA JULII.

I. JULII.

S. Simon Salus Confes.

VItam duxit reverenter admirandam magis, quàm imitandam. Vir probè doctus, rerumque sacrarum peritiâ satis imbutus, *stultitiam* simulavit, non alia de causa, quàm ut *stulto* illuderet mundo, inque vicem ab hoc ludibria pateretur. Ex omnibus enim gestis, quæ profectò à deliro cerebro profecta videri poterant, ipse tamen quàm insignem sui victoriam & contemptum; tam aliorum quóque profectum prudens rerum æstimator elicuit. Sic *stulteścere*, divinioris *sapientiæ* argumentum est.

SENTENTIA.

TAntò quis stultior, quantò plùs conatur sapiens videri. *S. Gregorius 18. Moral.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. S*Tultorum* mundi *infinitus est numerus*: pauciſſimus eorum, qui cum

Si-

Simeone Salo, gentium doctore *ſtulti propter Chriſtum* audire velint: adeò deſpectûs omnis odium illis ingerit *amor proprius*. Quis verò *ſtultum* non dicat eum, qui temerè ſine reflexione vel ad præmium vel ad pœnam peccat? Ariſtotelem audiamus chriſtianè ſic diſſerentem: *imprudentiæ eſt, judicare perverſe de rebus: deliberare perperam: in falſam adduci opinionem de his, quæ ad vitam ſunt bona & honeſta.*

II. Chriſtus ipſe, æterna Patris ſapientia, *fatuus* ab Herode judicari non renuit. Stolidi planè ſumus, quòd in tam liquido Filii DEI deſpectu pro honoris pugillo tam calidè laboremus, & minimam etiam ignominiam tam ægrè concoquamus. Reportemus hoc impertæsô conatu plauſum omnium: tantum tamen olim deſpiciemur à DEO, quantum ab hominibus ultra meritum honorati ſumus.

III. Sequamur ergo tot ſanctorum exempla: obſequamur Apoſtolo ſanctè monenti: *ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens.* 1. ad Cor. 3. Stultitia ex veræ humilitatis legibus efficta, coram DEO vera eſt & ſola ſapientia. Hâc quisquis prudentiſſimè *ſtulteſcit*, parvuli inſtar cruci Chriſti, & obedientiæ ſe ſubdit: diligit inimicos: malefacientibus benefacit: percutienti ſe in unam maxillam, præbet & alteram: tollenti tunicam, cedit & pallium: verbô (contra omnem inſipientis mundi ſtylum & ſenſum) nihil ſic in amoribus & votis habet, quàm ut ſit *omnium peripſema: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Pſ. 21.

II. JULII.

Digitized by Google

II. JULII.

Visitatio B. V.

VIatrix DEI Mater hodie montana scandit: quo enim DEO fœta, gratiâ plena, nisi ad supera pergeret? alta petiit, non altùm sapuit. Totus enim finis profectionis sat prolixæ non alius, quam servitia cognatis *Zachariæ*, & *Elisabeth* humiliter impendenda. Adventum Virginis Virgo *Joannes* intra materni uteri claustra saltu salutat, moras naturæ velut indignatus, cupiénsque votò Servatori prius præcurrere, quàm verbô. Sanctitatem tota *Zachariæ* domus consequi debuit ex hospitum tam sanctorum præsentia, Virginis puta, & prolis virgineæ. Vide quàm grandia concurrant mysteria, ubi exurgens *MARIA* abit in montana. Amat DEUS virtutum celsitudines: odit socordiæ valles.

SENTENTIA.

NEscit tarda molimina sancti Spiritûs gratia. *S. Ambr. in Luc.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *TRahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Sic ad divam nostram illæ suspirant animæ, quæ non stare desides, sed progredi cum eadem alacres, ac *cum festinatione* cupiunt in via gratiæ & virtutis. Felices animæ hôc conatu! felicissimæ, si successum aspiret divinior aura, quæ Virginem sanctitatis

tatis abſolutæ exemplar ad tam ſublime perfectionis faſtigium extulit.

II. *Abiit* Virgo *in montana, cum feſtinatione.* Sit alias & alibi *feſtinandum lentè*: in ſalutis tamen negotio mora omnis culpabilis eſt & nociva. *Vult piger, & non vult.* Videt meliora, probatque: ſequitur tamen deteriora. Placent virtutum ſublimia: ſed quia ardua ſunt, ſcandere negligit. O quàm aliter longè *MARIA!* voluit efficaciter in omni vita ſuperis immorari, terrenorum contemptrix: montana virtutum pede feſtinô & ſeriô conſcendit: utque ſcanderet promptior: *Amor addidit alas.* Hôc vectore ſi non utaris, nunquam ad ſupera eluctaberis.

III. Uti tamen *Virgo prudentiſſima* virgineô pede prius montis pedem, quàm verticem preſſit: ita in virtutibus progreſſum facturo initium ducendum ab humilitate. *Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis*, inquit Auguſtinus, *de fundamento prius cogita humilitatis.* Jucundum DEO eſt commorari hiſce vallibus. *Super quem*, inquit Dominus, *reſpiciam, niſi ad humilem & pauperculum?* ſequere Virginem in humilitatis ſtudio, & reminiſcere maledictionis, in primum ſuperbiæ auctorem fulminatæ: *ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Geneſ. 3. v. 14.

III. JULII.

S. Clara Inda. V.

PRoles regia, regiis virtutibus reſplenduit. Sapientiſſimô delectu ferro aurum, nuptiis virginitatem præhabuit, quam ut intempeſtivis pro-

cantium æstibus subduceret, sese ipsam fugâ conspectui hominum subduxit. Fugienti flumen viam cessit, & vadum præbuit. Divi *Dominici* institutum amplexa, dominica Servatoris premere vestigia tam strictè sategit, ut humanis etiam necessitatibus superior, totos quinquaginta annos cibum, nisi die dominicô, non sumeret, eundémque obvium, è radicibus, & herbis semicrudis paratum. DEUS interim secundam mensam paraturus victui tam parco, cœlesti liquore famelicam sæpiùs refecit, eôque pactô in plures iterum dies inediæ tolerandæ parem præstitit. His armis septa virginitas rarò oppugnatur, non expugnatur.

SENTENTIA.

PUdica Virgo, quæ rationem vitæ ducem sequitur, ab omnibus animi affectionibus se omninò abducere debet, ac cœlesti sponso, qui eam adornabit, integram se, atque adeò puram conservare; ut nec aut sordes, aut rugas, aut aliquid ejusmodi minus contrahat. *D. Greg. Nyssen. c. de Virginit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. O *Quàm pulchra est casta generatio cum claritate*! hoc demum regium fuit regios spreviſſe natales, ut sponsi cœlestis amor in lucrum cederet. Clarum fuerat *Claræ*, thesaurum tam pretiosum tot intrà Reginam spectantium oculis expositum, vix diu intactum perstitu-

ſtiturum: indéque ſibi dictum putavit illud Hieronymi: *quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habeas quotidie aut perire, aut vincere?* Epiſt. 47.

II. Zelotypus eſt Sponſus divinus erga deſponſas ſibi animas. Amari ſolus vult, nec rivalem patitur. Hoc ipſum difficile adeò non eſt amanti animæ, ut cum *Agnete* tredecenni promptiſſimè dicat: *hæc ſponſi injuria eſt, exſpectare placituram. Qui me ſibi prior elegit, accipiet.* Et quid tricaretur Virgo illi deſponderi, *cui angeli ſerviunt?*

III. Intrà religioſos parietes voto ſuo pleniſſimè ſatisfactum advertit *Clara*, puritatis ſuæ jam admodùm ſecura: accedentibus præſertim tam firmis excubiis. *S. Magdalena* de *Urſinis* religioſas ſuas novitias aliquando lætiores, & gaudiô S. Spiritûs multùm hilares advertens: *ridete*, inquiit, *filiolæ meæ, ridete*: Æquiſſima profectô ridendi cauſa illis omnibus, qui miſerentis DEI dexterâ tot ſubducti periculis, intrà ſepta religioſa uni animæ ſuæ ſaluti, & gloriæ DEI propagandæ, cæterorum planè incurii, ſtudioſè invigilant. Hos ita alloquitur Præſul Claræ Vallis: *De profundo fluctuum emergis ad portum, & de miſera ſervitute ad felicem libertatem aſpiras: & de morte denique tranſis ad vitam.* Epiſt. 114.

IV. JULII.

S. Udalricus Epiſcopus Auguſtanus.

A *Blactatum à lacte, abſtractum ab ubere*, iis futuræ ſanctitatis indiciis jam tum DEUS exornavit,

navit, ut quàm parentes illuſtriſſimi; tam alii paſſim attoniti, jure uterentur illo Lucæ 1. *Quis putas puer iſte erit?* adoleſcens coæqualium vitia cane pejus, & angue fugit: puritatem ciliciô tutatus eſt. Quinimò tentatione aliquando pulſatus, fœtidas fœdæ veneris flammas vivis candelæ ignibus, digito illis applicato, ſopiit. Fœminarum conſortia non ſecus delinavit, quàm providi nautæ ſyrtes, & brevia. *Epiſcopus Auguſtanus* tot virtutibus refulſit, ut iis non anguſta hæc pagina, ſed juſta debeantur volumina. Compendiò illas recenſet, qui dicit, ex Apoſtoli præſcripto, fuiſſe *irreprehenſibilem.* Facilè animô virtus imbibitur: ſi eidem à teneris fuerit aſſuetum.

SENTENTIA.

OMnes apti ſunt naturâ ad acquirendam virtutem: ſed alius quidem magìs, alius verò minus accedit ad diſciplinam, & exercitationem. Quocirca alii quidem usque ad perfectam pervenêre virtutem: alii verò ùsque ad aliquam: neglecti autem rurſus aliqui, etiamſi alioqui bonum haberent ingenium, averſi ſunt in contrarium. *Clem. Alexandr. l. 6. ſtrom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Virtuti à teneris aſſueſcere multum eſt.*

DEUS optimus ætati tenellæ pretioſa virtutum ſemina, velut fertili glebæ, injicit, quæ ſi ſtudiosè foveantur, ampliſſimam ſuô

in

in tempore meſſem ſpondent. Potiſſima difficultas virtutum exercitio non ineſt, ſed affingitur. Quibus enim propiùs perſpecta eſt virtutis pulchritudo, illis adeò ſit uſualis, ut difficiliùs accidat à virtute abſtinere, quàm hanc elicere. Num tale quid in te experiris?

II. Ex oppoſito etiam *urit maturè, quod vult urtica manere.* Vitia à teneris intrà animum recepta, radices agunt altiſſimas. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Nemo repentè fit peſſimus. Mala æquè ac bona tractu temporis firmantur & uſu quotidianô Fortè tuam etiam adoleſcentiam non caſtè admodùm decurriſti? quid tum facies? annos illos DEO recogitabis in amaritudine animæ tuæ: cùmque Davide ſuppliciter precaberis: *delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine.*

III. Minùs ad vitiorum ſcopulos impingerent adoleſcentûm plurimi, ſi cum *Udalrico* ſodales inter diſcernerent. Corvos unà ad cadavera evolare quotidianum eſt: columbas iis admiſceri, vix aliquando viſum. Omnis nimia familiaritas non modò ſuſpecta, ſed etiam vitioſa eſt. Et tamen maximè vitioſa eſt, quæ cum vitioſis contrahitur. *Diſcedite*, inquiebat David, *à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Fieri non poteſt picem manibus tractari, quin iſtæ inquinentur. Idem in moralibus evenit. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris.*

V. JULII.

S. Wilhelmus Conf.

OPtimis à puero diſciplinis imbutus, in *Matheſi* demum, & *Rhetorica* mirè excelluit. Epi-

ſcopus factus, alios ſibi conquirere ſategit, qui pro ſe apud divinum tribunal efficaciter perorarent: pauperes ſcilicet, quibus veſtiendis frequentiùs ſeipſum nudavit. Redditus ampliſſimi cùm non ſufficerent quàm illius liberalitati, tam miſerorum indigentiæ, defectum abundè compenſavit DEI munificentia, aurum, frumenta, vinum tam largè ſubminiſtrans, ut dubium foret, eſſetne numen profuſum magis in largiendo, an *Wilhelmus* in erogando. Omnium minimè res ſuas diſperſiſſe ſe experietur olim, qui hic *diſperſit, dedítque pauperibus.*

SENTENTIA.

NOn vile, ac deſpicabile putes, ſi ſubſtantiam tuam miſeris, atque egentibus derelinquas. Chriſtum in iis facies hæredem, & hæreditatis emolumenta percipies: quæcunque enim Chriſto reliqueris, per Chriſtum omnia poſſidebis. *S. Salvianus l. 4. contra avaritiam.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INſigne ſpecimen præbuit ſuæ doctrinæ *Wilhelmus*, quòd nôſſet omnes nos, divites æquè ac pauperes, naturâ æquales, nec niſi conditione temporariâ diſpares. *Frange eſurienti panem tuum*, monet DEUS per Iſaiam c. 58. *& egenos, vagósque induc in domum tuam.* Multùm errant, quibus pauperes aliud non videntur,

tur, quàm ſordida terræ purgamenta: cum interim nihil ſit inſoliti, divites ſepeliri in inferno: *Lazaros* verò transportari ab Angelis in ſinum *Abrahæ*.

II. *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Hanc charitatis regulam à Verbo incarnato præſcriptam obſervarent, utinam, divites! non tantum in naturæ leges delinquerent. Huic tenacitati jure ſuccenſens S. Gregorius Nyſſen. inquit: *noſtræ nos vivendi conſuetudinis non pudet; qui ſues & canes contubernales habemus, adeò, ut ne ſuô quidem lectulô venator catulum arceat: agricola vitulum deoſculetur, & propriis manibus viator aſini pedes lavet &c.* Eos *autem qui generis neceſſitudine nobis conjuncti ſunt, ipſis etiam rationis expertibus animalibus poſtponamus?*

III. Quantumcunque modò opibus abundent *viri divitiarum*: experientur tamen olim, verè dixiſſe Davidem: *divites eguerunt, & eſurierunt.* De aliis verò, qui ſua diſperdunt, dántque pauperibus, dicit idem: *non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Quantò quisque profuſior in pauperes, tantò liberaliorum erga ſe ſentiet DEUM. *Eleemoſyna ingentes juſtitiæ manipulos efficit, atque ineffabiles producit ſegetes.* S. Chryſoſt.

VI. JULII.

S. Goar Presbyter.

EXactiſſimè ſervavit, & opere executus eſt illud, arduum in ſpeciem, *Chriſti* monitum: *diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus*

bus vos. Capitaliſſimos enim hoſtes ſuos, qui eum apud Archiepiſcopum traducturi erant ut *hypocritam*, *flagitioſum*, *veneficum*, *fornicarium*, amanter menſæ adhibitos, pavit, ac ne in via deficerent, calidis ad DEUM precibus, cervam eisdem impetravit comitem, cujus lacte ſitim depellerent. Ad Epiſcopale tribunal citatus, ut de fornicationis ſcelere ſe purgaret, *triduani infantis* teſtimoniô ex reo innocentem ſe evaſiſſe: verùm verò infantis patrem retectum audiit, viditque. Actum agit, qui innocentem opprimere nititur, cùm hic cauſæ ſuæ patronum DEUM habeat.

SENTENTIA.

QUicunque es, quem alienæ inſolentiæ inquietant, injuria, & dolor contumelius excitatus ſtimulat; ſi vis perfectus eſſe, animorum iracundiam moderatione compeſce, & à patientiæ bono odia improbæ indignationis exclude. *S. Valerianus Homil. 12.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INdubiè non aliud telum tam acriter ferit, quàm lingua calumniatrix. *Fama* quàm cupidè quæritur, tam ardenter amatur. Tamen etiam hîc virtutem ſuam inſigniter monſtraverunt ſanctorum quam plurimi, malorum calumniis tam parùm moti, quàm adulantium laudibus. Noverant nimirùm, *innocentiam* DEO cordi & curæ eſſe, nec aliud utiliùs fieri, quàm ut obſervetur monitum magni Gregorii. *Si ſervus*

con-

convitium dicat, justus taceat: si infirmus injuriam faciat, pauper sufferat. 30. Moral.

II. Magnæ igitur perfectionis est, injurias patienter ferre: maximæ, bonum pro malo reddere. Sublimis philosophia est: *si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, potum da illi.* Hanc nihilominùs sententiam non esse prorsus impracticabilem, docuit ipse *DEI* Filius: *qui, cùm adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est.* Cur eum non imitemur? *DEUM* verò *imitari, est diligere inimicum.* S. Chrysost. Homil. 7. in Epist. ad Ephes.

III. Sunt qui dicant: paterer has injurias, si alia foret injuriantis conditio. Pati verò tam indigna ab homine nullius pretii, hoc demum bilem movet. Audi, quisquis ita quereris, quàm excusationem istam elidat Thomas Kempensis: *non est verus patiens, qui non vult pati, nisi quantum sibi visum fuerit, & à quo sibi placuerit. Verus autem patiens non attendit, à quo homine, utrum à Prælato suo, an ab aliquo æquali, aut inferiori: utrum à bono & sancto viro, an à perverso & indigno exerceatur: sed totum gratanter de manu DEI accipit.* de Imit. L. 3.

VII. JULII.

S. Edilburga. V.

PArentem habuit Angliæ regem. Ipsa sacri Parthenonis per annos plures Antistita, virtutum meritis sibi sanctitatem, exemplô, suis obtinuit. Harum aliqua mentis excessum aliquando passa, vidit corpus humanum, splendore soli æmulum,

telæ rarioris pretii primùm decenter involvi, tum annexis ad illius initia funibus pretioſiſſimis ſurſum ad cœlos attrahi. Senſum cœleſtis prodigii paulò poſt enodavit morbus, & mors ſanctæ Antiſtitis. Sic vivere, ſic mori regium eſt.

SENTENTIA.

MOrs juſti bona propter requiem; melior propter novitatem: optima propter ſecuritatem. *S. Bernard. in Epiſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOverat *Edilburga*, periculum interitûs ſubire eum, qui ſine neceſſitate mediis ſeſe periculis immiſcet. Præpoſterus hic tamen agendi modus cœcis mortalibus adeò eſt familiaris, ut potiſſimi cum Thoma dicere videantur: *niſi videro, non credam.* Serum verò eſt, ibi primùm advertere velle periculum, ubi jam nulla datur ejus evadendi copia. Bonorum quidem temporalium perdendorum pericula eminùs proſpicimus: animæ verô & ſalutis, ab aliis etiam fideliter retecta, contemnimus & ridemus.

II. *Periclitatur caſtitas in delitiis*, inquit S. Bernard. *Humilitas in divitiis: pietas in negotiis: veritas in multiloquio: charitas in hoc mundo.* Hunc igitur è fabulis & fucis meriſſimè factum, deſeruit *Edilburga*, ut charitatem DEI & proximi addiſceret ibi, ubi ex præcepto colitur. Veritatem religioſô communiit ſilentiô: caſtitatem mortificationum aſſiduitate vallavit. *Edilburgam* ſequere, & ſatis providè procedes.

III.

Digitized by Goog

III. Vitam tam circumſpectam non potuit non ſequi mors beata. Habet hoc proprium religio, quòd alumnos ſuos ibi admodùm quietos reddat, ubi miſeri mortales ex mali vicini metu plurimùm inquietantur. Cùm luctantur iſti; illi è religionis portu pericula ſecurè deſpiciunt. Hinc ſæcularium non pauci, ſi non verbis, animo ſaltem concipiunt votum illud vatis non optimi: *moriatur anima mea morte juſtorum.* Num. 23. Si abſtractus à ſæculo ſis, Domino gratias age: ſin; vocanti ne reluctare. *Quantum poſſumus, à lubrico recedamus: in ſicco etiam parùm firmiter ſtamus.* Seneca.

VIII. JULII.

S. Chilianus Epiſcopus Mart.

POntificis ſummi auctoritate, & juſſu, *Herbipolim* ablegatus, ut fidem Chriſti, ſuperſtitionibus expugnatis, diſſeminaret, eâ felicitate commiſſam ſibi provinciam adminiſtravit, ut *Dianæ* cultu ſublatô, quam in eum usque diem divinis honoribus fuerant dignati, eximiô ducis ſui *Gosberti* exemplô ſtimulati, ſoli poſt hac DEO ſervirent. Ampliſſimam ſpondere meſſem videbantur hæc initia: ſed zizania per mulierem ſuperſeminavit ille, qui initiò mulieris operâ primum hominem paradisô expulit. *Geila* enim inceſtis *Gosberto* nuptiis juncta, cùm experiretur *Chilianum* parùm ſibi faventem, ſanguinaria tamdiu procudit conſilia, dum per geminos ſceleris miniſtros ſanctum præſulem nocte concubiâ clam omnibus internecione deleret. Vidit tamen hanc

cædem

cædem vindex Numinis oculus, & tam dirè ultus eſt, ut latronum prior internis conflagraret incendiis: alter in rabiem verſus, ſuô ſe gladiô transfoderet: *Geila* à dæmonibus viva ad tartarum abriperetur: *Gosbertus* manu filii caderet: hic omnibus ſuis poſſeſſionibus exutus miſerrimam ageret vitam. Cave! *mulier aut amat, aut odit: non habet tertium.* Publ. Mim.

SENTENTIA.

VEritas ideo ſemper inviſa eſt, quòd is qui peccat, vult habere liberum peccandi locum, nec aliter ſe putat voluptate malefactorum ſecuriùs frui poſſe, quàm ſi nemo ſit, cui delecta non placeant. *Lactant. Lib. 1.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VEriſſimè magnus Doctor Auguſtinus: *veritas tutiùs auditur, quàm prædicatur.* de Doctor. Chriſt. Experti hoc ſunt malô non quidem ſuô, ſed veritatem odientium, *Joannes* Verbi divini præcurſor, & *Chilianus* Verbi divini præco, pari uterque fatô, pari ex cauſa involutus. Dixerat ille *Herodi: non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Dixerat hic idem omninò *Gosberto.* Quid præmii tulêre? ille *Herodiadis;* hic *Geilæ* fatale odium, quod reſtingui, niſi utriusque ſanguine, nequiit. Quisnam tuus in propugnanda *veritate* labor?

II. *Qui veritatem occultat,* inquit S. Auguſt. *& qui mendacium prodit, uterque reus eſt: ille, quia*

Digitized by

quia prodeſſe non vult : iſte, quia nocere deſiderat. Feriuntur hâc ſententiâ illi paſtores animarum, qui vitia palpare, quàm exſcindere; cœcutire cum cœcis, quàm hos in viam regiam reducere malunt. Diſpliceat veritas, odium pariat: ſuô tamen tempore nec reticenda eſt, nec adulteranda vaniſſimô reſpectûs humani fucô.

III. Eſto Dei verbum *gladius* ſit *ex utraque parte acutus*: opus tamen inſuper eſt brachiô minimè meticulosô, quod à Spiritu S. directum, certum libret & vibret ictum. Tale brachium habuit magnus Proto-Martyr Stephanus, quando validum & vivum illum ſuum ſermonem ſic orſus eſt: *durâ cervice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis &c.* Hoc demum eſt agere *Medicum*, qui non refrigerantibus ſemper utitur: ſed urentibus aliquando etiam & ſecantibus. *Conſentire videtur erranti, qui ad reſecanda quæ corrigi debent, non occurrit.* SS. Canones.

IX. JULII.

BB. Adrianus, & Jacobus Canonici Præmonſtratenſes. MM.

QUo tempore *Geuſiorum* factio (*Calviniſtas* ſic *Belgæ* nominant) per Hollandiam & Zelandiam acerbè in Catholicos deſæviit, exquiſitis eosdem ſuppliciis diſcruciando, venerunt etiam in partem triumphi, cum ſeptendecim aliis partim regularibus, partim ſæcularibus Clericis, *Adrianus Hilvari-Becanus, & Jacobus Lacopius* Canonici Præmonſtratenſes *Middelburgenſes.* Omnes iſti

pro

pro tuendo Romanæ Eccleſiæ primatu, & euchariſticâ Chriſti præſentiâ, duriſſima perpeſſi tormenta, & poſtremò tum ſuſpendiô, tum aliis mortis generibus enecti, candidiſſimas ſuas ſtolas, invicti pugiles, laverunt in ſanguine agni. DEUM ſibi debitorem facit, qui ſponſæ illius, eccleſiæ ab injuriis hæreſum vindicandæ, quam poteſt, impendit operam.

SENTENTIA.

NOn unicô modô (*Chriſtus*) floret in campo eccleſiæ; ſed ut ita dicam, ruber in martyribus, candet in Virginibus, viret in Confeſſoribus, pallet in pœnitentibus, rutilat in prædicatoribus. *Hugo Cardin. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VIx eccleſia prodiit è latere Chriſti Servatoris, uti loquitur Auguſtin. in Pſ. 26. cùm ſpinæ in illa & vepres *idololatriæ* & *hæreſum*, invidiá diaboli, ſuperſeminatæ, opus habuere ſolerti quà doctorum, quà martyrum manu, quâ illæ, non ſine largo ſanguinis profluvio, radicitùs exſcinderentur. Et verò laborârunt utrique tam gnaviter, ut *tyrannis* ſummè ſtuperet tam nullos tantæ machinationis progreſſus: apparerétque in momenta veriſſimè dixiſſe Tertullianum: *ſanguis martyrum ſemen eſt Chriſtianorum.*

II. Rubuerunt hâc pulcherrimâ cruoris purpurâ non ſemel candidiſſimæ *Præmonſtratenſium* nives. *Adrianus* certè & *Jacobus*, ne aliquid au-

authoritatis eccleſia perderet: ne euchariſtica Chriſti præſentia *Geuſiorum* blaſphemiis credi ab infirmioribus deſineret, vitæ ſuæ facere diſpendia non dubitârunt. Heroicum hunc ſpiritum indubiè hauſerint à Patriarcha ſuo *Norberto*, de quo conſtat, quantum egerit in extirpanda hæreſi ſacramentaria. *Fortes creantur fortibus: nec imbellem progenerant aquilæ columbam.*

III. Etſi non omnium ſit ſanguine propriô ſubſcribere veritatibus fidei, præſertim ubi ceſſaverunt apertæ perſecutiones eccleſiæ: ad omnes tamen pertinet adultos, fidem ſuam converſatione laudabili & piâ conteſtari. Nec enim dubium, à privatorum etiam virtutibus plurimùm ſplendoris eccleſiæ accreſcere: ſicut ex oppoſito certum eſt, ſocordium negligentiâ Chriſtianorum profectum fidei multùm præpediri. *A multis derelicta ſum propter peccata filiorum meorum.* Baruch 4.

X. JULII.

S. Felicitas cum 7. Filiis. MM.

HAbeat ſibi ſuas amazones fabuloſa gentilitas: heroinam habuit in *Felicitate* chriſtianus orbis, quâ poſt matrem Machabæam majorem non vidit. Uno die ſepties mater, & martyr, ſeptena filiorum funera non modò ſiccis ſpectavit oculis, ſed maſculis etiam cohortationibus, ut intrepidi mortem exciperent, effecit. *Januarius* ergo, poſt egregiam fidei confeſſionem, plumbatis, quoad deficeret, contuſus: *Felix* & *Philippus* fuſtibus enecti: *Silvanus* horrendô præcipitiô colliſus: *Alexander*, *Vitalis*, & *Martialis* capite mi-

minuti, matri viam præierunt ad cœleſte capitolium, quam & illa paulò poſt generosô pede preſſit, capitis etiam affecta ſupplicio. *Rara* ſit *concordia fratrum;* fuit hæc profectò fraternitas, quâ veriorem, & ſanctiorem nullum vidit ævum.

SENTENTIA.

NOn eſt vir fortis, cui non creſcit animus in ipſa rerum difficultate. *S. Bernard. in Epiſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FAcilem ſibi de *Felicitate* victoriam pollicitus *Publius* judex, blanditiis rem egit, & minis: utrumque tamen fruſtra. *Felicitas*, ſexu, non animô fæmina, *nec blandimentis tuis*, inquiit, *reſolvi*, *nec terroribus frangi potero.* Felix, qui utrumque hoc dæmonis telum ſic elidit, ut à neutro lædatur. Sed etiam *hoc opus, hic labor eſt.* Nutant non rarò in utrumque latus animi, & dum contra adverſa per tempus obfirmantur, non rarò tamen blanditiis eos emolliri, & enervari contingit.

II. Spiritûs ſancti præſidiis omnes ſeſe dæmonis technas feliciter eluſuram novit *Felicitas.* Sic enim præſidi locuta eſt: *de Spiritûs ſancti protectione ſecura, ſupplicia tua ſuperabo: & ſi interfecta fuero, glorioſiorem occiſa triumphum reportabo.* Dat cordi robur hic Spiritus: confirmat illud in caſibus adverſis: virtutem largitur contra noxios inimicorum conatus, ſi tamen in auxilium fervidè vocetur, & cor reperiat tantis gratiis non

pror-

prorsus inidoneum. *Spiritûs ſancti vires ſufficiunt martyribus.* S. Aug. ſerm. 185. de temp.

III. Filii *S. Felicitatis* ſtupendô debilis naturæ prodigiô paratiores ad moriendum fuerunt, quàm lictores ad occidendum. Accurrerunt ad ferale pegma, tanquam ad epulas, futuri *ſpectaculum mundo, & angelis, & hominibus.* Adeòne fæminæ imbelles & pueri alacres ad tormenta procurrant: nos verò illis ſolùm nominatis metu vix non exanimemur? oculos reflectamus ad laborum finem, uti fecêre martyres: & jam longè faciliùs accidet, pati dura quævis, & propter DEI amorem, & *propter retributionem.*

XI. JULII.

S. Norbertus Præmonſtratenſium Patriarcha.

AUctoritas ſacræ ſedis Apoſtolicæ diem hunc in Ordine ſacrum vult *Norberto* Præmonſtratenſium auctori. Nobiliſſimis hic natalibus progenitus, ultrò ignobilem ſe fecit, ubi monitore DEO, calcatô ſæculi faſtu, excuſſis ſuperbiæ plumis, permutatis veſtibus ex auro ſplendidis cum melote pellicea, & vili endromide, rigidum vitæ genus amplexus, in infimis habere cæpit, quæ mundus in ſummis. *Canonici Præmonſtratenſium inſtituti* ſub auſpicis glorioſæ cœlorum reginæ ductor factus & auctor, hæreſin Tanchelini ſacramentariam & adamiticam ſtirpitùs excidit: Magdeburgenſium Archiepiſcopus electus, & totius Germaniæ Primas, iis pro DEI gloria laboribus, curisque perfunctus eſt: tanta Eccleſiæ Romano-Ortho-

doxæ bono & utilitate fecit, ac pertulit, ut Pastoris egregii titulo dignissimus, hanc æternum sibi obligarit. Sic laborant boni Christi milites.

SENTENTIA.

HOmo ad laborem natus est: si refugit laborem, non facit id, ad quod natus est. *S. Bernard.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MUltis distenditur curis, quiquis mundo auctoratus vivit. Laborat multum, néque tantum tamen, ut in arbitri DEI oculis *ignavi* nomen effugiat. Hæsit aliquamdiu in hâc perperam sudantium classe *Norbertus:* vocatus verò ab alto, & tonitrui fragore ad excolendam ecclesiæ vineam vix non compulsus, moras continuò rupit, manum misit ad fortia: utque pro virili secum operarios conduceret, novâ prole castissimam DEI sponsam fœcundam reddidit. *Dormitat* úsque huc anima tua præ tædio, ut timendum sit, ne veternum serò, & cum ipsa vix morte excutias.

II. Pede nudò, veste cilicinâ tectum, urbes oberrare & compita, vexari frigore, famem tolerare, lassitudine propè concidere, *Norberto* tam non fuerant insueta, tam non difficilia, ut nec amplissimis sæculi cupediis permutâsset. Sic laborant qui laborant non perfunctoriè, non obiter. *Xaverium* inspice: videbis propediem, quàm (eximius *Norberti* æmulus) gaudeat æstu aduri & gelu, pati liquidissimam rerum omnium inopiam, cum mille in-

indies luctari periculis. Apoſtolicis hæ notæ competunt operariis, non effœminatis mundi troſſulis.

III. Mortis diſcrimen ſæpè ſubiit *Norbertus*, quin tamen vel hilum remitteret à ſolito ſuo fervore. Fulminei bacchantium enſes aridæ illi ſtipulæ videbantur. Laborare non pigeret, ſi ex ſententia cuncta fluerent. Anne verò hic labor dicendus, & non ignobilis potiùs *trepidatio*, mercenariis, non paſtoribus propria? *non eſt vir fortis, cui non creſcit animus in ipſa rerum difficultate.* S. Bernard. in Epiſt.

XII. JULII.

S. Joannes Gualbertus Conf.

NObilis Florentinus, ſplendoris plurimùm natalibus ſuis adjecit ex facto inſigni, quô capitaliſſimo, quem fortè obvium habuit, inimico, quemque pro libito ictu fatali conficere poterat, non modò mali nihil inflixit, ſed per *Crucifixi* amorem pro venia ſupplicem, in primæ etiam admiſſionis amicum adlegit. Gratias annutu capitis *Gualberto* ſuo habuit Servator è cruce pendulus, & victoriæ præmium dedit excultiſſimum ad virtutes animum, ſic, ut ſanctæ ſolitudinis amore, piâ in pauperes munificentiâ, humilitatis ſtudiô nulli palmam cederet *Gualbertus*. Sanè *fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit mœnia.*

SENTENTIA.

ULtra felicitatem conſtat eſſe victoriæ, inimicum ſalvum feciſſe: nec injuriam vindicâſſe. *S. Valerius Epiſc.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAgnatum favor & gratia, quàm mortales allicit! quàm ſtudiosè ambitur! dum verus interim honor negligitur & vileſcit. Quid amplius expetas, quàm ut Patris æterni filius audias? nec tamen tantæ dignitatis cupidine teneris. Offendit te inimicus? ſi DEI amore nec illi ſuccenſeas, nec pro malo malum reddas, ſed versâ vice, filius es Patris cœleſtis. *Diligite*, inquit Chriſtus, *inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos* &c. *ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt.* Matth. 5.

II. Durus videtur hic ſermo, ſed iis tantùm, quibus *charitatis* dulcedo inviſa eſt, & incognita: quique vel ex obliquo intuitu in vindictam pruriunt. Miſeri profectò ſunt, & fœmineò laborant vitiô. Jure in illos quis torqueat illud paſtoris apud Theocritum: *quanta eſt punctura ſpinæ, & quantum hominem domat!* generoſos alere ſe ſpiritus ſomniant, ſi, priusquam hoſtes ſtatuant *ſcabellum pedum ſuorum*, non quiescant: ſed ſomniant tantùm, cùm hoc animi robur poſſideat non qui injurias injuriis retundit, ſed qui patienter ſuffert. *Virum fortem injuriæ probant.* Auguſt.

III. Prompta injuriarum oblivio maximum *Gualberto* virtutum incrementum peperit. Condonarent ſaltem injurias alii, ut à propriis delictis purgarentur. Indubitanter enim antefert injuriarum remiſſionem Auguſtinus *continuis orationibus, frequentibus jejuniis, & largioribus eleemoſynis.* ſerm. 44. de SS. Imò Chriſtus ipſe plenarium veluti *Jubilæum* indulget promptè remittentibus, quando aſſerit: *dimittite, & dimittemini.* Lucæ 6.

Si

Si dimiſeritis hominibus, & Pater veſter cœleſtis dimittet vobis.

XIII. JULII.

S. Eugenius Epiſcopus.

EO rerum ſtatu Carthaginenſis Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit, quô Barbarorum furiis illa vix non penitùs conciderat. Tantæ facultates Epiſcopo non ſuppetierant, quibus commodè, & pro ſtatûs ſui decoro ſe aleret, quas tamen ipſas cum pauperibus partiri, quàm uni ſibimet impendere maluit. Hinc malorum (quibus virtus inviſa ſemper) livor & odia, *Arrianorum* præcipuè, qui nullum non movebant lapidem, ut antiſtitem eximium locô dejicerent, concitatô etiam rege *Hunerico* in catholicorum, ſacrarum præcipuè Deo Virginum exitium, quos indigniſſimis tractare modis *Arriani* dum non erubuerant, acerbiſſimæ perſecutionis procella in totam denique eccleſiam validè, & palam deſæviit: ſed nullo fructu. *Eugenius* enim, ut & cæteri Epiſcopi, non regi ſedicta veritus, non bonorum jacturam, non exilia, non horrendas, quas ab Epiſcopis arrianis tolerabant perſecutiones, immotus tamdiu perſtitit, dum ſublatô per morbum fœdiſſimum è vivis *Hunericô*, triumphum ex impiis duceret. Non perditur adverſitatibus eccleſia, ſed proficit.

SENTENTIA.

ECcleſiâ Chriſti nihil potentius: nunquam ſine tentatione: radices in cœlo fixas habet potiùs, quàm in terra: cùm

Digitized by Google

oppugnatur, vincit: cùm appetitur insidiis, superat: cùm afficitur injuriâ splendidior evadit. *S. Chrysostomus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SI DEI pupillam tangit, qui justos vexare non abhorret: quàm non lædet eundem, & Christum filium ejus, qui ecclesiam ex sacratissimo Servatoris latere prognatam impetit? egerunt hoc ab illius principio usque huc hæreses, sed expertæ sunt, ecclesiam esse turri Davidicæ similimam, ædificatæ cum propugnaculis, munitæ omni armaturâ fortium. Gratiæ tibi sint, Christe! quòd lectissimam hanc ecclesiæ tuæ structuram non arenæ mobili, sed inconcussæ petræ firmiter inædificare decreveris.

II. Contingit aliquando ecclesiæ, quod navi Apostolicæ: motus fiunt magni in mari hoc infido & spatioso, navicula fluctibus jam jam operiendo creditur: sed vigilat DEI providentia, imperat ventis & mari, fitque post modicum afflictionis tranquillitas magna. Quinimo ab ipsismet afflictionibus incrementum capit ecclesia. Nunquam enim profectò tam numerosâ sobole fœcundam se vidisset, nisi persecutionum turbo multa martyrum millia demessuisset. Horum scilicet sanguine, non aliô liquore, novellas irrigari plantas decuit, ut matureſcerent. *Sanguis martyrum semen est Christianorum.*

III. Non tam olim laceravit ecclesiam persecutoris gladius, quàm modò vita Christianorum improba. Acerbiùs hos tolerat hostes, quia propriis

priis è viſceribus natos. Quàm verò pudendum, Chriſtianum nomine ſolùm diſcrepare à Barbaris! uti porrò *maledictus, qui exaſperat matrem*; ita benedictio DEI plurimùm elongabitur ab his eccleſiæ privignis. *Quid prodeſt tibi vocari, quod non es?* S. Auguſt.

XIV. JULII.

S. Bonaventura Cardin. & Epiſc. Albanenſis.

ANnô ætatis ſuæ ſupra vigeſimum ſecundô, Seraphici *Franciſci* inſtitutum amplexus, iis in illo ſanctitatis & doctrinæ radiis emicuit, ut parvo ab religionis ingreſſu temporum intervallo, nulli quà pietate quà ſcientiâ præſtantiſſimorum palmam cederet. Mira fuit ejus humilitas ad infima etiam culinæ miniſteria ſe demittere ſolita: charitas in omnes obſequioſa, morbidos præcipuè, ac penè conclamatos; quibus contagiosâ etiam qandoque lue infectis miniſtrare tam volupe fuit *Bonaventuræ*, quàm ipſi Chriſto. Miniſter generalis electus, Ordinem ſuum primo nitori reſtituit, inque Provincias redegit, inſuper habitis malevolorum cavillis & oppugnationibus. Eboracenſem inſulam à *Clemente* quarto ſibi delatam recuſavit. Subinde tamen à *Gregorio* decimo in purpuratorum patrum relatus ſyllabum, & Albanenſis creatus Epiſcopus, fuæ ſic præfuit & profuit eccleſiæ, ut vivum amarent omnes, mortuum plorarent ſinguli. Stabili conatu firmatur illuſtrium virorum ſanctitas.

SENTENTIA.

QUà veriùs ſancti ſumma cognoſcunt, eò ſublimiùs terrena deſpiciunt. *S. Gregor. 7. Moral.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CONtulit inter ſe *Bonaventura* fluxa ſæculi bona, & alia, quæ intra clauſtrorum parietes puris mentibus deſtinat DEUS; cúmque notaret per illa peſſumdari & perdi *Bonaventura*: per hæc obtineri & advenire: iſta elegit, priora deſpuit. Falluntur ergo, quibus priora ſic ſunt in pretio, ut ad poſteriora capeſſenda ſignis etiam apertiſſimis vocati, moras tamen usque & usque nectant, dum denique vel inviti cogantur occinere ſibi triſte illud: *dum potui nolui, dum volui, non potui.*

II. Contulit inter ſe *Bonaventura ſcientiam* profanam, carnis prudentiâ ſtipatam, & *ſcientiam ſanctorum*: videnſque illam peſſimis non rarò conceſſam: aliàs verò ſanctioribus etiam cauſam fuiſſe fœdæ à Chriſto defectionis: hanc verò facili viâ, & velut manu ducere ad cognitionem quàm DEI, tam ſui: huic totum ſe auctoratum voluit; illam ſobriè adeò libavit, ut penitùs ad hanc relatam cuperet. An non ſanum fuit hoc *Bonaventuræ* judicium? commeritum planè eſt, ne caput, tam ſubtilis prudentiæ officina, poſt ſexageſimum à centeſimo etiam obitûs anno, in putredinem diffluëret: ſed ut *Martinus Sueſſanus* refert, labia, dentes, linguam in nullo à vitali ſtatu & colore demutata referens, perſtaret.

III.

Digitized by Google

III. Quæris, quô doctore tam recondita doctus fuerit Bonaventura? *Crucifixum* inſpice, & totam *Bibliothecam* evolviſti. Expende quod hîc leges: utque *bona ventura* capias, ſolerter imitare. *In ipſo* (Crucifixo) *volo tria tabernacula facere, unum in manibus, unum in pedibus, ſed aliud continuum in latere.* S. Bonav. Stimuli p. 1. c. 1.

XV. JULII.

S. Jacobus Niſibenſis Antiſtes Conf.

STudium perfectionis, cujus obtinendæ votô à puero *Jacobus* exarſerat, facilè eidem perſuaſit, ut Domini præcurſorem imitatus, ſolitariam amplecteretur vitam, æſtate, vere, autumnô intrà ſylvarum abdita: hyeme in rupe cava cum feris habitare ſolitus, nec aliô victitans, quam frigida, & pomis ſylveſtribus: nec aliam exucco corpori telam inducens, quàm vilem ex aſperrimis caprarum pilis endromidem. Subinde tamen evocavit eum ad procurandam plurium ſalutem operoſa charitas, quâ duce in *Perſidem* delatus, omnem in id operam contulit, ut idolomaniâ profligatâ, vero rerum opifici verus ubique cultus & adoratio conſtarent. Pondus optimo conatui non exiguum addidêre miracula ſanè ſtupenda, quæ inter non poſtremum fuit, quo lapidem prægrandem ad arguendam judicis injuſtitiam in mille partes unô execrationis verbo diſſillire fecit. Factus natalis ſibi urbis antiſtes, tam nihil remiſit ab auſteritate vitæ prioris, ut eam intenderet potiùs, & novis mortificationum ſtudiis augeret. Ut procul à fulmine, qui procul à Jove; ita procul à vitiis, qui procul à vitioſis.

SENTENTIA.

PUlchra res ſolitudo, & quies: id me docet Eliæ Carmelus: Joannis deſertum: ac mons deníque ille in quem JESUM ſæpe ſeceſſiſſe, ſecúmque animô quietô verſatum eſſe conſtat. *S. Greg. Nazianz. Orat. 16.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn deflexit *Jacobus* noſter à trita ſanctorum ſemita, quos inter uſu receptiſſimum fuit vel corpore, ſiquidem id liceret, vel animô certè, ſæpe ſæpiùs à turbis & mundano ſtrepitu ſecedere, ad converſandum cum DEO, & perdiſcendum cœleſtia. Peſſimè ſibi parcus eſt, qui tantillam menti ſuæ quietem prærípit, pro qua comparanda curâ tam pervigili laborârunt vel ipſi gentiles. *Abdimus nos*, inquit de ſe, ſibíque ſimilibus Cicero. L. 3. Offic. *quantum licet, & ſæpè ſoli ſumus,* Et nos non amemus niſi publicum?

II. Uti tamen optima quæque ſuô fine deſtituit diſtortus hominum utendi modus: ita *ſolitudinem* non pauci fecerunt vitiis ſuis *ſubſidiariam.* Mali cùm eſſent, oderunt lucem, & arbitros aliorum oculos. *Iniquitatem meditantur in cubili ſuo*, non compunctionem, futuri feliciores intrà ſanctam aliorum ſocietatem: adeò *homo ſolitarius aut DEUS, aut beſtia.*

III. Tutior igitur *receſſus mentis.* Serium quod intrà iſta abſcondita ſuſcipitur lectionis ſtudium *crebræ orationum vices* (verba ſunt S. Hier. Epiſt. ad Celant.) *preſſa de futuris cogitatio*, ſemina

mina ſunt inſignem ſuô tempore fructum non ipſi modò fundi & glebæ Domino, ſed aliorum etiam uſibus ubertim protrudentia. Maturum ſit oportet, quod tam vigilanter excoquitur: dum è contra, *quod citò fit, citò perit.* Antea meditabatur David *nocte cum corde ſuo:* exercitabat item, & ſcopebat ſpiritum ſuum, quàm inſquos viam DEI doceret. Diſce & tu in hac mentis abſtractione, quod doceas: ac ſilente in te ſtrepitu paſſionum, *audi vocem Domini DEI tui.*

XVI. JULII.

B. Milo Epiſcop. Tarvanenſis Canon. Præmonſtratenſis.

FAcilem ad capienda perfectionis religioſæ decora præbuit animum *NORBERTÔ* plaſti ſuo *Milo*, diſcipulus non degener; tantumque ſub hoc magiſtro non longo admodum temporis impendio profecit, ut dignus fuerit habitus qui primus cœnobio *S. Judoci in nemore* cum poteſtate præſideret. Et præfuit juſtô decenniô, tantis virtutum inſignibus clarus, tam illuſtri vitæ exemplô, ut angelo, quàm homini ſimilior appareret. Inde ad Tarvanenſem Epiſcopatum promotus, tantum ſanctitatis ſtudio, quantùm dignitate conniſus eſt eminere. Mira fuit ejus animi demiſſio, támque popularium etiam ore celebrata, ut de virorum ejus temporis præſtantiſſimorum ternario ſequens paſſim circumferretur judicium: *in NORBERTO Præmonſtratenſi eminet fides: in Bernardo Claravallenſi charitas: in Milone Tarvanenſi humilitas.* Congruè doctor melliſluus humi-

militatem *bonum* appellat *fundum*. Firmiter enim perſtat, quod illi fuerit inædificatum : ſicut ab oppoſito labat, quidquid extra ejusdem regulam procurrit.

SENTENTIA.

QUicúnque piè vult vivere, humiliter de ſe ſentiat. Fundamentum ſanctitatis fuit ſemper humilitas. *S. Cyprian. ſerm. de Nativ. Dom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. H*Umilitas* S. Bernardo eſt *virtus, quâ quis veriſſimâ ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit.* Tract. de 12. grad. Humil. Quòd rarus adeò ſit tantæ virtutis uſus, cauſa alia non eſt, niſi tenuis & propè nulla ſui cognitio. Rimetur homo ſeipſum, indiſſimulanter tamen : ſtatim emerget grande, quod ſumus, *nihilum*, quàm in naturalibus, tam in moralibus. *Si diligenter conſideres* (en unam tantùm vilitatis ſpeciem!) *quid per os, nares, cæterosque corporis meatus egrediatur, viliùs homine ſterquilinium non vidiſti.* S. Bernard. c. 3. Medit.

II. Hæc non perfunctoria ſui inſpectio ſummos etiam viros adeò in officio continuit, ut licet ſit *rara virtus humilitas honorata*, hanc tamen nunquam non ſibi fecerint familiarem. Natales illuſtriſſimi, dotes animi prorſus eximiæ, nunquam tantum potuerunt in *Norbertum*, *Benedictum*, *Bernardum*, & quos non alios? ut abjectô ſui contemptu ambularent in mirabilibus ſuper ſe. Veſtigiis eorum inſiſte, vel cœlò excludi te patere.

III.

III. Unum ſubinde bonum facit nos inſoleſcere, cùm contra plurima ſint mala, quæ ruborem excuterent, ſi ſtrictè expenderentur. Quid fieret ſi talentis *exceſſivè* foremus prædiți? diſcamus ab hoc genuino *Norberti* filio vileſcere nobis ipſis. Armemur in momenta ad debellandam ſuperbiam, *feram peſſimam*, quâ cum nobis certandum erit, dum *ſpiritus hos reget artus*. Eſt enim hæc *beſtia* tam ex fraudibus & dolis compacta, tam ſubdolè inimica, ut *in peccato prima ſit*, *in conflictu poſtrema*. S. Bernard. de Ord. vitæ & morum inſtitut.

XVII. JULII.

S. Alexius Conf.

INnumerasRomanorum pugilum palmas in unum velut faſcem collegit *Alexius*, quando victoriâ omnibus retro ſæculis inauditá ſeipſum triumphavit. *Euphemiani* ſenatoris nobiliſſimi filius cùm eſſet, jámque parentum voluntate lectiſſimam virginem in ſponſam accepiſſet: advertens ardua ſanctitatis opera, quæ ſecum ſeriò meditabatur, parùm adjumenti captura è *carne* & *ſanguine*, primâ nuptiarum nocte clam omnibus auffugit, & primò ſeptendecim annos peregrini habitu *Edeſſæ* in veſtibulo ædis DEIparæ Virginis excubans, ac pauperum curam pauper ipſe agens: ſubinde Numinis inſtinctu ſtationem mutavit, & novô pugnæ modô mundum ſubjugaturus, recta *Romam* contendit, inque ipſis paternis ædibus emendicato domûs angulo ſeptendecim alios annos delitens, religioſiſſimè vixit, novis úsque & úsque trophæis inclytus, ex devictis indies, & ferreâ patientiâ con-

concoctis vernarum insolentiis, quibus incognitus impetebatur. Mortuus denique, schediasmate, quod manu gesserat, Euphemiani Senatoris se filium, & *Romanum* prodidit, *agere & pati fortia*, dum viveret, *more Romano* doctum. *Hâc bona deridens mundus deluditur arte.*

SENTENTIA.

QUi verè se ad ea, quæ ex virtute sunt, certamina exercuerit, quique mundo seipsum crucifixerit, is mundo, & omnibus, quæ in mundo sunt, mortuus est. *S. Basil.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DEcretum fuit *Alexio* consequi gradum sanctitatis non vulgarem. Isti verò proposito cùm multùm obfutura videretur temporalium cura, *tribulatio* potissimùm *carnis*, conjugio nexu indissolubili juncta: unô saltu extra teli jactum ingenuâ mundi fugâ se subduxit. Altè procul dubio suo impresserit animo comminatorium illud veritatis æternæ: *qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus.* Matth. 37.

II. Alius hodie *Cosmophilorum* est genius. Decipiat mundus quantùm vult: amatur tamen. Divitiæ spinæ sint: lutum voluptates vetitæ: periculosi ex alto casus &c. alta tamen improvidè scandere, voluptatibus saburrari, divitiis affluere, plurimorum est votum. Interim DEUS negligitur, & æternæ salutis cura in postremis est.

Sicut,

Sicut in diebus Noë vix alia fuit hominum occupatio, quàm *comedere & bibere, nubere & nuptui tradi:* verbô, *ducere in bonis dies ſuos*, ſubinde verò *in puncto ad inferna deſcendere.*

III. Utinam haſce quisquilias generosô proterant pede religioſæ in clauſtris animæ: diſcantque *Alexii* exemplô ſublimioribus aſſueſcere! proterent porrò, & hanc animô diſciplinam facilè imbibent, ſi certò ſibi perſuadeant, communi aſcetarum ſenſu non aliâ re ſic diſſipari ſpiritum, quàm curis ſuperfluis de parentibus, propinquis &c. Hinc potiores *Novitiorum* tentationes, & damnatus aliquando in ſæculum reſpectus. *Qui majorem in modum ſæcularium hominum amicitiâ delectatur: à ſe proſcriptâ vitæ ſpiritualis ſtabilitate, quem ex animo effuderat, vitæ prioris vomitum reſorbebit.* S. Baſil.

XVIII. JULII.

S. Arnulphus Epiſcopus.

MUlta *Metenſi* huic antiſtiti cura fuit & ſollicitudo pro cultu DEI, eô potiſſimùm, qui per ſtatas preces à perſonis Eccleſiaſticis indies Numini debetur. Convenerat aliquando ſuo cum Clero Divinum perſoluturus officium, cum, ecce! juratus malorum hoſtis eo tempore Clericorum faſcinavit animos, ut in ſoporem quóque prolapſi, verſum *DEUS in adjutorium*, &c. inchoanti Epiſcopo reſpondere negligerent: ſed vicem dormientium continuò ſupplerunt angeli, magnâ reverentiâ, *Domine ad adjuvandum*, &c. ſubnectentes. Tantumque valuit vicaria hæc angelo-

rum

rum opera, ut & veternum torpidis excuteret, & fidem deinceps indubitatam faceret venerabilis ſuperorum ſpirituum præſentiæ. Pudendum ſanè in ſæculi nugis hominem tam eſſe ſerium, in ſeriis tam levem!

SENTENTIA.

NOn plus delectatur DEUS in oratione vocali, ſine attentione mentali, quàm in garritu avium, vel in grunnitu porcorum. *Vincentius Bellovac. ſpec. mor. l. 3.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm dæmoni terribilis eſt *oratio* ſuis numeris abſoluta; tam ridicula eſt, quæ diſtractionibus & irreverentiis ſcatet. Novit nimirum vaferrimus hoſtis, hujus furfuris deblaterationes non modò exſuccas eſſe, ſed maledicto etiam ſubjacere. *Maledictus, qui facit opus DEI negligenter.* Et tamen, ô quàm commune eſt hoc vitium! *Pſallam, & intelligam,* inquiit David. Apoſtolus item: *orabo ſpiritu, orabo & mente.* Aliud videlicet eſt *oratio ſeria,* aliud *pſittacorum garritus.*

II. Stultum videtur Claræ-vallis Antiſtiti, & vere ſic eſt, hominem à DEO petere, ut precibus facilem præſtet auditum, cùm tamen ipſe homo ſe ipſum non audiat. Et quid demum hoc aliud eſt, quàm nugari in re ſummè ſeria? quid mirum juſtâ prorſus indignatione nobis exprobrari, ut olim judæis: *odi & projeci feſtivitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Auſer à*

me

Digitized by Google

me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam. Amos 5.

III. *Hoc* igitur *age quod agis*, quisquis è Clero vel regulari, vel sæculari statis Officii Canonici precibus DEO supplicas. Cor tuum & caro tua exultent in DEUM vivum. Velut *in conspectu Angelorum* illi psallito: & orationes tuæ fumo aromatum similes, ex incenso charitate corde rectà in sublime evolent. Utque *muscæ morientes* non perdant *suavitatem unguenti:* flabellum tibi porrigat irretortus in DEI præsentiam oculus. Plurimùm valebis hôc mediô & contra technas diaboli, & contra congenitam tibi levitatem. Denique Bernardum audi: *orans considerare debet, quid petit, quem petit, seipsum qui petit.*

XIX. JULII.

S. Arsenius Conf.

TAnti nominis & famæ fuit *Arsenius*, tantæ in agendis rebus prudentiæ & dexteritatis, ut Imperatori *Theodosio* dignus fuerit visus, cui erudiendos committeret filios *Arcadium* & *Honorium*, in spem regni natos. Eam provinciam etsi renitens & invitus suscepisset, quòd maximis honoribus adnexam non ignorat; adeò tamen strenuè administravit, tantaque cum auctoritate, ut nec minimum desiderari posset. Sæculi satur, evocatus etiam voce divinitùs allapsâ, solitudinem petiit, in qua parvô admodum tempore eos in virtutum palæstra progressus fecit, ut, quod vitæ scriptor meminit, omnes eremi Patres, etsi viriliter currentes, multis parasangis anteiret. Humilitas

ejus fuit eximia, ſilentium omnino rigidum, abſtinentia ſupra fidem : quæ tamen virtutum prærogativæ & decora tam non præſumptionem vanam eidem ingenerârunt, ut poſt ætatis annos centum ſupra viginti, quorum ipſos quinquaginta uni DEO ſacraverat, moriturus, planè timeret eúmque metum verbis coram fateretur. Et ridere lubeat ad ejus articuli mentionem homini, peccatorum ſordibus per omnem ætatem innutrito?

SENTENTIA.

QUando omnis ſapientûm vita, ſecundùm Platonem, meditatio eſt mortis, debemus & nos præmeditari, quod aliquando futuri ſumus: & quod velimus, nolimus, non longiùs abeſſe poteſt. *S. Hieron. Epiſt. ad Heliodor.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SCriptoribus vitæ *Arſenii* certum fuit, omnem viri hujus ſanctitatem à judicii divini & mortis memoria profluxiſſe. Quid intereà nos? vivimus futurorum incurii, velut *æternùm* præſentibus ſaginandi. Hinc in deceſſu mille formidines, quòd convaſare tum velimus, ubi jam abeundum eſt. Felix qui ſic vivit, ut omni hora intrepidus dicat: *duc me, rerum arbiter, eò, quò ab æterno deſtinâſti.*

II. Hæc ipſa *mortis* memoria vile *Arſenio* reddidit, quidquid miſerè cœcutienti mundo in pretio eſt. Par nobis ſenſus foret, ſi par apud nos eſſet futurorum præmeditatio. Ludimus, & ludimur,

Digitized by Goo

mur, quando dignitatum faſtigia in voto nobis ſunt & amoribus: cùm tamen è quovis angulo tutiùs in cœlum eatur. Viles nimiùm *animæ* ſunt & ferè *materiales*, in quas tantum non poteſt *æterni boni* memoria, ut eas à ſæculi nugis abducat. *Beatitudo hæc in excelſo eſt, ſed volenti penetrabilis.* Senea Epiſt. 65.

III. *Fuge Arſeni! ſede, tace, quieſce.* En traditam compendiò totam ſanctioris vitæ normam! turbamur ſæpe circa plurima, cùm interim unum ſit neceſſarium. Una *reſolutio heroica*, DEO ſerviendi, viam complanavit *Arſenio* ad perfectionis ſummam. Audacter aliquando cæpiſſe, nec obviis difficultatum *larvis* terreri, via regia eſt ad inſignem profectum. Quod cuique faciendum eſt, non ſupra illum eſt, non procul, ſed proximè poſitum. Dicere ſuis conſuevit S. Antonius: *Græci ſtudia transmarina ſectantur: regnum autem DEI intrà vos eſt.*

XX. JULII.

S. Wilgefortis Virgo & M.

PArentem habuit *Wilgefortis* Luſitaniæ Regem, omnes inſuper animi & corporis dotes infante regiâ dignas: magnam tamen cumprimis & formæ venuſtatem, & morum elegantiam, quæ procorum animos ſic ineſcarunt, ut multùm accreſceret moleſtiæ *Wilgeforti*, cui decretum prorſus erat *caſtam ſe virginem exhibere Chriſto.* Hunc ergo animæ ſuæ ſponſum tamdiu precibus urgere non deſtitit, dum concederet, quod petierat. Petiit porrò formæ tam illicis diſpendium, ut ſua animæ

pulchritudo conſtaret, & obtinuit mentum virgineum unius noctis interſtitiô promiſsâ veſtiri barbâ. Sic virilem animum virili etiam formâ & hominibus probavit, & ſuperis; eô tamen diſcrimine quòd ab his plauſum tulerit: ab illis odium, ſolitum mundi minerval. *Cruci* enim (*ſuſpendio* necata) virginea puritatis illibatæ lilia Martyrii Lauro innexuit, conſtituta à DEO ſingularis mœrentium Patrona. Idem, credo, judicium fuerit *Wilgeforti*, quod *Euripidi*, quem ſæpe ferunt dicere ſolitum: *deformis ſim potiùs, quàm pulcher, & malus.*

SENTENTIA.

PUlchrè à conditis amorem ſubtrahunt, qui in ipſum auctorem pulchritudinis cordis paſſibus tendunt. *S. Greg. in Regiſtr.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NIhil olim inſuetum fuit SS. Virginibus, multis apud DEUM precibus inſtare pro corporis & formæ defectibus: imò manu propriâ (ſuggerente Spiritu ſanctô) tales ſibimetipſis inducere. Nôrunt nimirum, nimis quàm verum eſſe Poëtæ effatum: *lis eſt cum forma magna pudicitiæ.* Bene item ab alio dictum: *magno cum periculo cuſtoditur, quod multis placet.* Felix igitur, quem numinis providentia eô deſtituit, quô hodieque caruiſſe cuperent tot inferorum mancipia.

II. Non defuerunt interim, quibus ipſa etiam formæ venuſtas occaſio fuit amandæ *pulchritudinis increatæ.* Sanè ſic conſueverunt ſanctiores animæ,

animæ, ubi ſeparant *pretioſum à vili.* Stupuerunt olim eremi Patres, quòd *Nonnus* elegantis formæ proſtibulum non fixis modò intuitus eſſet oculis, ſed etiam eâ formâ mirè captum ſeſe aſſeverâſſet: verùm ubi ſe pleniùs explicuit, adverterunt aliò longè collimâſſe illam complacentiam: adeò verum eſt, nihil penitùs reperiri ſub ſole, quod bonis bonum non ſit: quamvis ob periculi proximitatem præſtet pepigiſſe fœdus cum oculis ſuis, ad non videndum, niſi quæ licent.

III. Pulchritudinem igitur formæ, ſi hæc obtigerit, geminet pulchritudo morum: ſin; ornatui animæ omnis impendatur cura. Sit hæc ſine macula & ruga, ut æterno Regi placeat. Suos *Jezabel* oculos ſtibiô depinxit, ut formoſa videretur: verùm non ſolùm hominibus; ſed ipſis etiam canibus, quorum dentibus lacerata eſt, diſplicuit. Aliud pro anima tua pigmentum ſuppeditat Bernardus, ſic dicens: *decor animæ duplex, innocentia, & humilitas.*

XXI. JULII.

S. Praxedes Virgo.

MEmorat vitæ ſcriptor, nobiliſſimam hanc Virginem Romanam adeò Chriſti, & ſalutis animarum amore flagrâſſe, ut nullum paſſa ſit diem abire vacuum inſigniore quâpiam pietatis exercitatione. Cura illi omnis jàm in tumulandis Martyribus, jam in ſublevandis pauperum indigentiis. Beatum *Simitrum* Presbyterum, cum virginti duobus aliis, ſuis ipſa manibus reverenter ſepeliit:

plus honoris ex hoc charitatis officio adeptam ſe rata, quàm à ſenatorio ſanguine. Diuturnis denique malis, quibus ex cruenta tyrannorum ſævitie divexabatur Eccleſia, & ipſa fatigata, inſtanter diſſolvi cupiit, & eſſe cum Chriſto: votique damnata, cœlos ſubiit, promiſſa miſericordibus præmia captura. Utinam & ſic nulla tibi dies effluat ſine linea!

SENTENTIA.

MIſericordiæ opera & hic juvant, & in futurum præmiant facientem. *S. Gregor. in regiſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VErè & ſanctè dictum ab Auguſtino: *opera miſericordiæ ſunt ſemina futuræ meſſis.* O quàm modò gaudet *Praxedes* noſtra, quòd quàm in Martyribus, tam pauperibus eſurientem *Chriſtum* cibaverit, ſitientem potaverit, nudum operuerit, infirmum & vinctum viſitaverit, mortuum ſepeliverit. Semina, ſed non parcè, ne parcè metas. Nihil deperit, quod ex miſericordiæ legibus erogas. Si in miſericordium ſyllabo mors te deprehendat, experieris tuô bonô veriſſimè dictum eſſe à Bernardo: *opera miſericordiæ ſola in diſtricto examine laudari merentur.* de Paſſ. Dom.

II. Mirum, hominem fugere ſæpiùs occaſionem exercitii tam pretioſi, tam meritorii! ſubiret ſaltem animum præferocem memoria *Samaritani* Evangelici: non ſanè pigeret impoſterum con-

Digitized by Google

convenire miſeros, eorum alligare vulnera, infundere oleum & vinum &c. Charitas nimirum non modò *benigna* eſt, ſed etiam *officioſa*, magis compatiens malo alieno, quàm domeſtico.

III. *Induite ergo*, monet Apoſtolus, *vos, ſicut electi DEI, ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ.* ad Coloſſ. 3. In hoc indumento magis ſplenduit Joſeph, Ægypti Prorex, quàm in purpura & aureo torque. Hôc *Praxedes* ámicta, velut lectiſſima Chriſti ſponſa, cœleſtem ſubiit thalamum. Hôc quisquis olim caruerit, ejicietur in tenebras exteriores. *Judicium ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam.* Jac. 2. v. 13. E contrà: *miſericordia teſtabitur vos, DEI ſapientiæ præcognitos à maſſa perdendorum ſeparatos, ad vitam æternam præordinatos.* S. Anſelmus.

XXII. JULII.

S. Maria Magdalena.

PEccavit *Magdalena*, quod commune eſt, & plurimorum: de peccatis verè pœnituit, quòd paucorum. Ardentiſſimâ dilectione, quâ caſtè *Chriſtum* deperiit, abſolutionem ab hoc, velut à *ſacerdote ſummo*, conſecuta eſt. Nèque tamen præfidentiâ vitioſâ *de propitiato peccato* metuere deſtitit (ut paſſim conſuevit hominum levitas) ſed tanquam nihil egiſſet hactenus, poſt glorioſum Servatoris ad cœlos tranſitum, *Maſſiliam* delata, in horridam ſeſe ſpecum abdidit, omnibus deinceps ſæculis germanum pœnitentiæ exemplar futura. Totis igitur triginta annis aſperrimam agens vitam, non aliô paſta eſt cibô, quàm crudis ra-

dicibus ponè antrum ſuccreſcentibus: non aliô recubuit lectô, quam dura rupe; continuis interim lacrymarum imbribus deflens olim commiſſa. Meruit tam ſerium pœnitendi ſtudium favores numinis inſolitos: inter quos fuêre præcipui, quòd hoc luctûs ſui tempore à DEI Filio decies ſupra centies (ut ipſamet revelavit non nemini) fuerit viſitata: quòd angelorum manibus indies ſeptem vicibus ad uſque cœlorum confinia deportata. *Crebrò ſecutus es errantem: utinam aliquando ſequâre pœnitentem!*

SENTENTIA.

Fit plerúmque gratior DEO amore ardens vita poſt culpam, quàm in ſecuritatem torpens innocentia. *S. Gregorius in Paſtor.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ETſi *pœnitentia ſera rarò* ſit *vera*: nihilominus tamen *nulla pœnitentia nimis ſera*, ut inquit S. Cyprianus, ſi vera ſit, & pœnitentiæ *Magdalenæ* non abſimilis. Deliquit hæc multùm: quia tamen in vicem etiam dilexit multùm, multùm ſibi culpæ dimiſſum à Salvatore audiit. Anime mi! ne deſpera: idem tibi DEUS, qui *Magdalenæ*: eadem pœnitenti promiſſa venia, quæ illi. Tantùm non aliquando intra teipſum concipias execrandam *Caini* blaſphemiam. *Prima ſalus eſt, declinare culpam: ſecunda, non deſperare veniam.* Hug. Card.

II. Ut tamen ex æquo doleas, idem tibi agendum quod *Magdalenæ*: precibus aſſiduis pulſanda

DEI

DEI bonitas, ut largiatur *cor contritum & humiliatum*: ut det capiti tuo aquam, & oculis tuis fontem lacrymarum. Profectò enim *non* unius hominis *volentis, neque currentis* hoc opus est, *sed miserentis DEI. Pœnitentia*, inquit Augustinus, *à solo DEO datur & completur*. de SS. Virgin. Item: *pœnitentiam non agimus, nisi Domini beneficiò excitati*. de Gratia Christi. L. 1.

III. Denique parùm est pœnitere, nisi pœniteas stabiliter. *Inanis* enim *est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: nihil valent lamenta, si replicantur peccata: nihil valet à malis veniam poscere, & mala de novo iterare*. S. August. in Soliloq. Verè de re judicant, qui censent, majus esse miraculum unius peccatoris conversionem, quàm structuram magni hujus mundi. O quàm pauci sunt, qui non obturant corda sua ad DEI vocem, vocantis ad pœnitentiam! verùm *cor durum malè habebit in novissimo*.

XXIII. JULII.

S. Birgitta Vidua.

FIlia *Birgeri* & *Sigridis* nobilissimorum parentum, septimò jam ætatis annò pietate insolitâ futuræ sanctitati mirè præluit. *Ulphoni* subinde *Nericiæ* Principi desponsa, rarò conjugibus exemplò, integrum annum cum conjuge continentissimè vixit. Prolibus verò à DEO donata, nil prius habuit, quàm ut legibus eas informaret exactæ pietatis. Lege denique viri soluta, vitam cæpit longè aliam: Ordinem novum instituit, tam sanctum, cœlestibus decretis adeò instructum, ut

indubitatum omnibus esset, altiore consiliô & manu eundem promotum. Reliquas inter virtutes non prostrema fuit eximia erga Christum patientem charitas, cui ut quoquô modô compateretur sextis quibúsque feriis ignitas ardentis cerei guttas nudo inspergere brachio; herbis quibusdam amarissimis discruciare palatum, totum insuper corpus nodosis constringere funibus usque ad ipsius carnis lanienam consuevit. Mira sunt quæ DEUS sanctæ huic Matronæ revelare dignatus est. Par tibi sit erga passionem Christi affectus, & non aberunt cœli favores.

SENTENTIA.

PAssio Christi, opus nostræ redemptionis, totum amorem nostrum vindicare debet. *S. Bern. serm. 20. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FAmiliaria fuit *Birgittæ*, vix decem annos natæ, parvam aliquando sibi moram suffurari, quam explicando suo in *Crucifixum* destinaret amori. Bonum factum! si *somnus subinde inquieta quies est*, ut loquitur August. L. 2. de Civit. c. 22. quid prohibeat quandoque interrumpere illum ad comparandam sibi quietem nobiliorem intrà repanda Salvatoris vulnera; *Lectulus* iste *floridus*. Hìc *si dormieris*, *non timebis*: *quiescès*, *& suavis erit somnus tuus*. Proverb. 3. v. 24.

II. Fuit ipsum id *Birgittæ* exercitium species parvæ sui victoriæ, quales de se ipsis reportare

sæ-

ſæpiùs ſolent perfectionis amantes. Non hîc ſermo eſt de ciliciis & flagellis: non de ſolo aut ſaxis molli culcitræ ſubſtitutis: non de jejuniis in pane & aqua perpetuis: qualia viris in charitate radicatis & fundatis familiaria ſemper fuerunt: dum interim debilioribus multùm meriti accreſcet ſi illis (ſcriptoris eximii phraſes pono) *pro jejunio ſit buccellæ defraudatio: pro flagellis & ſacco ſint pulicum, culicumque ictus inconnivè vorati: lentè item tolerati ſodalium aculei.* Experire, quantum in tali pugna poſſis.

III. *Birgittæ* lacerum Chriſti corpus *liber* fuit, *ſcriptus intùs & foris.* Mira hîc didicit, & à mille aliis abſconſa. Mira etiam tu hîc leges: *ſtratagemata* potiſſimùm nec pauca, nec ignobilia, debellando hoſti tuo domeſtico mirè conducentia: quem hoſtem *Birgitta* non modò mentis oculis acutè proſpexit: verùm etiam ſubodorata eſt, ſæpè cum animi deliquiis. En verò ejuſmodi ſtratagema. *cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei reſurgo.* S. Aug. in Man.

XXIV. JULII.

S. Chriſtina Virgo & Mart.

QUòd falſorum numinum ſimulacra aurô & argentô fuſa clam impio parenti ſurripuiſſet, inque fruſta comminuta in pauperum uſus tranſtuliſſet *Chriſtina*, plurimùm pati debuit. Alapis enim cæſa, verberibus laniata, ferro & catenis ſæpiùs onuſta, rotæ innexa, & igni lentè toſta, alligato ad collum immanis ſaxi pondere in lacum

Vul-

Vulsinium præcipitata, æstuantissimæ fornaci per quinque dies inclusa, serpentum & viperarum ictibus exposita, cum divinæ providentiæ operâ non modò illæsa perstitisset, verùm & tribus tyrannis gloriosè devictis, multum gentilium numerum cœtui fidelium aggregari precibus obtinuisset, novissimè sagittis confecta glorioſa Martyr ad sponsum abiit. Quidni sic certanti cœlum debeatur?

SENTENTIA.

TErreantur licet Martyres, rident: feriuntur, gaudent: occiduntur, & ecce triumphant: quia charitate intus in corde jam dudum mortui peccatis, mortui mundo, quasi insensibiles facti, nec minas, nec tormenta, nec mortem sentire potuerunt. *S. Bern.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VIrilem rursùs animum miramur in fœmina fragili: utinam una miraremur nostram ignaviam, quòd etiam ad nudum tormentorum nomen exhorrescamus. Novit eximia Martyr DEI, providentiam *in sui dispositione* adeò non falli, ut omne quod constituerit, ad punctum certò sit eventurum. Constituit verò ista suum etiam *crudelitati* terminum, apud quem deferverent omnes *tyrannorum* furiæ. Hanc veritatem pro nata occasione recole: ingenerabit periculorum contemptu assiduitas ipsa periclitandi.

II. Initium persecutionis *Christinæ* dedit præcavendi in parente peccati studium. Quòd enim

enim furtô laudabili dæmonum ſtatuas patri ſurripuiſſet, diris eſt affecta ſuppliciis. Patimur ſæpiùs culpâ noſtrâ & demeritô: intereà tamen etiam ſic paſſi iraſcimur caſtigantis manui. An non ſtolidè? obſequamur Euripidi, chriſtianè monenti: *ſimplicem dolorem cùm liceat, non feras duplicem.*

III. Si quid porrò patimur *propter juſtitiam*, beati ſumus: inde utique quòd ejuſcemodi paſſio participatio ſit Paſſionis Dominicæ. Paſſus eſt enim Chriſtus, non ſuâ culpâ, ſed quia voluit. *Paſſio Domini tria habet*, inquit melliſluus ſerm. in Dom. Palm. *opus*, *modum*, *cauſam*. *In opere patientia: in modo humilitas: in cauſa charitas commendatur.* Si ſobriè ſapiamus, nihil ſic cavebimus, quàm ne deſtituamur iſtô Chriſti patientis conſortiô. Quin potius cum magno Indiarum Apoſtolo pro tribulationum augmento fidenter rogabimus: *ampliùs, Domine! ampliùs.* In vita.

XXV. JULII.

S. *Jacobus Apoſtolus.*

POſſe ſe bibere Paſſionis calicem, indéque dignum eſſe regni cœleſtis gloriâ tum probavit *Jacobus*, quando pro amplificando *JESU* nomine, pro dilatandâ fide, pro novellis Eccleſiæ plantis contra quosvis adverſitatum inſultus efficaciter firmandis, grata DEO victima cecidit, ſanguinariô *Herodis* mucrone confectus. Docuit tum temporis, inter cætera probè addidiciſſe ſe à magiſtro ſuo *Chriſto*, ignoſcendum eſſe inimicis, orandum pro illis, reddendum pro malis non paria,

ſed

ſed bona; quando carnificem, à quo mactandus fuerat, veniam petentem, non modò iſtâ peramanter donavit, verùm & affectuosè brachiis conſtrictum, oſculô amicè ſalutatum, martyrem unà ſecum ad cœlos abduxit. Sacræ illius exuviæ *Compoſtellam* translatæ, totam, qua latè protenditur, *Hiſpaniam* felicitant, & ex miraculorum magnitudine *Majoris* nomen divo confirmant. Multùm animi tibi ſuggeret ad ebibendum paſſionis calicem, promiſſæ felicitatis memoria.

SENTENTIA.

PRæmia ſtatuuntur his ſemper, quibus certamina dura proponuntur: ac pro magnitudine certaminis, præmii proponitur magnitudo. *S. Chryſol. ſerm. 22.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Manſiones multæ*, quas parari fidelibus in domo Patris ſui aſſeruit æterna veritas, adeò confirmârunt Apoſtolorum animos, ut imperterriti non probra modò & contumelias, ſed & mortem ipſam pro Chriſto ſubirent. Novimus ſinguli, beatos eſſe *qui patiuntur propter juſtitiam*, & *horum eſſe regnum cælorum*: & tamen, ô quàm languidè ſtudemus veræ patientiæ! quàm parùm aſpiramus ad lucidas illas manſiones! *ego parvulus inter parvulos familiæ tuæ, DEUS Pater, & virtus mea, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam?* S. Aug. Soliloq. c. 23.

II. Sum-

II. Summa fuit Apoſtolis lætitia, venire in numerum illorum, qui bibituri erant calicem paſſionis. Calix hic ô *quàm præclarus eſt* ! ô quàm alius à calice *iræ furoris Domini!* non propinatur, niſi primæ admiſſionis amicis, & breviter bibitur: cùm alterum bibituri ſint in omnem æternitatem, quia *fæx eius* nunquam exinanietur. Elige, ſed *prudenter.*

III. Non eadem *calici Paſſionis* conditio eſt, quæ *volumini*, quod Joanni comedendum porrexit Genius Apocalypticus. Fuit hoc intrà palatum *velut mel* dulce: ſtomachô tamen receptum in amaritudinem deſiit. E contra *calix paſſionis* potum ſubminiſtrat initiò amariorem: noviſſimè tamen inexplicabili dulcedine ſuavem. Meſſuit primò ſponſus *myrrham* ſuam *cum aromatibus* ſuis: deinde comedit *favum cum melle* ſuo. *Si datum fuerit in eſcam tuam fel, & acetô potatus fueris, memento, quia talia paſſus eſt Chriſtus. Ut autem patiaris fortiter, memento mellis gloriæ, in quod myrrha brevi mutata eſt.* Gilb. Abb. in Cant.

XXVI. JULII.

S. Anna, Chriſti Avia, DEIparæ Mater.

COpulaverat cœlum cœleſtes animas *Joachimum* & *Annam*, hanc ex genere ſacerdotali ortam, de tribu Aaronica, radice Regiâ & Propheticâ: illum regiô non minus ſtemmate prognatum. Sed præter lacrymas & ſuſpiria nil genuit ultra viginti annos ſterilis thalamus. Doluere ſuam vicem pii conjuges, & DEO in vota ſibi flectendo non modò interdiu & noctu perſtitêre ſupplices,

plices, verùm & largiſſimis in pauperes eleemoſynis robur addere orationi ſtuduêre: idque ſucceſſu adeò felici, ut *Anna* demum Mater fieret *MARIÆ*, *JESU* Avia. *Multæ filiæ congregaverunt divitias*, hæc ſupergreſſa eſt univerſas: magis privilegiata, quàm ulla ſanctarum fœminarum teſtamenti veteris. Necimmeritô à diva Birgitta *omnipotentis DEI Gazophylacium* dicta, *quòd theſaurum numini tantum amabilem ſuô recondidiſſet uterô*. Vide quousque ſe exporrigat orationis efficacia.

SENTENTIA.

QUod Gemmæ annulo, oratio animæ. Annuli decor gemma: animæ glorio oratio, à qua ſplendorem, lucémque accipit, gratam cœleſtium oculis, adeoque & DEI. *Aſceta.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SNili effatum eſt: *oratio eſt nuptias contrahentium corona.* Multá oratione opus eſt, ut felix fauſtùmque ſit conjugium. *Sara*, *exurge* (ſic ſponſam ſuam compellabat *Tobias* Junior. Tob. 8.) *& deprecemur DEum hodie, & cras, & ſecundum cras: quia his tribus noctibus DEO jungimur.* Hoc mediô lectiſſimi conjuges *Joachim* & *Anna*, non modo expugnârunt ſterilitatis probrum, ſed filiam donari ſibi obtinuerunt, extra quam inter natas mulierum non ſurrexit major. Dolenda cœcitate laborat, quisquis poſt tantas gratiarum copias ferventer orantibus indultas, nondum perſpicit orationis efficaciam.

II. Orâ-

II. Orârunt hi conjuges *ardenter*, *conſtanter*, ut ſancti ſolent. *Electi eò diſtrictiùs ſe in ſeipſos colligunt*, inquit Laurent. Juſtin. *quò ferventiùs aſſiſtere ante DEum per orationis ſtudium diſponunt*. de Orat. c. 3. Sanè, illis ſolùm petentibus datur: illis pulſantibus aperitur, qui piè petunt, qui inſtanter pulſant. Ut ores cum fructu, colligendi in unum ſunt affectus omnes, ne per creaturas diffluendo ab intentionis tuæ ſcopo exerrent. *Cùm oraveris*, *mentem ad DEum attolle*: *& etiamſi inde abſtracta deſcenderit*, *iterum ipſam recollige*. S. Nilus.

III. Aliquibus SS. Patrum oratio eſt *catena aurea*, de ſummis cœlorum ad usque terram ſe exporrigens, ad illò non pertrahendum, & inde demittenda nobis dona *gratiæ*. Aliis eſt *ſcala Jacob*, per quam, dum aſcendunt noſtra vota, in vicem deſcendit *DEI miſeratio*. Quid jam mirum, ſanctos ſtudium omne in eo poſuiſſe, ut bene orarent? *nihil ex his*, *quæ per hanc vitam coluntur*, *& in pretio ſunt*, *orationi præſtat*. Ita vero S. Greg. Nyſſen. de Orat. Domin.

XXVII. JULII.

SS. Septem Dormientes MM.

QUô tempore ſanguinarius *Decii* Auguſti furor horrendè in Chriſtianos deſæviit, ſuum agonem, ut multi alii, ſeriâ mentis conſtantiâ præſtolabantur ſeptem germani fratres, *Maximinianus*, *Malchus*, *Martinianus*, *Dionyſius*, *Joannes*, *Serapion*, *& Conſtantinus*. Ac, utne congreſſu

hominum à rerum divinarum contemplatione abſtraherentur, inter quampiam ſpeluncam abditi, dies integros, atque noctes orationi vacabant: ubi mirabili DEI providentiâ, dum ſomnô juſtorum correpti quieſcerent, ipſius verò ſpeluncæ aditus imperatoris juſſu ſaxis ingentibus eſſet obſtructus, dormierunt illi annis admodùm trecentis & duobus ſupra ſeptuaginta, ad úsque ſcilicet tempora *Theodoſii*: ſub quæ DEI virtute denuo expergefacti, vivum ipſi exemplum facti ſunt futuræ reſurrectionis juſtorum. O ut olim talis ſit ſomnus noſter!

SENTENTIA.

REſurget juſtus, ut judicet: peccator ut judicetur: impius ut ſine judicio puniatur. *Caſſiodor. ſuper Pſalm.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *IN pace in idipſum dormiunt & requieſcunt*, atque ſecuri judicis adventum præſtolantur, quotquot DEI amici per temporariam mortem requieſcere jubentur à laboribus ſuis. O quàm felix eſt talium conditio! quàm illis mori eſt lucrum! S. Ambroſius in textum Apoſtoli ad Philip. c. 1. *deſiderium habens diſſolvi* &c. *Solutio iſta*, inquit, *quid aliud agit, niſi ut corpus reſolvatur & quieſcat, anima autem convertatur in requiem ſuam, & ſit libera?* parvi cœlum facit, qui non crebriùs ad hanc requiem aſpirat.

II. Hic ſomnus SS. Martyrum ſimillimus eſt illi, quô *quinque prudentes Virgines* dormierunt in

Do-

Domino, quousque per clamorem, qui ſponſi adventum nuntiârat, mediâ nocte expergefactæ ſunt. Quid porrò mirum, ſuaviſſimum fuiſſe hunc ſomnum, ubi melleus Doctor aſſerit, ipſum Chriſti pectus fuiſſe illarum *dulce reclinatorium* ? en in hoc pectore *lectulum Salomonis*, anime mi ! hîc, ſi tibi, uti innumeris ſuis *dilectis*, ſomnum dederit animæ tuæ ſponſus: indubiè olim audies : *ecce hæreditas Domini !*

III. Hæc tamen requies, tam beata, non decernitur, niſi vigilantibus per omnem vitam. *Vigilate*, ſæpiùs inclamat Chriſtus, *& orate*. Somnum naturalem *fratrem Mortis* dixêre Philoſophi. Magis hoc verum eſt de ſomno ſpirituali. *Si incipis tepeſcere*, inquit Thom. Kemp. l. 1. de Imit. c. 25. *incipis malè habere*. Dormienti tibi & dormitanti, *veniet quaſi viator egeſtas* (meritorum videlicet) *& pauperies*, *quaſi vir armatus*. Prov. 6. *Beatus* igitur, *quem cùm venerit Dominus*, *invenerit vigilantem*.

XXVIII. JULII.

S. Nicetas Martyr.

QUanti ſit ingenii caſtitas, & quàm mirabilium adinventionum, ſuô poſteris ſanguine tranſcriptum reliquit *Nicetas* Martyr, nobilis victima caſtitatis. Sericis hic vinculis impii tyranni juſſu, ſupinus roſas inter & flores alios adſtrictus, ac deinceps ab impudenti mulierculâ ad turpia ſollicitatus, cùm aliter ſcortum repellere nequiret, præmorſam dentibus linguam in meretricis faciem exſpuit,

ſpuit, ut vel ſic perfrictam frontem ſalubriter erubeſcere faceret. O *Niceta*! ſic Martyrem compellat religioſiſſimus ſcriptor Hieremias Drexelius, *ô macte virtutis & animi juvenis, qui tot ex orco compedes rupiſti, & virginei pudoris libertatem in tutum aſſeruiſti, fauce pro pharetra, linguâ pro ſagitta fortiſſimè uſus.*

SENTENTIA.

NOn ignoremus caſtitatis gloriam: angelica eſt corona. Parcamus corporibus, quæ lucere debent ſicut ſol? Parva eſt ad horam voluptas, ſed ex peccato æterna verecundia & pœna. *Cyrillus Hieroſolymit Catecheſ. 12.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UTinam, quantus eorum eſt numerus, qui fortiſſimum *Nicetam* mirantur, tantus & aliorum ſit, qui imitantur. Neque tamen hic ſolus illuſtre propugnatæ caſtitatis ſpecimen exhibet orbi, quando & teneræ Virgines, eæque ſine numero, ut caſtitatem ſervarent indemnem, gladiis perfodi, ungulis excarnificari, rotis comminui, flammis exuri, aquis ſuffocari non refugerunt. *O caſtitas & pulchra & pretioſa poſſeſſio, donum DEI opulentiſſimum!* S. Ephrem. Tom. 1. Encom. Caſt.

II. Lingua morſu generosô præciſa *Nicetæ* pro telo ſerviit. Novit nimirum laureatus pugil, non modò ab incautis aſpectibus, & periculoſis contactibus; verùm etiam à petulanti lingua plurimis

anima-

animabus exitium parari. *Uti ſunt*, inquit S. Bernard. *elingues & muti; ſic etiam ſunt facundi & loquaces diaboli: inter hos ſignifer eſt laſcivus dæmon, cujus officium eſt, colloquia verborum ſpurcitiis aſpergere, inverecundos ſales ubique miſcere.* Serm. de 7. ſpirit.

III. Non legitur *Nicetas* multum verbis egiſſe, ad confundendam vilis proſtibuli laſciviam, feſtinatô nimirum opus eſt remediorum uſu. Certum enim caſtitatis amantibus, in excutiendo è ſinu Veneris igne, moram etiam quantulamcunque eſſe nimiam. Fugam in his congreſſibus paſſim ſuadent Aſcetæ, ſi fugere poſſis. Sin; ut aliquid audeas, *Nicetæ* virtuti geminum. Generoſis auſibus haud difficulter aſſueſces, ſi à minimis incipias, & primùm ipſam etiam libidinis umbram devites. Secus enim verificabitur effatum Gregorii magni: *Si curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam majora perpetramus.* 10. Moral. c. 9.

XXIX. JULII.

S. Martha Virgo.

SS. *Lazari* & *Magdalenæ* ſoror, unigenitum DEI Filium, cùm in terris peregrinaretur, crebrò ſuſcepit hoſpitiö, ac maximâ quâ potuit ſollicitudine victum eidem miniſtravit. Poſt illius verò glorioſam aſcenſionem ſingulari numinis providentia *Maſſiliam* delata, cum aliquot honeſtiſſimis fœminis multô tempore religioſè vixit, & quamvis meritis bonorum operum foret eximia, humi tamen ſtrata, atque cinere conſperſa, mortem op-

Digitized by Google

petere vôlult: quô fatali articulô ſummô animi ſui ſolatiô *Chriſtum* habuit aſpectabilem, audiitque dicentem: idcirco ſe adeſſe, ut vices rependeret, & in cultæ olim hoſpitalitatis præmium, hoſpitam ſuam ad æternæ felicitatis manſionem induceret. Magna profectô merces non magnis impendiis parta.

SENTENTIA.

DIſce Chriſtiane ſine diſcretione exhibere hoſpitalitatem, ne fortè cui domum clauſeris, cui humanitatem negaveris, ipſe ſit DEUS. *S. Auguſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAgna utique foret felicitas noſtra, ſi iis *Chriſtum* obſequiis nobis aliquando demereri, quibus *Martha*, poſſemus: verùm cùm illud nec exigat diviniſſima Servatoris conditio, nec ſibi ſpondere auſit nimia noſtra indignitas: quid porrò aliud reliquum eſt, quàm, ut ipſum id membris præſtemus, quod capiti debeamus? ſunt verò membra illa etſi omnes indiſcrinatim homines; ii tamen præ cœteris, qui cum egeſtate & rerum omnium penuria conflictantur, indéque fiunt impotentes ad reddendam beneficiis vicem. *Cùm facis convivium*, inquit Chriſtus, *voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum.* Lucæ 14.

II. Conſtat è ſanctorum faſtis, non modò Angelos divertiſſe ſæpiùs ad hoſpitalitatis amantes, ſed

&

& ipsum Angelorum Dominum. Verè *salus domui* talium *facta est.* Gentium Doctor inter se combinat *charitatem fraternitatis*, & *hospitalitatem.* c. 13. ad Hebr. De utraque verò sic pronuntiat S. Chrysostomus: *qualem mercedem habent, qui propter DEUM peregrinantur: talem habet, qui suscipit peregrinum.* in Matth.

III. Facit etiam optimus DEUS per *hospitalitatem* substantiam nostram non minui, sed augeri. Sic abundè benedixit domui *Laban*, quòd hic fugitivum *Jacob* per annos decem & quatuor fovisset hospitiô. Sic benedixit *domui Ægyptii propter Joseph: multiplicavitque tam in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substantiam.* Gen. 39. Dandum ergo, si possit, largè, & promptè. *Hilarem datorem diligit DEUS.*

XXX. JULII.

SSS. Maxima, Donatilla, & Secunda VVV. & MMM.

CIvitas *Turburbitana* sub *Gallieni* tyrannide in hoc laudatissimo Virginum ternario Heroinas olim spectavit prorsus admirabiles. Fidei causâ comprehensæ ab *Anulino* Provinciæ præside *Maxima* & *Donatilla* sorores, ævô suô pulchritudinis prodigia, perque dies aliquot non nisi felle & acetô potatæ sunt: tum verò ad insignem contumeliam per urbis compita deductæ: postmodum virgis crudelissimè cæsæ, vivâ calce perlitæ, in equuleo usque ad membrorum omnium ruptionem tortæ, in craticula tostæ, sagittis ad modum scopi expositæ, cùm à concepta mentis constantiâ non

modò non hilum deflecterent, verùm & *Secundam* virginem duodennem nobiliſſimam ſuô exemplô in conſortium pertraxiſſent : feris ſimul objectæ, néque tamen ab his etiam vel minimum læſæ, capitis noviſſimè ſententiam lætiſſimô ſubeuntes animô, feſtivéque triumphantes, evolârunt ad ſponſum. *DEI Amor*, non aliud medium, Martyrum fortitudinem parturiit, promovit, perfecit.

SENTENTIA.

QUemadmodum radius à ſole, calor ab igne, frigus à gracie, candor à nive nequeunt ſeparari; ita divelli non poteſt amans à ſuo amato. *Philip. Beroald.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUantùm in animo probè diſpoſito poſſit *DEI amor*, patuit ex laborioſo iſtarum Virginum agone. Formâ quamvis eſſent eximiæ, juvenes ætate, divitiis copioſæ : non tamen illas à charitate DEI vel vitæ præſentis amor, vel ignominioſæ mortis acerbitas abſtrahere potuerunt. *Charitas* nempe *foras mittit timorem*, egregiis aſſueta duris innutrita, in periculis imperterrita. *Sola charitas*, inquit S. Auguſt. *eſt, quæ vincit omnia, & ſine qua nihil valent omnia.* Lib. de Doctr. Chriſt.

II. Hæc ipſa in DEUM *Charitas* veram ſemper docuit patientiam, in qua una demum ſuas poſſederunt animas Martyres ſancti. Da DEUM amantem : & quàm non immodicè proſperis rerum ſucceſſi-

cessibus extollitur; tam non dejicitur, si illum infestò agmine petant damna rerum, incommoda corporis, verborum injuriæ, quin imò & ipsæ internæ animi desolationes. Adeò sicut charitatis; sic & *patientia* castitatis est ambitus. Age mi anime! scrutare teipsum & dispice, an non aliquando ex *charitatis* neglectu *patientiæ* jacturam facias.

III. Nôrunt hæ Virgines, hoc vitæ curriculum certaminum esse tempus. Et ideo, athletas imitatæ, hilares in arenam descenderunt. Hæc mentis hilaritas, hæc serenitas gemma est ex aurò *charitatis* & *patientiæ* mirè resplendens. Magna moliuntur nonnulli, sed necessitate ferè compulsi: dura perferunt, sed animô subtristi. Unde verò hic error? inde utique, quòd parvâ in DEUM charitate ferantur, neque porrò intelligant subtile Ludovici Blosii assertum: *pati pro DEO restantæ dignitatis est, ut homo jure se reputare debeat indignum eô honore.*

XXXI. JULII.

S. Ignatius Loyola.

NAta est *Ignatio* ex vulnere salus, quando in obsidione *Pampelonensi* corpore decumbens, animô ad eximia cæpit assurgere. Mirabili illi mutationi principium posuit sacrorum librorum lectio qui ad sectanda deinceps *Christi* & sanctorum vestigia sic exarsit, ut jam nihil cogitaret aliud, quàm quî perituras DEO lucraretur animas: hunc in finem 33. ætatis annô *Grammaticam* inter pueros

orſus eſt, atque poſtmodum per ſe, perque ſuos omni, quô potuit, conatu adlaboravit, ut reducerentur ab exilio Muſæ pro juventutis bono, pro hæreſum excidio, pro firmo ſacræ Romanæ Eccleſiæ ſubſidio. Societati JESU, cujus auctor extitit, ſcopum præfixit, quem ſibi ipſi, *Majorem DEI gloriam;* auditus aliquando, propter exuberantiam æſtuantis in ejus animo divini amoris dicere. *Si optio daretur, malle ſe beatitudinis incertum vivere, & interim DEO inſervire ac proximorum ſaluti, quàm certum ejusdem gloriæ ſtatim mori.* Hoc demum eſt non *agi in finem*, ſed agere propter finem.

SENTENTIA.

SI omnino dignus fueris agere aliquid, quod DEO placeat, & aliam adhuc, præter hoc ipſum, quòd placere meruiſti, mercedem requiris, vere ignoras, quantum bonum ſit placere DEO. *S. Joan. Chryſoſt. Lib. de compunct.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DOlendum profectô eſt, potiſſimam hominum partem, etſi ad finem nobiliſſimum creatam, hunc tamen in ſuis actionibus tam non ſeriò ſpectare, ut non rarò etiam omnis illorum operatio & contentio non venentur, niſi quæſtum proprium. An hoc agere ſit *propter*, & *ad majorem DEI gloriam?* ſi pura, ſi ſancta intentio ſit *oculus*, qui *totum corpus*, id eſt opus, ut

Do-

Doctor Angel. commentatur in Matt. *lucidum reddit*: veriſſimè aſſeruit Auguſtinus: *non valde intendas, quid homo faciat, ſed quid dum facit, aſpiciat: quo lacertos optimæ gubernationis dirigat.* in Pſal. 31.

II. Inter illos etiam, qui DEUM ut finem ſibi præfigunt, ſerviunt aliqui formidine pœnæ: alii ſpe præmii: pauciſſimi propter ipſummet DEUM DEO famulantur, cùm tamen iſta intentio tantùm ſit ſuper priores, quantùm argento præſtat aurum. O quàm hìc denuo alium à vulgi more ſe præſtitit *Ignatius*, quando omnes ejusdem actiones perinde dependebant ab unius DEI amore, ac arbor à ſemine. Satis hanc veritatem loquebatur facies inter orandum & meditandum tota igneſcens. An taliter aliquando arſiſti?

III. Sit ergo *major DEI gloria* unicus actionum noſtrarum ſcopus, extra quem omnes alii à recto exerrant. Opifices de die ſæpiùs opus ſuum ad amuſſim & regulam examinant: nos verò brutorum animantium more cœcô impetu in obvia quævis prorucre vel velimus, vel audeamus? dici non poteſt, quantum hic neglectus damni adferat: quod primùm tum deplorabitur, ubi emendari non poterit. *O Domine! ſi te nôſſent homines, nunquam te offenderent.*

S. Ignat.

FE-

FESTA AUGUSTI

I. AUGUSTI.

SSS. Fides, Spes, Charitas, VVV. & MMM.

FElices filiæ *S. Sophiæ*, quòd Fide indubiâ crederent, paſſiones hujus temporis condignas non eſſe ad futuram gloriam, quam ſpe ſectabantur inconcuſsâ, charitate ferventiſſimâ ſuccenſæ, non modò *Chriſto* ſe deſponderunt: verùm & fidei illius propugnandæ causâ vitæ etiam, & ſanguinis jacturam facere non dubitârunt, innocentes profectò victimæ, & quàm ætate immaturæ; tam virtutibus, & robore veteranæ: *Charitas* decem, *Spes* undecim, *Fides*, duodecim annorum. Vides quàm non annis ætas, ſed virtute ſit æſtimanda.

SENTENTIA.

HÆc eſt vera *Fortitudo*, quæ naturæ uſum, ſexûs infirmitatem, mentis devotionem transgreditur. *S. Auguſt. de Vid.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. FUit in hiſce Virginibus, quod D. Ambroſius de *Agnete* ſanctiſſima glorioſè deprædicat, devotio ſupra ætatem, virtus ſupra naturam. Robur in ætate minuſcula, quantô majus

majus à veterano milite, & in ſpirituali luctа exercitatiſſimo, non expectes. Cùm vix haberent, quo ferrum reciperent, nondum idoneæ pœnæ, & jam maturæ victoriæ, palam fecerunt, hic maximè rei cum nominibus convenire.

II. *Fides, Spes, Charitas* virtutes theologicæ, animis DEO unitis familiariſſimæ ſunt. Ab his omne robur capitur, ut adverſa quævis æquanimiter ſuperentur. Qui credit poſt hanc vitam ſupereſſe aliam longe diſparem, ſecuram, & immortalem, eandémque conſecuturum ſe ſperat, charitate Chriſti exæſtuans non modò non turbatur cruce quâcunque, verùm ultrò etiam ad exemplum *S. Ignatii* Præſulis Antiocheni non dubitat mala quæcunque audacter in ſe provocare, & cum eodem ardenter eloqui: *ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio & tota tormenta diaboli in me veniant: tantùm Chriſto fruar.*

III. Ut virtutum iſtarum ſubſidiô roboremur, maturè illis, exemplô harum Virginum, eſt aſſueſcendum. Non hîc ætati timidè condeſcendendum: ſed promovenda hæc eſt totô conatu ad virtutis amorem. Magis *placebit DEO ſuper vitulum novellum*, quàm ſuper hoſtiam effœtam & debilem. *Fides* denique ut operetur, *Charitate* animata ſit: *Spes*, quàm deſperationi oppoſita; tam à præſumptione aliena: *Charitas* verò in finem uſque conſtans, & prorsùs impermixta.

II. AUGUSTI.

S. MARIA Angelorum, ſeu de Portiuncula.

S. *Franciſcus* Seraphicus, ob inſignem animarum zelum, præmium à Chriſto, quem cum Virginea parente ſpectabilem habuit, petere juſſus, parvulæ ſuæ Eccleſiæ, quam honori magnæ Virginis propè Aſſiſium conſtruxerat, tot animarum pereuntium bono *Indulgentias* petiit pleniſſimas, ſubque eâ formâ, per gratiam omnibus retro ſæculis inauditam à *Chriſto* ſummo pontifice obtinuit, ut eæ concederentut omnibus, & ſingulis, qui à Veſperis primi *Auguſti*, ad occaſum ſequentis diei Eccleſiam illam aliquando frequentantes, debitè confeſſi (cæteris operibus ſecluſis) aliquid orâſſent. Eam gratiam alii ſubinde Pontifices ad omnes Seraphici Ordinis Eccleſias extenderunt. Hoc donô ſi pignum te reddas, non jam tibi *Portiuncula*, ſed grandis accedet *portio* felicitatis ſanè inæſtimabilis.

SENTENTIA.

EX incomparabili DEI lenitate & patientia, ſocordiæ materiam arripere minimè oportet: ne alioqui majora, quàm quibus ignoſci debeat, peccata utrôque nomine perpetrare deprehendamur: hoc eſt: dum & ſtultè deſidiâ, & inertiâ laboramus, & divinam benignitatem ſtultiùs contemnimus. *S. Iſidorus Peluſiota l. 3. Epiſt. 196.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOvit *Petrus*, generoſum,& nobilem eſſe illum, *qui ad virtutem bene eſt à natura compoſitus:* atque ideo ſanguinis nobilitatem virtutis claritudini longè poſthabuit. Ut porrò indignum prorſus eſt, nobiliora ingenia ſtudiis dehoneſtari minoribus; ſic turpe non minus, indolem virtutis capacem, vitiis ſordidare. Cavit hoc *Petrus*, quando paterna palatia faſtidiens,humilem cellam elegit, velut *virtutis* officinam. Immenſas DEO gratias refer, ſi, ut ille, à ſæculi tumultibus abſtractus, intrà ſepta religioſa uni tibi, DEÓque vivas.

II. Ad Epiſcopatum provectus adeô, nil de antiquo rigore immutavit, ut niſi in officio divino *Petrum Epiſcopum*, *à Petro Monacho* non diſcreviſſes. *Rara virtus humilitas honorata*: & vix non quotidianum, dignitate cæteris prælatos, ſenſim ſuperbiæ vitiô, aut certè primi fervoris remiſſione, DEO deſpicabiles fieri: habéntque id ſpeciale nævi ejuscemodi, quòd clariùs notentur, qui fœdæ ambitionis vitiô dignitatem ambiunt, labores non item. Dixerat aliquando Pius II. & veriſſimè: *dignitatibus viri dandi: non viris dignitates.*

III. Pretioſos ſanctorum cineres, uti merentur, magni fecit devotus *Anagniæ* Epiſcopus. Indubium, multa illis locis obtingere beneficia, quæ divorum exuvias eâ quâ par eſt reverentiâ ſuſcipiunt. Et quî omni cultu digni non ſint *triumphatores*, *& amici DEI*? ſi *ſacraria* & *hierothecas* veneremur, quòd auguſtiſſimam Euchariſtiam aliquan-

quando asserveńt; cur non idem fiat his instrumentis gloriæ DEI? interim *sancti honorandi imitatione, non adoratione.* S. Augustin. de vera Relig.

III. AUGUSTI.

S. Petrus Episcopus Anagniæ.

EX illustrissimo Principum Salernitanorum sanguine prognatus, omnem mundi fastum strenuè despexit, & Divi Patriarchæ *Benedicti* familiam secutus, tamdiu intrà claustra latuit, dum DEO visum fuit virtutes tam inclytas aliorum etiam bono & utili palam exponere. Creatus ergo *Anagniæ* Episcopus, dignitatem eximiam religiosâ modestiâ sic temperavit, ut altera alteri splendorem adderet. Populum de reliquiis quibusdam perplexum, & revelatione divinitùs sibi factâ edocuit, ossa illa extare de venerando *S. Magni* corpore, cujus ut ipse cultor fuit egregius; ita commisso sibi gregi devotionis ejusdem propagandæ auctor insignis. Suffragia Sanctorum expetis? iis devotus vive.

SENTENTIA.

SAncti in terra positi, si multa potuerunt, nunquid non plura in cœlo? *S. Bernard.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAgna DEI gratia, hominem ritè confessum, & cætera exequentem necessaria, indulgentiarum beneficiô noviter velut renasci, sublatô (per has indulgentias) omni reatu

tu quàm culpæ, tam pœnæ: vel, ſi tam univerſales non ſint, magnam nihilominus ſuppliciorum, in piacularibus aliàs flammis exſolvendorum, partem iis tolli. His eccleſiæ theſauris redimit DEUS ab interitu vitam noſtram: ſicque coronat nos *in miſericordia & miſerationibus*, ut renovetur velut aquilæ juventus noſtra.

II. Dolendum tamen, has tam inſignes gratias, uti & alia miſerentis DEI beneficia ſic aſſiduitate ſuâ viluiſſe, ut à magna mortalium parte vel negligantur omnino, vel frigidè ſolùm frequententur. Interim manibus purgantibus perit eleemoſynà ſpiritualis, illis ex charitatis lege non minùs debita, quàm famelico panis, ſitienti frigida, inveſti tunica. Pudeat hîc iterum vinci nos à filiis ſæculi, ſua in commoda tam pervigilibus & intentis.

III. His ſpiritualium theſaurorum incuriis notabiliter nequiores ſunt, qui DEI clementiam in vitii occaſionem detorquent, & damnabili præſumptione acti, ſpe indulgentiarum, divina, humanaque jura peſſumdant. Fruſtra iſtiusmodi *gratiam DEI* ſibi pollicentur: neque enim *ſanctum* dandum eſt canibus, nec *margaritæ* projiciendæ ſunt ante porcos. *DEUS non irridetur.* Conſcientiarum arbiter eſt, in eos ſeverior, qui *doloſe* agunt in conſpectu ejus. *Sciant* tales, *ſe pœnam haud quaquam vitaturos. Ipſe enim reddet unicuique juxta opera ſua.* S. Iſid. Peluſ.

IV. AUGUSTI.

S. Dominicus.

STella poſt baptiſmum illius fronti velut affixa, futuræ ſanctitatis ſplendorem eximium diſertè

præsagiit. Auctor Ordinis prædicatorii, religiosas quascúnque familias eâ charitate complectebatur, ut ingenuè assereret, Religiosorum consuetudine nihil hoc in orbe sibi jucundiùs. Quatuor insulas, pro quibus alii totis utique viribus decertâssent, *Dominicus* ultrò rejecit. Virgini DEIparæ mirè devotus, illius Rosarium exemplô non minùs, quàm verbô omnibus passim commendarit: iter denique fatale ingressurus *MARIAM* comitem habuit. Par tibi præstabit auxilium, si par à te capiat obsequium.

SENTENTIA.

DEUS bone! quoties Christus Dominus perditissimas animas mediis quindecim sacratissimi Rosarii decadibus sibi arctissimô amoris vinculô copulavit! *Carthagena* Homil. de Rosar.

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUi sincerô regem affectu prosequitur, æquum est, ut intimos etiam ejus amicos diligat. Quid *religiosæ familiæ*, quàm *aulæ DEI!* aulici igitur sunt *religiosi:* amici regis summi: suô proinde honore non indigni: inde præsertim, quòd mundus suam felicitatem eorum precibus multâ ex parte debeat. Quî modò excusabuntur, quibus religiosi aliud non sunt, quàm *inutilia terræ pondera: entia superflua?*

II. Suis aliquando vitiis quàm æstimationi suæ, tam familiæ totius derogant, qui perverse vi-

vivendo *religiosi* minimè sunt, etsi tales audiant. Grandem istiusmodi *parenti suæ*, religioni, cujus pane aluntur, injuriam inferunt. *Væ homini*, minatur Christus, *per quem scandalum venit!* væ religioso, cujus causâ religio despicitur. Fit hoc sæpe: imprudenter tamen. *Non quòd Judas proditor fuit*, ait S. Chrysost. Homil. de virtut. & vit. *hoc Apostolicæ professionis crimen, sed unius tantùm mens improba fuit.* S. Augustinus verò unum cum alio conferens, inquit: *etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis.* Epist. 137.

III. Efficaciter ad perfectionem promovet *cultus Marianus:* is maximè, qui fit per *Rosarii* preces. Multos hæc devotio perditioni subduxit: multos etiamnum subducet, si in orantibus non desit studium imitandi *CHRISTUM, & MARIAM.* Testis horum esto dæmon ipse, cæterà mendaciorum faber. Hìc, gloriosâ jubente Dominâ, ex energumeno sic edixit: *nemo, qui in Rosarii cultu perseveravit, sempiternis adjudicatus est supplicis.* In vita S. Domin.

V. AUGUSTI.

Dedicatio B. V. ad Nives.

L*iberiô* pontifice maximô ecclesiam gubernante, *Joannes* Patritius Romanus, vir maximarum opum, sed ex sterili thoro infelix, optimô tandem consiliô beatissimam Virginem omnium suarum facultatum ex asse hæredem voluit, scripsitque. Tantum hæc devotio magnæ cœlitum reginæ placuit, ut nonis Augusti, tempore caloribus æsti-

vis moleſtiſſimô, partem collis Eſquilini recentiſſimis nivibus tegeret, aream deſcriptura Baſilicæ ibidem illius honoribus extruendæ, quæ & propediem ære & impenſis utriúsque pientiſſimi conjugis ſurrexit tam ſplendida, ut hodiéque omnium quàm affectus, tam oculos ad ſe rapiat, dicta, *Baſilica ſanctæ MARIÆ Majoris.* Optimè pecunias elocant, qui divos ſibi debitores faciunt.

SENTENTIA.

FAciliùs eſt deeſſe hic filiis quippiam, quàm parentibus in futuro: & multò eſt levior præſens tenuitas, quàm æterna paupertas, maximè, quia cùm illic non egeſtas tantùm, ſed etiam mors, ac pœna timeantur, faciliùs utíque eſt, hic hæredibus deeſſe quippiam de patrimonio, quàm illic teſtatoribus de ſalute. *S. Salvianus l. 3. contra avarit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm lubens ſectarer, inquis, eximium *Joannis* in *DEIparam* affectum, ſi pares mihi facultates, ſi tantæ forent divitiæ. Votum omnino pium. Optimus pecuniarum uſus, quô *amicos* illâ nobis facimus, qui hinc diſceſſuros *in æterna* recipiant *tabernacula.* Interea tamen nec tibi deficit occaſio favorem *Virginis* neceſſitatibus tuis conciliandi. Animam habes ad imaginem DEI factam: habes cor, amoris ſedem: utriusque hæredem *MARIAM* ſcribe, & optimè tua expendiſti.

II. Quidſi etiam hoc tuum cor *Virgini* veluti *Templum* conſecres ? rem facies non pœnitendam. Verùm memento, ut *nivibus* probè ſit inſtratum: *puritate* videlicet niteat. Odit *DEI para* cupidinum æſtus: amat puriſſimas *ſancti amoris* flammas, quibus eæ *nives* (contrà morem ignis elementaris) tam non diffluunt, ut potiùs ſolidentur.

III. Unicum ſterilis connubii ſolatium *Joanni* fuit, *MARIAM* habuiſſe hæredem. Hæc, etiam ſterilium parentum proles, fœcunda facit, quæ priùs ſterilitatis malo laborabant. Anime mi! ſi parva fuit hactenus in te ad virtutem propenſio: ſi propoſita, quæ ſæpiùs conceperas, effectu caruerunt: ne dubita ſterilem te fuiſſe. Tuam proinde ſubſtantiam *MARIÆ* plenè concredito. Faciet potenti ſuô ſuffragiô, tuam animam *matrem filiorum lætantem*: ſanctorum ſcilicet actuum, quos à *DEI* gratia, & *Virginis* exemplo concipiet, feracem & fœcundam. Neque partus hos ſuos (more matrum aliarum) in doloribus enitetur, ſed *in lætitia & exultatione*. Pſ. 44.

VI. AUGUSTI.

SS. Juſtus, & Paſtor Martyres.

SApuêre felices iſti juvenes ſupra ſuam ætatem, nec tamen nimiùm. Occaſionem præclariſſimi martyrii, ne dilabi paterentur, abjectis tabellis, è ludo ad ſerium tribunal accurrerunt, periculum facturi, num *inconſtantiam* ad virilis patientiæ leges *declinare* nôſſent. Initiò virgarum vibicibus probè deſcripti, risêre puerile ſuppli-

cium, tot ſuæ ſortis adoleſcentibus minimè inſuetum. Inde ferreis unguibus, ignibus, aliisque acerbiſſimis divexati tormentis, palam monſtrarunt, adultam ſibi conſtantiam in juvenili corpore. Tandem capitis damnati, mutuis cohortationibus, quêis totam movêre circumſtantium turbam, & hoc fatale punctum ſibi fecêre facillimum. Si pueri ſenibus palmam præripiant, quomodo non jure ridebuntur iſti?

SENTENTIA.

SAncti martyres præſentem vitam non deſpexiſſent, niſi certiorem animarum vitam ſubſequi ſcirent. *S. Gregor. Dialog. l. 4.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DUm pro æternæ gloriæ lauro conſequenda viam per acerbiſſima ſibi paravêre ſupplicia *non* modò *juventus multa, & omnis ætas, & graves viduæ, & virgines anus &c.* S. Auguſt. in Confeſſion. ſed tot pueri etiam & puellæ: an non delicatulis nobis, & ad ſolum tormenti nomen metu trepidis ſuccenſeant gloriosa martyrum agmina, idemque nobis exprobrent, quod Auguſtino aliquando dictum: *tu non poteris, quod iſti, & iſtæ? an verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, & non in Domino DEO ſuo?* L. 8. Conf. c. 11.

II. Spectavit *Japonia* priore ſæculo cùm in aliis martyribus; tum in *puerulo ſeptenni* rarum fortitudinis prodigium. Hic à piiſſimo parente ad perferenda martyrum tormenta providè exercita-

citatus, jussus est carbonem ardentem manu tenere, quod & dexterrimè præstitit: rogatus, num doleret? *quid*, inquiit, *carbunculus iste ignitus in me virium habeat, cui DEUS animos dedit, paratos ad carnificum incendia?* an non veterani militis potiùs, quàm pueri, vox ista? quis tibi foret in simili animus?

III. Legimus interim ista, & erubescimus: nec deerunt fortè qui dicant, quod talium nomine sibimet objicit Mellifluus: *possumus & nos Christi bibere calicem, si opportunitas non deesset: sed persecutionis tempus cessavit.* serm. de S. Clem. frigida profectò excusatio. Eam sic eludit modò citatus: *quotidie ceditis punctioni acûs unius: & mucroni vos arbitramini posse resistere?* suggerit postea modum explorandi vires: *in minimis*, inquiens, *probate conflictibus, quàm viriliter in majori certamine stare possitis.* l. c.

VII. AUGUSTI.

S. Albertus Carmelita.

UT Energuenam salvam redderet ab hospite pessimo, exorcismos pro ecclesiæ more & præscripto adhibuit, ipsumque salvificæ crucis signum mulieris fronti impressum, velut efficacissimum hosti exturbando medium, voluit, crediditque: sed necquicquam. Dæmon enim alapâ pingui hunc suum mastygem resalutans, satis ostendit aliis se mediis ejiciendum. Et verò non latuêre ista virum sanctum, quando tam insignis injuriæ malô tam non fuit exasperatus, ut propediem alteram etiam maxillam nequissimo vulteratori cæ-

dendam porrigeret. Sed hic humilitatis ſibi tam inſuetæ non patiens, momentò vaſa collegit, & fœminam deinceps omni infeſtatione liberrimam reliquit. Superbiâ dæmon non vincitur, ſed vincit.

SENTENTIA.

HUmilitatem animi lucra quidem ferre ingentia cernimus; verùm ea non facilè invenitur: ſed humilitatem quidem verborum plurimam, & ultrà quàm ſatis ſit, absque difficultate reperies; animô verò humilitatem difficillimè. *S. Chryſoſt. initio Homil. 3. in Epiſt. ad Timoth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Diaboli abjectio nobis debet eſſe humiliationis occaſio*, inquit melliſluus ſerm. 55. in Cant. Et ſanè optandum id foret, cùm certum ſit, non aliâ causâ ad inferos usque deturbatum illum fuiſſe, quàm, quòd auſu ſuperbo aſcendere *ſuper altitudinem nubium*, & *ſimilis* eſſe *altiſſimo* geſtiiſſet. Non igitur eſt via præcipitii certior, quàm *ſuperbiæ* faſtus: præſertim quòd hæc ſolitaria non ſit, ſed alia continuò vitia ſecum velut manu ducat. *Superbia neſcit eſſe ſterilis: ubi fuerit, continuò parit. Suffoca matrem, & non erit filia.* S. Auguſt. ſerm. 52. de Verb. Dom.

II. *Vos ex patre diabolo eſtis*, inquiit Chriſtus Phariſæis, acerbè perſtringens illorum vitia, quæ inter poſtremum non fuit *immodicus animi faſtus*. Diabolum nemo alius ſic imitatur, uti ſuper-

ſuperbus: indeque quantùm hunc imitando aſſequitur, tantùm à DEO elongatur: ut certiſſimum etiàm habeat perditionis ſuæ characterem, niſi humiliando ſe regrediatur. *Evidentiſſimum reproborum ſignum eſt ſuperbia.* S. Gregor. L. 34. Moral.

III. Superbire hominem ob dona gratiæ & naturæ: ob bona fortunæ, & alia, quæ illius animum inflare poſſunt, res eſt, quàm non rara, tam admiratione non digna. Verùm ex *humiliatione* ipſa captare quandoque aliquem occaſionem ſuperbiæ: hoc demum vitium eſt, quô non aliud fœdius. Hôc vaferrimus dæmon eorum mentes illaqueat, qui victores jam videbantur. *Humilis es*, quærit S. Chryſoſt. *& cunctis abjectior? noli idcirco inflari, ne perdas gloriam tuam.* Homil. 2. in Epiſt. ad Philæm.

VIII. AUGUSTI.

S. Cyriacus Diaconus M.

ARtemiam Diocletiani: & *Jobiam* Regis Perſarum filiam à dæmonis tyrannide liberas reddidit, regem verò, cum plurimis aliis orthodoxæ religionis alumnos. Tantum æſtimavit beneficium filiæ collatum *Diocletianus*, homo cæterà ferus, ut e imperante *Cyriacus* ſecurus ageret. *Maximianô* verò ſceptra moderante, ut in Chriſtianos reliquos: ſic in hunc recruduit fatale gentilitatis odium. Nudus ergo ante currum tyranni actus, liquatâ pice perfuſus, in cataſta horrendè tortus, & fuſtibus vix non mactatus, capitis tandem damnatus, docuit, non eſſe ſupplicium ali-

quod tam acerbum, quod conſtans in DEUM fiducia, & animus in bono firmatus non ſuperet. Si coronam cupias, & pugnam horreas, cupis id, quod ſapiens nemo cupiit unquam.

SENTENTIA.

NOn qui externos barbaros vincit, hic victor meritò vocandus fuerit: ſed qui inteſtinum voluptatum bellum conficit. Multi enim illis devictis ab iſtis fœdum ac miſerandum in modum capti ſunt. *S. Iſidorus Peluſ. l. 3. Epiſt. 377.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PArùm fuiſſet *Cyriacum* triumphâſſe dæmones in obſeſſis corporibus, niſi & *Tyrannum* viciſſet, defectionem à Chriſto quà blanditiis, quà minis ſuadentem. In pugna ſpirituali certa hæc eſt regula: non unâ ſtatim victoriâ palmam obtineri, ſed decertandum tamdiu, donec DEI gratiâ ponantur inimici noſtri ſcabellum pedum noſtrorum. *Qui perſeveraverit, ſalvus erit.*

II. Facilem *Cyriaco* pugnam, & certam victoriæ ſpem fecit firma in DEUM fiducia, quâ, grandævus licet, acerbiſſima infractô pertulit animô. Felix Chriſtianorum conditio, quòd DEUM habeant pugnæ non tantùm *arbitrum*, ſed & *adjutorem*. Huic ergo tutò confidimus, non item viribus noſtris, quæ ſine illo non *modicæ* tantùm, ſed *nullæ* ſunt. Hæc confidentia, præterquam quòd indiſpenſabiliter neceſſaria tibi ſit, *magnam* inſuper *habet remunerationem*.

III.

III. Gratiæ, quas *Cyriaco Diocletianus* obtulit, non illum efferre: odia, quibus in eundem *Maximilianus* ſæviit, non illum à recto mentis ſtatu dejicere potuerunt. Vitium nobis familiare eſt, omni propemodùm momentô mutari: extolli in proſperis, deprimi in adverſis: ſicque deficere ab illa mentis æquabilitate, quæ iis duntaxat in uſu eſt, qui ad ipſius etiam mundi ruinas intrepidi forent perſtituri: ſicque beatam in terris vitam jamjam inchoârunt. Nocentior tamen eſt *inconſtantia*, quâ laboramus in proſecutione boni, & fuga mali. *Sicut navis ſine gubernaculo hinc inde à fluctibus impellitur: ita homo remiſſus & ſuum propoſitum deſerens, variè tentatur.* Thom. Kemp.

IX. AUGUSTI.

SS. Firmus, & Ruſticus MM.

QUàm ſingularem DEUS ſuorum curam habeat, docet horum martyrum vita. In diuturnum detruſi carcerem ut fame necarentur, angelos habuere dapiferos, à quibus lautiſſimè habiti, quàm corporis, tam animi viribus evasêre vegetiores. Mortui ſententiâ judicis non aliis inferendi tumulis, quàm jejunis ferarum ventribus, eosdem angelos habuêre veſpillones, qui collecta martyrum oſſa propè Carthaginem Iſtriorum tumulaturi fuerant, niſi Veronenſes auro eadem à Carthaginenſibus redempta, ſplendidè apud ſe depoſuiſſent. Credis modò DEUM cuſtodire omnia ſuorum oſſa, utne unum ex his conteratur?

SENTENTIA.

OMnia in DEO reperimus: unus eſt qui quæritur, ſed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! ô compendium ſingulare! cur nos per diverſa fatigamus? ad ipſum unanimiter feſtinemus, poſt quem cuncta bona ultrà non quærimus, ſed tenemus. *Caſſiod. ſuper Pſal.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MUltùm laboravit altiſſimus DEI Filius, nobiſcum in terris agens, ut diffidentiam de DEI bonitate, è diſcipulorum, & noſtris cordibus eliminaret. Tenuit nihilominus in hunc usque diem pertinax aliquorum non meminiſſe, præſertim ſi calamitates adeò ſint diuturnæ, ut ceſſaturæ ampliùs non videantur. Parùm differunt ejusmodi ab illis, qui apud Jobum protervè ſic garriunt: *quid enim novit DEUS? quaſi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.* c 22.

II. Cura temporalium ſæpe perplexos, & vix non dubios reddit circa divinam providentiam. Habemus DEI promiſſum: *non affliget Dominus fame animam juſti*: audimus illuſtre regii vatis teſtimonium: *non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem:* ſemper tamen apud nos auditur crudum illud, & DEO tam exoſum: *quid manducabimus, aut quid bibemus?* cùm interim explendæ fami ſpirituali minimô minùs agamus.

III.

III. Diffidentiam de DEO parit nimia ſui *fiducia*. *Hanc* ut nos dedoceat Mellifluus, ſic inquit: *ſibi fidere, non fidei, ſed perfidiæ eſt: nec confidentiæ, ſed diffidentiæ magis, in ſeipſo habere fiduciam. Ille verè fidelis eſt, qui nec ſibi credit, nec in ſe ſperat, factus ſibi tanquam vas perditum.* Fac quæ tui ſunt muneris, reliquum DEO committe. Si casûs periculum metuas, roga, ut manum ſuppenat, ne colliderís. Crede, & confide: non te deſeret is, *qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.*

X. AUGUSTI.

S. Laurentius Levita M.

ALmæ urbis eximium decus, & Ordinis Levitici gemma rarior *Laurentius*, pauperibus theſauros diſtribuit, ut pauperem *Chriſtum* ad mortem úsque, non *Crucis*, ſed incendii ſequeretur. Cæſus primò ſcorpionibus, tum propoſitis ob oculos laminis ferreis, lectis igne candentibus, plumbatis, carduis, quorum vel ſolô aſpectu tepidior quisque poterat exanimari, non metu concidit, non titubavit, ſed (*Ambroſii* verbis utor) incredibili conſtantiâ DEO plenus, ſingula hæc non arma credidit, ſed ludum: non tormenta ſed virtutis excitamenta: non gladios, ſed ludicra puerorum territamenta. Ferreis ergò nexibus craticulæ adſtrictus, & igne ſubjectô lentùm aſſatus, non aliter, quàm ſi molliſſimis incubaret roſis, tyrannum riſit, ſuppliciorum victor, & æternæ in cœlis gloriæ poſſeſſor digniſſimus. *Compeſcuit ignibus ignes*, qui igne amoris divini materialem ignem ſopiit.

SEN-

SENTENTIA.

VIget in nobis, ô quoties! cupiditatis flamma, æstus libidinis, & furoris incendium, quantus igniculus nostræ charitatis excutitur? *S. Laurent. Justinian.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUantùm in *Laurentio* potuerit divinæ charitatis *æstus*, satis ostendit robur inexplicabile, quô supplicium acerbissimum non gemendo pertulit, sed innocenter jocando. *Flammis tuis* (sic S. Leo Pontifex Valerianum alloquitur) *superari charitatis Christi flamma non potuit. Segnior fuit ignis qui foris ussit, quàm qui intùs accendit.* An etiam in te aliquid est hujus ignis? an non potiùs *grando, nix, glacies?*

II. Ignem tamen in te foves, dum concupiscentiæ flammas complacentiæ morâ, velut pabulô nutris. Sed, prô, quàm fœtidus est hic ignis! quàm perniciosè in animam læviens! sopiendus igitur est, ac *incunctanter*, ne tam invalescat, ut ampliùs restingui non possit. *Ubi Christi ignis operatur, diaboli necesse est vincatur incendium.* S. Maxim. Homil. 2. de S. Laurent.

III. *Craticulam supplicii, lectum quietis putabat Laurentius*, inquit S. Chrysol. serm. 135. Sic, & non aliter, cæteris martyribus visum circa tormenta, dum rogi ardentes in rosas abiêre: catastæ, ungulæ, flagra, verbera, in epulas cupitas. Cur, anime mi! levis injuriola morte tibi videtur acerbior? cur modicè lacessitus, ad modum

dum *Jonæ* continuò petis animæ tuæ, ut moriatur? inde utique, quòd amoris divini flammas in te ſuffocet exceſſus amoris proprii: ſecus enim locum haberet illud D. Auguſtino familiare: *ubi amor eſt, labor non eſt.* B. Angela de Fulginio, quibuscunque demum adverſitatibus premeretur, dicere conſuevit: *laudo te dilectum, & in tua cruce habeo lectum meum.* Bolland. in Vita.

XI. AUGUSTI.

S. Equitius Abbas.

TAntum fuit addictus ſtudio piæ lectionis, ut quocúnque demum pergeret, ſacros ſecum codices deferret, viæ comites, vitæ magiſtros; ſæpiùs dicere ſolitus, virtutis cupido idem agendum quod militi: nunquam videlicet deponendum gladium, cujus acie hoſtes undeunde irruentes retundat. Gladiô ſpiritûs præcinctum utique voluit pugilem *Chriſti*, qui gladius eſt verbum DEI, quod lectione devotâ nobis innoteſcit. Non igitur *ingenium* duntaxat *alit lectio*, quód Seneca cenſuit Epiſt. 86. Sed *occaſio* eſt *omnis profectûs*, ut *Iſidoro* placet L. 3. de ſummo bono: *munitio adverſus peccatum*, ut Chryſoſtomo. ſuper Luc.

SENTENTIA.

GRave, atque acerbum eſt ei, qui divinam ſapientiam guſtavit, lectione privari, memoriâ non ſolùm nullâ novâ acceſſione auctâ, ſed etiam illâ, quæ fuit, per oblivionem obliteratâ, ac pereunte. *S. Iſid. Peluſ. L. 4. Epiſt. 88.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. INdubium, maximè promoveri profectum ſpiritûs, lectione librorum ſpiritualium. Ad quid enim aliàs tantum laboraſſent in commendando illorum fructu Auctores ſacrarum religionum? hæc tamen ut fructuoſa ſit, perfunctoria eſſe non debet, & incuriè de properata, ſed attenta & ſeria. *Sicut aqua* (verba ſunt Alphonſi Rodericii Aſcetæ celeberrimi Tr. 5. de Orat. c. 28.) *quæ cum impetu deſcendunt, terram non penetrant, nec fœcundant: ſecus, ſi leniter cadant & placidè: ita & lectio bene ponderata medullas animæ pervadit.*

II. Veterum monitum fuit: *legito multùm, non multa*, fit enim *multa* legendo non *multùm* proficì. Lectio illa multùm utilis, quæ ſuis intervallis conſtat, ut quæ inflammando affectui commoda magis occurrerunt, reſumantur: reſumpta maſticentur, ſicque nutriendis animis conducant. *Hauriendus ſæpe eſt de lectionis ſerie affectus, & formanda oratio quæ lectionem interroget, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis reſtituat.* S. Bernardus.

III. Libri ſpirituales optimi ſunt *conſiliarii*: ſuadent bona, diſuadent noxia, idque liberrimè, ac ſine fuco & palpo. Interiora noſtra nobis fideliſſimè detegunt, ut imperfectum noſtrum cominùs videant oculi noſtri. Sanctorum exempla commemorant, ut ad paria provocent: lapſus referunt, ut humilitatis & ſancti timoris principiis nos imbuant. Verbô: vita ſunt & ſalus amatoribus ſuis. Aſſerit enim æterna veritas: *verba*,

quæ

quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Joan. 4.

XII. AUGUSTI.

S. Clara Virgo.

CLara à parentibus nobiliſſimis in lucem edita, ſanctô mox lumine clarere cæpit, atque intrà teneros illos annos reſplendere mirâ morum probitate. Pauperum curam habuit ſibi velut congenitam: adeò quidem, ut frequenter cibaria ſibi ſubtraheret, queîs aliorum ſatiaret eſuriem. Sub pretioſis veſtibus ad teneram carnem cilicium geſtare conſuevit. Conſilio Seraphici *Franciſci* mundo nuntium miſit, & rigidiſſimum vitæ genus amplexa, in monaſterio *S. Damiani* pauperum dominarum Ordinem inchoavit, progreſſu, & fructu tam eximiis, ut Virgines pariter, & mulieres nobiliſſimæ, ſpretis ſæculi pompis, ad eam magnô numerô convolarent. Annis quadraginta in ea virtutis palæſtra decurſis, vigore carnis acerbiſſimis pœnitentiæ doloribus penitus attritô, ad æternæ felicitatis patriam abiit, captura bravium ſanctiſſimæ converſationi debitum. Funus ejusdem ab ipſo Romano Pontifice *Innocentio IV.* curatum fuit: cultus verò, & honor ſanctis debitus, illi decretus ab *Alexandro IV. In pravis, ac malè diſpoſitis* (juxta Philoſophum 1. Politic.) *corpus dominatur animæ*: ſecus in bonis, & probitatis amantibus.

SENTENTIA.

QUi dominari neſcit cupiditatibus, is quaſi equus raptatur indomitus, vol-

vitur, obteritur, laniatur, affligitur. S. *Ambroſius l. 3. de Virgin.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUotquot virtutis ſtudiô tenemur; novimus, non alium in hoc conatu habere nos inimicum tam pernicioſum, uti carnem propriam: cui tamen edomandæ nondum id fortè laboris impendimus, quod gentiles. Horum aliquis non fidei lumine ductus, non principiis ſupernaturalibus imbutus, ſed unius *honeſtatis* præſtantiâ ſtimulatus, fidenter aſſeruit: *major ſum, & ad majora genitus, quàm ut mancipium ſim corporis mei; quod certè non aliter aſpicio, quàm vinculum, libertati meæ circumdatum.* Seneca.

II. Nunquam ad tam ſublimem perfectionis apicem *Clara* pertigiſſet, niſi à pueritia in eo tota fuiſſet, ut expugnatô penitùs hoſte domeſticô, ex animi paſſionibus probè mortificatis ſcalam ſibi conſtrueret, quâ usque ad firmum virtutis uſum & habitum pertingeret. *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, monet Eccleſiaſticus, *& à voluntate tua avertere: ſi enim præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* c. 18.

III. Miſera igitur illorum conditio, & palmaris error, qui *ſanctitatem* ſine *mortificationis* ſtudio ſomniant. Indigni ſunt accenſeri diſcipulorum Chriſti ſyllabo, quos non commendat ſanctum ſui *odium*. *Clara* nobis eſto magiſtra, totque ſanctorum millia, quibus nil adeò curæ fuit, quàm per ſui mortificationem diſponi ad vitam ſanctam. Voluerunt auſteritatibus variis carnem ſuam atterere, ne ſerò verum experirentur Salo-

mo-

monis effatum: *qui delicatè à pueritia nutrit ſervum ſuum, poſteà ſentiet eum contumacem.* Prov. 29.

XIII. AUGUSTI.

B. Bertrudis Antiſtita Aldenbergenſis ex Ord. Præmonſtratenſis.

PArentis ſanctiſſimæ *Eliſabethæ* Landgraviæ Haſſiæ & Thuringiæ ſancta Filia, Matris exemplo, ab annis teneris virtutis amorem ſic animo impreſſit, ut ſui per mortificationem victrix, obices quoscúnque, qui perfectionem remorari poterant, facilè amoliretur. *Præmonſtratenſium* inſtitutum amplexa, Parhenoni *Aldenbergenſi* Diœceſis *Trevirenſis*, cui adhuc infans à pia genitrice devota fuerat, annis pluribus laudatiſſimè præfuit, ſuis omnibus facta exemplum bonorum operum, in integritate, humilitate, charitate. Tandem idibus Auguſti ad auguſtas Agni nuptias evocata, vigilantem ſe exhibuit, & accensâ meritorum inſignium lampade cum prudéntium Virginum choro ſponſi thalamum ſubiit. *Si*, quod divinus *Plato* aſſerit, *nihil tam honorificum liberis eſt, quàm bonis & honeſtis genitoribus eſſe natos*: maximus ſanè honor accrevit *Gertrudi*, ex tam ſancta parente: maximus huic ex filia tam non degenere.

SENTENTIA.

PRimus gradus pietatis eſt iſte, ut quos auctores tibi voluit eſſe DEUS, honores obſequiis, abſtineas contumeliis; nec vultu lædenda eſt pietas parentum. *S. Ambroſ. in Matth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SIcut (teſte S. Chryſoſtomô) *patris ignominia turpitudo eſt filiorum:* ſic parentum probitas optima eſt liberorum inſtitutio. Plùs hîc exemplô opus eſt, quàm alibi & aliàs. *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos.* Eccli. 7. erudi exemplô, curva imperiô. Sic ſuam *Eliſabetha Gertrudem* inſtituit: ſic nos hodie majores noſtri. Quæ porrò ſequelæ ſpecimina dedimus hactenus? laudamus quidem *viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua:* ſed de imitatione modica nobis, vel nulla eſt cura.

II. Cerei ſunt juvenum animi: figuram quàm virtutis tam vitii recipiunt. Trunci ſunt, *Mercurios* repræſentaturi, ſi docta magiſtri manus accedat: ſecus, *ſtipites* perſtituri, & idola deformia. Magnum igitur operæ ſuæ feret pretium, qui conabitur, DEI, & divorum imaginem telæ ejuſmodi rudi inducere. Et verò conabitur, ſi fidem habeat præſuli Antiocheno ſic diſſerenti: *quid majus, quàm animis moderari? quàm adoleſcentulorum mores fingere? omni certè pictore ac ſtatuariô excellentiorem eum dico, qui juvenum mores formare non ignoret.* in Matth.

III. Ut ergo parentum & moderatorum eſt, filiis & diſcipulis jura dicere: ſic horum eſt obedire. Sunt ex iſto grege, qui, cùm *teneriorem ætatem ſupergreſſi, adoleſcentiæ lætioris campum ingrediuntur* (phraſis eſt S. Ambroſii) *liberos ſe natos putant,* nec alicujus egere directione. Idem non rarò accidit religioſis, *tyrocinium* egreſſis. Verùm, quàm hallucinentur utrique, dicet Melli-

fluus,

fluus, cujus eſt hoc effatum: *qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit.*

XIV. AUGUSTI.

B. Wilhelmus Wercinius, Abbas Viconienſis Canon. Præmonſtratenſis.

VIrgini DEIparæ tam ſe devotum præbuit, támque iſti in delitiis fuit, ut à ſacratiſſima ejus manu ideam caperet fabricæ eccleſiæ, quam in *Viconia* moliebatur. Pauperibus alendis totus deditus, *Joanni* Alexandrino Præſuli ſuppar, *Eleemoſynarii* quóque nomen obtinuit. Regimine per duos & viginti annos ſanctè adminiſtratô, meritis eximius, ſaturâ, cum *Zachæo*, puſillus, cinericio ſtratô decumbens, pretioſam redemptori animam placidiſſimè tranſcripſit. *Non alia clavis reſerandis cœli Januis tam eſt accommoda, quàm ſincera in miſeros beneficentia.*

SENTENTIA.

BOna negotiatio Eleemoſyna; nundinæ profectô mirabiles, parvô emere, magnô vendere. Has nobis nundinas DEUS propoſuit: modicô eme, quod magno vendas in futuro ſæculo: eme panis fragmentô, vili veſtimento, frigidæ poculô. *S. Joan. Chryſoſt. Tom. 5. Homil. 5. de pœnit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm ſibi gratulatur Canonica familia Præmonſtratenſium ſuum hunc

Eleemoſynarium! non enim aliud nomen tam queſtuoſum, nec tantæ apud DEUM æſtimationis, ac iſtud Centuplum, quod illi reſpondet, amplioris eſt pretii, quàm cogitari poſſit. Dolendum ergo, eos etiam, quos penes eſt per eleemoſynam DEUM ſibi debitorem facere, tam eſſe ſordidos. *Eſt liberale officium*, inquit Romanus Orator, *ſerere beneficium, ut poſſis metere fructum.*

II. Non aliud ſemen, fertiliſſimæ etiam glebæ concreditum, proventu tam amplô laborem remuneratur, ut *Eleemoſyna.* Quid enim mucida panis cruſtulâ vilius? quid frigidæ poculô? & tamen utrumque mercede ſuá non carituram ſpondet æterna veritas. *Laudas mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum: & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit juſtitiam.* S. Auguſt.

III. Si beati fuerunt oculi, qui viderunt, quæ Apoſtolis videre licuit: aures, quæ audierunt, quod iisdem audire datum: quidni beatæ ſint etiam manus, quæ DEI Filio pauperum exuviis tecto, ſtipem largiuntur, ut largitæ ſunt piorum fidelium in carne degenti? *amen amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis, mihi feciſtis.* Matth. 25. Parvæ in DEUM fiduciæ eſt, qui de tantis pollicitationibus ambigit, tantis conteſtationibus diffidit: & plùs credit homini mentiri potenti, & aliquando mentienti, quàm DEO veritati æternæ. Cadit in tales ſcitum illud Auguſtini: *ponunt pueri in theſaurario, & ſecuri ſunt: tu ponis in manu Chriſti, & times?* in Pſ. 48.

XV.

ized by Google

XV. AUGUSTI.

Assumptio B. V. MARIÆ.

HAc die *dormitionem* DEIPARÆ celebrat ecclesia. *Somno* enim, quàm *morti* similior fuit obitus, quem non morbus, peccati supplicium, parturiit, sed *amoris excessus*. Ut *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii* scitè composita, divinæ charitatis incendiis conflagravit, odore suavissimo *Triadem increatam* in omnem æternitatem recreatura. Coronam gloriæ, & diadema regni capiti suo *Filii* manu hodie impositam cepit Augusta cœlorum imperatrix, tantò altiùs super omnes angelorum choros elevata, quantò submissiùs infra vilissimos homines se depressérat. Anime! quid adhucdum terreis adglutinatus hæres? evola vel hôc momentô, ut in partem venias tanti triumphi, tantæ solemnitatis. Venies autem si viam non aliam triveris, quàm *MARIÆ* vestigiis signatam. Aude, quod bono suo potuêre tot amantes animæ. Pudeat hoc in cursu videri, & rideri ultimum.

SENTENTIA.

NEc in terris locus dignior uteri virginalis templô, in quo MARIA Christum suscepit: nec in cœlis regali soliô, in quo MARIAM hodie MARIÆ filius sublimavit. *S. Bernard. serm. 1. de Assumpt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. TAnta est Virginis assumptæ gloria, ut illi capiendæ & verbis explican-

SENTENTIA.

VIget in nobis, ô quoties! cupiditatis flamma, æstus libidinis, & furoris incendium, quantus igniculus nostræ charitatis excutitur? *S. Laurent. Justinian.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUantùm in *Laurentio* potuerit divinæ charitatis *æstus*, satis ostendit robur inexplicabile, quô supplicium acerbissimum non gemendo pertulit, sed innocenter jocando. *Flammis tuis* (sic S. Leo Pontifex Valerianum alloquitur) *superari charitatis Christi flamma non potuit. Segnior fuit ignis qui foris ussit, quàm qui intùs accendit.* An etiam in te aliquid est hujus ignis? an non potiùs *grando, nix, glacies?*

II. Ignem tamen in te foves, dum concupiscentiæ flammas complacentiæ morâ, velut pabulô nutris. Sed, prô, quàm fœtidus est hic ignis! quàm perniciosè in animam læviens! sopiendus igitur est, ac *incunctanter*, ne tam invalescat, ut ampliùs restingui non possit. *Ubi Christi ignis operatur, diaboli necesse est vincatur incendium.* S. Maxim. Homil. 2. de S. Laurent.

III. *Craticulam supplicii, lectum quietis putabat Laurentius*, inquit S. Chrysol. serm. 135. Sic, & non aliter, cæteris martyribus visum circa tormenta, dum rogi ardentes in rosas abiêre: catastæ, ungulæ, flagra, verbera, in epulas cupitas. Cur, anime mi! levis injuriola morte tibi videtur acerbior? cur modicê lacessitus, ad modum

dum *Jonæ* continuò petis animæ tuæ, ut moriatur? inde utique, quòd amoris divini flammas in te ſuffocet exceſſus amoris proprii: ſecus enim locum haberet illud D. Auguſtino familiare: *ubi amor eſt, labor non eſt.* B. Angela de Fulginio, quibuscunque demum adverſitatibus premeretur, dicere conſuevit: *laudo te dilectum, & in tua cruce habeo lectum meum.* Bolland. in Vita.

XI. AUGUSTI.

S. Equitius Abbas.

TAntum fuit addictus ſtudio piæ lectionis, ut quocúnque demum pergeret, ſacros ſecum codices deferret, viæ comites, vitæ magiſtros; ſæpiùs dicere ſolitus, virtutis cupido idem agendum quod militi: nunquam videlicet deponendum gladium, cujus acie hoſtes undeunde irruentes retundat. Gladiô ſpiritûs præcinctum utique voluit pugilem *Chriſti*, qui gladius eſt verbum DEI, quòd lectione devotâ nobis innoteſcit. Non igitur *ingenium* duntaxat *alit lectio*, quòd Seneca cenſuit Epiſt. 86. Sed *occaſio* eſt *omnis profectûs*, ut *Iſidoro* placet L. 3. de ſummo bono: *munitio adverſus peccatum*, ut Chryſoſtomo. ſuper Luc.

SENTENTIA.

GRave, atque acerbum eſt ei, qui divinam ſapientiam guſtavit, lectione privari, memoriâ non ſolùm nullâ novâ acceſſione auctâ, ſed etiam illâ, quæ fuit, per oblivionem obliteratâ, ac pereunte. *S. Iſid. Peluſ. L. 4. Epiſt. 88.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. INdubium, maximè promoveri profectum ſpiritûs, lectione librorum ſpiritualium. Ad quid enim aliàs tantum laboraſſent in commendando illorum fructu Auctores ſacrarum religionum? hæc tamen ut fructuoſa ſit, perfunctoria eſſe non debet, & incuriè de properata, ſed attenta & ſeria. *Sicut aqua* (verba ſunt Alphonſi Rodericii Aſcetæ celeberrimi Tr. 5. de Orat. c. 28.) *quæ cum impetu deſcendunt, terram non penetrant, nec fœcundant: ſecus, ſi leniter cadant & placidè: ita & lectio bene ponderata medullas animæ pervadit.*

II. Veterum monitum fuit: *legito multùm, non multa*, fit enim *multa* legendo non *multùm* profici. Lectio illa multùm utilis, quæ ſuis intervallis conſtat, ut quæ inflammando affectui commoda magis occurrerunt, reſumantur: reſumpta maſticentur, ſicque nutriendis animis conducant. *Hauriendus ſæpe eſt de lectionis ſerie affectus, & formanda oratio quæ lectionem interroget, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis reſtituat.* S. Bernardus.

III. Libri ſpirituales optimi ſunt *conſiliarii*: ſuadent bona, diſuadent noxia, idque liberrimè, ac ſine fuco & palpo. Interiora noſtra nobis fideliſſimè detegunt, ut imperfectum noſtrum cominùs videant oculi noſtri. Sanctorum exempla commemorant, ut ad paria provocent: lapſus referunt, ut humilitatis & ſancti timoris principiis nos imbuant. Verbô: vita ſunt & ſalus amatoribus ſuis. Aſſerit enim æterna veritas: *verba,*

quæ

quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Joan. 4.

XII. AUGUSTI.

S. Clara Virgo.

CLara à parentibus nobiliſſimis in lucem edita, ſanctô mox lumine clarere cæpit, atque intrà teneros illos annos reſplendere mirâ morum probitate. Pauperum curam habuit ſibi velut congenitam: adeò quidem, ut frequenter cibaria ſibi ſubtraheret, queîs aliorum ſatiaret eſuriem. Sub pretioſis veſtibus ad teneram carnem cilicium geſtare conſuevit. Conſilio Seraphici *Franciſci* mundo nuntium miſit, & rigidiſſimum vitæ genus amplexa, in monaſterio *S. Damiani* pauperum dominarum Ordinem inchoavit, progreſſu, & fructu tam eximiis, ut Virgines pariter, & mulieres nobiliſſimæ, ſpretis ſæculi pompis, ad eam magnô numerô convolarent. Annis quadraginta in ea virtutis palæſtra decurſis, vigore carnis acerbiſſimis pœnitentiæ doloribus penitus attritô, ad æternæ felicitatis patriam abiit, captura bravium ſanctiſſimæ converſationi debitum. Funus ejusdem ab ipſo Romano Pontifice *Innocentio IV.* curatum fuit: cultus verò, & honor ſanctis debitus, illi decretus ab *Alexandro IV. In pravis, ac malè diſpoſitis* (juxta Philoſophum 1. Politic.) *corpus dominatur animæ*: ſecus in bonis, & probitatis amantibus.

SENTENTIA.

QUi dominari neſcit cupiditatibus, is quaſi equus raptatur indomitus, vol-

vitur, obteritur, laniatur, affligitur. S. *Ambroſius l. 3. de Virgin.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUotquot virtutis ſtudiô tenemur; novimus, non alium in hoc conatu habere nos inimicum tam pernicioſum, uti carnem propriam: cui tamen edomandæ nondum id fortè laboris impendimus, quod gentiles. Horum aliquis non fidei lumine ductus, non principiis ſupernaturalibus imbutus, ſed unius *honeſtatis* præſtantiâ ſtimulatus, fidenter aſſeruit: *major ſum, & ad majora genitus, quàm ut mancipium ſim corporis mei; quod certè non aliter aſpicio, quàm vinculum, libertati meæ circumdatum.* Seneca.

II. Nunquam ad tam ſublimem perfectionis apicem *Clara* pertigiſſet, niſi à pueritia in eo tota fuiſſet, ut expugnatô penitùs hoſte domeſticô, ex animi paſſionibus probè mortificatis ſcalam ſibi conſtrueret, quâ usque ad firmum virtutis ùſum & habitum pertingeret. *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, monet Eccleſiaſticus, *& à voluntate tua avertere: ſi enim præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* c. 18.

III. Miſera igitur illorum conditio, & palmaris error, qui *ſanctitatem* ſine *mortificationis* ſtudio ſomniant. Indigni ſunt accenſeri diſcipulorum Chriſti ſyllabo, quos non commendat ſanctum ſui *odium*. *Clara* nobis eſto magiſtra, totque ſanctorum millia, quibus nil adeò curæ fuit, quàm per ſui mortificationem diſponi ad vitam ſanctam. Voluerunt auſteritatibus variis carnem ſuam atterere, ne ſerò verum experirentur Salo-

mo-

monis effatum: *qui delicatè à pueritia nutrit ſervum ſuum, poſteà ſentiet eum contumacem.* Prov. 29.

XIII. AUGUSTI.

B. Bertrudis Antiſtita Aldenbergenſis ex Ord. Præmonſtratenſis.

PArentis ſanctiſſimæ *Eliſabethæ* Landgraviæ Haſſiæ & Thuringiæ ſancta Filia, Matris exemplo, ab annis teneris virtutis amorem ſic animo impreſſit, ut ſui per mortificationem victrix, obices quoscúnque, qui perfectionem remorari poterant, facilè amoliretur. *Præmonſtratenſium* inſtitutum amplexa, Parhenoni *Aldenbergenſi* Diœceſis *Trevirenſis*, cui adhuc infans à pia genitrice devota fuerat, annis pluribus laudatiſſimè præfuit, ſuis omnibus facta exemplum bonorum operum, in integritate, humilitate, charitate. Tandem idibus Auguſti ad auguſtas Agni nuptias evocata, vigilantem ſe exhibuit, & accensâ meritorum inſignium lampade cum prudentium Virginum choro ſponſi thalamum ſubiit. *Si*, quod divinus *Plato* aſſerit, *nihil tam honorificum liberis eſt, quàm bonis & honeſtis genitoribus eſſe natos*: maximus ſanè honor accrevit *Gertrudi*, ex tam ſancta parente: maximus huic ex filia tam non degenere.

SENTENTIA.

PRimus gradus pietatis eſt iſte, ut quos auctores tibi voluit eſſe DEUS, honores obſequiis, abſtineas contumeliis; nec vultu lædenda eſt pietas parentum. *S. Ambroſ. in Matth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SIcut (teſte S. Chryſoſtomô) *patris ignominia turpitudo eſt filiorum:* ſic parentum probitas optima eſt liberorum inſtitutio. Plùs hîc exemplô opus eſt, quàm alibi & aliàs. *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos.* Eccli. 7. erudi exemplô, curva imperiô. Sic ſuam *Eliſabetha Gertrudem* inſtituit: ſic nos hodie majores noſtri. Quæ porrò ſequelæ ſpecimina dedimus hactenus? laudamus quidem *viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua:* ſed de imitatione modica nobis, vel nulla eſt cura.

II. Cerei ſunt juvenum animi: figuram quàm virtutis tam vitii recipiunt. Trunci ſunt, *Mercurios* repræſentaturi, ſi docta magiſtri manus accedat: ſecus, *ſtipites* perſtituri, & idola deformia. Magnum igitur operæ ſuæ feret pretium, qui conabitur, DEI, & divorum imaginem telæ ejuſmodi rudi inducere. Et verò conabitur, ſi fidem habeat præſuli Antiocheno ſic diſſerenti: *quid majus, quàm animis moderari? quàm adoleſcentulorum mores fingere? omni certè pictore ac ſtatuariô excellentiorem eum dico, qui juvenum mores formare non ignoret.* in Matth.

III. Ut ergo parentum & moderatorum eſt, filiis & diſcipulis jura dicere: ſic horum eſt obedire. Sunt ex iſto grege, qui, cùm *teneriorem ætatem ſupergreſſi, adoleſcentiæ lætioris campum ingrediuntur* (phraſis eſt S. Ambroſii) *liberos ſe natos putant,* nec alicujus egere directione. Idem non rarò accidit religioſis, *tyrocinium* egreſſis. Verùm, quàm hallucinentur utrique, dicet Melli-

fluus,

Digitized by Google

fluus, cujus eſt hoc effatum: *qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit.*

XIV. AUGUSTI.

B. Wilhelmus Wercinius, Abbas Viconienſis Canon. Præmonſtratenſis.

VIrgini DEIparæ tam ſe devotum præbuit, támque iſti in delitiis fuit, ut à ſacratiſſima ejus manu ideam caperet fabricæ eccleſiæ, quam in *Viconia* moliebatur. Pauperibus alendis totus deditus, *Joanni* Alexandrino Præſuli ſuppar, *Eleemoſynarii* quóque nomen obtinuit. Regimine per duos & viginti annos ſanctè adminiſtratô, meritis eximius, ſaturâ, cum *Zachæo*, puſillus, cinericiò ſtratô decumbens, pretioſam redemptori animam placidiſſimè tranſcripſit. *Non alia clavis reſerandis cœli Januis tam eſt accommoda, quàm ſincera in miſeros beneficentia.*

SENTENTIA.

BOna negotiatio Eleemoſyna; nundinæ profectô mirabiles, parvô emere, magnô vendere. Has nobis nundinas DEUS propoſuit: modicô eme, quod magno vendas in futuro ſæculo: eme panis fragmentô, vili veſtimento, frigidæ poculô. *S. Joan. Chryſoſt. Tom. 5. Homil. 5. de pœnit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm ſibi gratulatur Canonica familia Præmonſtratenſium ſuum hunc

Eleemoſynarium! non enim aliud nomen tam queſtuoſum, nec tantæ apud DEUM æſtimationis, ac iſtud. Centuplum, quod illi reſpondet, amplioris eſt pretii, quàm cogitari poſſit. Dolendum ergo, eos etiam, quos penes eſt per eleemoſynam DEUM ſibi debitorem facere, tam eſſe ſordidos. *Eſt liberale officium*, inquit Romanus Orator, *ſerere beneficium, ut poſſis metere fructum.*

II. Non aliud ſemen, fertiliſſimæ etiam glebæ concreditum, proventu tam amplô laborem remuneratur, ut *Eleemoſyna.* Quid enim mucida panis cruſtulâ vilius? quid frigidæ poculô? & tamen utrumque mercede ſuâ non carituram ſpondet æterna veritas. *Laudas mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum: & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit juſtitiam.* S. Auguſt.

III. Si beati fuerunt oculi, qui viderunt, quæ Apoſtolis videre licuit: aures, quæ audierunt, quod iisdem audire datum: quidni beatæ ſint etiam manus, quæ DEI Filio pauperum exuviis tecto, ſtipem largiuntur, ut largitæ ſunt piorum fidelium in carne degenti? *amen amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis, mihi feciſtis.* Matth. 25. Parvæ in DEUM fiduciæ eſt, qui de tantis pollicitationibus ambigit, tantis conteſtationibus diffidit: & plùs credit homini mentiri potenti, & aliquando mentienti, quàm DEO veritati æternæ. Cadit in tales ſcitum illud Auguſtini: *ponunt pueri in theſaurario, & ſecuri ſunt: tu ponis in manu Chriſti, & times?* in Pſ. 48.

XV.

XV. AUGUSTI.

Assumptio B. V. MARIÆ.

HAc die *dormitionem* DEIPARÆ celebrat ecclesia. *Somno* enim, quàm *morti* similior fuit obitus, quem non morbus, peccati supplicium, parturiit, sed *amoris excessus*. Ut *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii* scitè composita, divinæ charitatis incendiis conflagravit, odore suavissimo *Triadem increatam* in omnem æternitatem recreatura. Coronam gloriæ, & diadema regni capiti suo *Filii* manu hodie impositam cepit Augusta cœlorum imperatrix, tantò altiùs super omnes angelorum choros elevata, quantò submissiùs infra vilissimos homines se depresserat. Anime! quid adhucdum terreis adglutinatus hæres? evola vel hôc momentô, ut in partem venias tanti triumphi, tantæ solemnitatis. Venies autem si viam non aliam triveris, quàm *MARIÆ* vestigiis signatam. Aude, quod bono suo potuêre tot amantes animæ. Pudeat hoc in cursu videri, & rideri ultimum.

SENTENTIA.

NEc in terris locus dignior uteri virginalis templô, in quo MARIA Christum suscepit: nec in cœlis regali soliô, in quo MARIAM hodie MARIÆ filius sublimavit. *S. Bernard. serm. 1. de Assumpt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. TAnta est Virginis assumptæ gloria, ut illi capiendæ & verbis explican-

dæ mens & lingua hominum ſuccumbant. Si *oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non aſcendit* illa felicitas, quam præparavit DEUS diligentibus ſe ex quavis hominum ſorte: quî capietur illa gloria, illi decreta, quæ tantum dilexit, quantum inter puros homines nemo alius? fac ô benedicta per interceſſionem tuam, ut fervidè diligendo in aliquam ſaltem gloriæ tantæ partem veniamus, dum ad tuam celſitudinem pertingere non poſſumus.

II. Naturæ debitum ſolvit *MARIA*, etſi culpâ minimè contractum, ut in mortalibus cæteris. *Mors* illius *corruptio* non fuit, ſed gloriæ tantùm *generatio*. Quî enim corruptione periret corpus, quod carnis tam nihil habuit, ut ſolô ſpiritu viveret? in peccatis concipimur & naſcimur: indeque non mirum, adeò corruptioni nos eſſe obnoxios. Utinam porrò ne æternùm abjiciamur, velut ſarmenta inutilia! & fiet id certò, ſi in hora tranſitûs noſtri regnet in nobis *peccatum*, fons corruptionis æternæ. *Peccatum omne corruptio eſt.* S. Chryſoſt. in Epiſt. ad Epheſ.

III. Surſum igitur animum habeamus, ſi pergere poſt glorioſam Virginem velimus. Sordes vitiorum noſtros nec inquinent pedes, nec ſtringant affectus. Utque feliciùs evolemus, pennæ columbæ nobis ſint, *deargentatæ* humilitatis candore: *deauratæ* charitatis ignibus. Tu verò glorioſa Domina, ſuper omnes angelorum choros exaltata! memento te ideo de præſenti ſæculo translatam, *ut pro nobis fiducialiter apud DEUM intercederes.* Eccleſia in collecta.

XVI. AU-

Digitized by Goog

XVI. AUGUSTI.

S. Rochus Confessor.

DUodecimô ætatis annô parentibus (quos penes præfectura erat oppidi *Narbonensis*) orbatus, instabili mundo bellum indixit internecinum, amicis omnibus valere jussis, & facultatibus amplissimis in pauperum necessitates erogatis. Habitu peregrini ex *Galliis* in *Italiam* commigrans, plurimos pestilentiâ correptos unô crucis signô plenissimè sanitati restituit. Acri postmodùm & ipse febri laborans, coxâ etiam sinistrâ sagittâ transfixus, cùm in vasta solitudine infra arborem abjectus decumberet, desertus ab omnibus, canem habuit obsonatorem, à quo panem indies accepit. Redux in *Gallias*, explorator creditus, paternum castrum custodiam: patruum tyrannum expertus est, à quo annis admodùm quinque pessimè habitus, patienter singula tulit, affligi præeligens incognitus, quàm cognitus honorari. Peste denique sublatus, indice Angelô post mortem & *Rochus* audiit, & peste laborantium Patronus præsentissimus. Cæteri morbi nos, velut cervos saucios, ad DEUM fugere compellunt: sola peccati *pestis* cœlô excludit.

SENTENTIA.

INfirmitas carnis, vigorem mentis exacuit, ut affectis artubus, vires corporum in vires transeant animorum. *S. Salvianus l. 1. de Provid.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. LIberari à *peste*, veluti malo facilè maximo, sæpe cupimus, coràm supplicando *DEO Eucharistico.* Pestem peccati, extra quam alia nulla nocentior, & ipsi contrahimus, & aliis afflamus. Precemur eundem DEUM, & fervidè, ne hac contagione laboremus. Ut enim lue pestiferâ laborantibus hominum consortio interdicitur: sic peccatô infectis cœlitum societate. Non capit illos æternæ felicitatis solium, quibus consuetum in vita fuit, *stare in via peccatorum, & sedere in cathedra pestilentiæ.*

II. Aliis tamen, *extra peccatum*, morbis exerceri nos, quàm non exerceri, utiliùs plerumque nobis est. Nesciunt morborum pretium, nisi quibus persuasum est, pollere illos *virtute magnetica*, in pertrahendis ad DEUM ferreis hominum animis. Multi *Ezechiam* imitantur, quòd non aliàs ferventiùs DEO supplicent, istique recogitent omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, quàm dum morborum examina illis occlamant: *dispone domui tuæ.* Isa. 38. Tunc enim *convertit Ezechias faciem ad parietem, & oravit ad Dominum, & flevit fletu magnô.* l. c.

III. Suscipiamus igitur morbos, ut certa DEI amantis blandimenta: ut lavacra, scelerum reliquias expurgantia: ut compendiariam ad cœlum viam. Eligamus, potiùs hîc secari & uri, quàm alibi: hîc enim præter pœnæ brevitatem, etiam occasio meriti res est nunquam satis æstimanda. *Est, mihi crede,* inquit Seneca Epist. 76. *vel in lecto virtuti locus.* Imò hîc magis, quàm alibi. *Infirmitas corporis est sobrietas mentis.* S. Ambros.

XVII. AU-

Digitized by Google

XVII. AUGUSTI.

S. *Clara de Monte falconis.*

TOtum Virginis iſtius affectum ſibi vendicavit *Chriſti Paſſio*, & *Trinitatis arcanum.* Illa demortuæ cordi lineamentis elegantiſſimis viſebatur inſculpta: hoc expreſſum tribus globulis eidem virgineo pectori innatis, quorum unus (modò ſanè mirabili) pondus idem habuit, quod bini, aut terni ſimul. Puritatis tam fuit amans, ut ſæpiùs aſſeveraret, malle ſe inferorum cruciatus perpeti, quàm virginitatis jacturam. Quod oculos jugiter humi defixos haberet, maximè tum, cum viris loqueretur etiam religioſiſſimis, cauſam ſciſcitanti reſponſum dedit tantâ virgine dignum: ſolam linguam ad miſcendum colloquia ſic ſufficere, ut oculorum obtutibus opus planè non ſit. Noverit indubiè *Clara*, minùs in effectu diſcrepaſſe ſæpius *oculos* & *ſcopulos*, quam in litterarum ſono.

SENTENTIA.

NOn diſcordet cor tuum à facie tua: non habeas faciem ſurſum, & cor deorſum. *S. Bern. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. COr noſtrum *tabula raſa* eſt: quos illi colores induxerit affectus vel ſanctior, vel ſequior, hos tenaciter retinebit. O ut eſt diverſus hîc pictorum genius! quàm pauci, qui cum *Clara* diviniſſimum trinitatis myſterium; amoroſam Chriſti patientis hiſtoriam delineant! quanti

ti è diverſo, qui informia ſcelerum monſtra emendet quisque quod ruditer pinxit, & deletis lacrymarum ſpongiâ prioribus lituris, opus elaboret obtutu numinis dignum.

II. Perſuaſum fuit gentilibus, nullâ victimæ parte ſic affici Deos, ut *corde*. Idem immortali numini votum. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Idem etiam dæmoni deſiderium. Utri tamen horum *cor* tuum debeas, facilè reſcies, ſi alterius in te dona & gratias; alterius fraudes & maleficia expenderis. Cave tamen, ne, utique ſervire volens, cor dividas. Facies enim rem non peſſimam modò, ſed etiam injuſtam. *Malè ille dividit, qui id, quod DEO magis placet* (& ex toto debetur) *ſcilicet cor, ei non tribuit.* Stephan. Eduenſ. Epiſc. de Sacram. Alt. c. 13.

III. A DEO ſæpiùs cor abſtrahi contingit variis rerum futilium formis, quas *ſenſus* obtrudunt: oculi potiſſimùm, quibus grande in cor imperium. *Ubi oculus, ibi amor.* Si affixus ſit objecto lubrico, facilè cor ſecum præcipitabit. Hinc tanta ſanctorum in uſu ſensûs iſtius circumſpectio. Sint oculi, quod Auguſtinus ait Conf. L. 10. c. 35. *ad cognoſcendum inter ſenſus principes:* feneſtræ tamen etiam ſunt, per quas furtivo pede in interius animæ atrium Mors penetrat. Roga cum Davide: *averte oculos meos, ne videant vanitatem.*

XVIII. AUGUSTI.

S. Helena Imperatrix.

UT gratias DEO redderet, quàm in ſe, tam in *Conſtantinum* filium munificentiſſimo, ingraveſcente jam ætate, terram Servatoris natalibus & pere-

peregrinatione quondam ſanctificatam, devotiſſimo cum pietatis ſenſu inviſit. Huic Eccleſia plurimùm debet ob inventum crucis ſalutiferæ theſaurum incomparabilem. Humilitatem, etſi in ſupremo dignitatis apice, ſic coluit, ut numeroſæ aliquando Virginum DEO ſacratarum familiæ, imperatoriis ipſa manibus aquam affundere, miniſtrare pocula, menſam ſternere, cibos inferre non erubeſceret. Octogeſimum ætatis annum propè conſecuta, ſtatione migravit, tantum amore divino ſuccenſa, ut nulli dubium eſſet, rectà illam ad cœlos ferri. Funus (quod vitæ ſcriptores memorant) tantis omnium lacrimis & ejulatibus ad Conditorii locum fuit deductum, ut ploratus pſallentium voces longè ſuperaret. Virtus, quanquam in omni homine, potiùs tamen in iis relucet, quos natalium dignitas ſupra cæteros evehit.

SENTENTIA.

VIrtus Mater eſt gloriæ, ſola enim eſt, cui gloria jure debetur. *S. Bernard.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PRimum Parentum munus eſt, non ſolùm nihil peccando, verùm & honeſtè ſingula agendo ſic liberis exemplar ſeſe ſiſtere, ut hi in illorum vitam, velut ſpeculum, oculos identidem reflectant. Quàm iſtud exactè præſtiterit *Helena*, toti hodiéque orbi commonſtrat ſolida *Conſtantini* Imperatoris ſanctitas. Siqui tuæ commiſſi ſint curæ, ſemper eò tendito, ut robur ab ex-

exemplis monita capiant. O ut non tam multa foret illorum copia, quibus ſolemne *alligare onera ſibi ſubditis, digitô autem ſuô nolle ea movere.*

II. Pietas, quà primam ætatem imbuit *Helena*, ſenem permovit ad piè peregrinandum. Multùm poteſt in reliquam ætatem virtus à teneris imbibita: habitum enim generat, voluntati bonum tam facile reddentem, ut voluptati cum illo ſit, quod ſine illo foret horrori: qui quidem horror in vitioſis non ex alia naſcitur radice, quàm cruda tantæ pulchritudinis, quâ virtus emicat, ignorantia. Pridem ſic cenſuit *Cicero*, ita enuntians: *ſi ipſam honeſtatem undique perfectam, omniumque maximè laudandam penitùs videremus, quônam gaudiô compleremur, cùm tantopere ejus adumbratâ opinione lætemur?* 5. de finib.

III. Plurimùm ſplendoris mutuata eſt *Helenæ* ſanctitas ab humilitate tam profunda. Rara eſt virtus iſta in *honoratis*, quos tamen adeò non deprimit, ut etiam *honoratiores* reddat. Unde enim tanta Filii DEI Majeſtas, quàm ab *humilitate*? hanc igitur *ſcalam* credamus, quâ ad virtutum ſublimia ſcanditur. *Fundamentum* putemus, cui reliqua tutò ſuperſtruuntur. *Excelſa eſt patria, humilis eſt via.* S. Auguſtin. ad Dioſcor.

XIX. AUGUSTI.

S. Marianus Eremita.

VItam duxit à ſcelerum ſordibus tam puram, ut ſolatii & conſilii captandi gratiâ frequens ad eum, veluti ad virum planè ſanctum, populi eſſet con-

concurſus. Accidit porrò bonum Eremitam die quodam ſub arbore malo reperiri exanimem, & unà cum morientis ſpiritu, omnem de illo conceptam exiſtimationem in auras diffugere; apud eos ſaltem, quibus, ad modernum mundi genium, ſolemne fuerat temerè de re quavis judicare. Horum nonnemo eò prorupit impudentiæ, ut alterum, annuam ſancti memoriam celebraturum, ita dehortaretur à propoſito: *putas tu*, inquiens, *hominem eliſum ex arbore propter compendia gulæ, angelorum relatum eſſe in ſyllabum?* ſed papulavit os impium, quando totæ illius ædes, vicinis omnibus intactis, ſubitaneô perierunt incendiô. Retuliſſet prius ad limam, quod fuerat dicturus, quàm ad linguam: multum cruditatis defricâſſet.

SENTENTIA.

VErbum verum & ſtabile da in os meum, & linguam callidam longè fac à me. Quod pati nolo, omni modo cavere debeo. O quam bonum & pacificum de aliis ſilere, nec indifferenter omnia credere, nec de facili ulteriùs effari! *Thom. Kemp. l. 3. de Imit. c. 50.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. JUre ſemper vapulârunt à ſanctis Patribus *temeraria judicia*. Vocat illa Auguſtinus *amicitiæ venena* L. 1. de amicit. Bonaventura, *peſtem occultam, ſed graviſſimam, quæ DEUM fugat, & fraternam lacerat charitatem.*

Unam

Unam ex insignioribus Diaboli machinis, quibus totam charitatis in proximum structuram subruere nititur, esse hanc cavillandi libidinem, tam est certum, quàm indubium, stygium veteratorem hostem esse capitalissimum omnis amicitiæ sanctioris. Proximi bona obfuscat, & eorum locô sordes allinit. *Diabolus lutum præbet, & aurum auferat.* S. Chrysost.

II. Quærit ex hac hominum fœce magnus Gentium Doctor: *tu, quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* Certum videlicet Apostolo, judiciis hisce temerariis non modò famæ proximi, sed ipsius etiam DEI *jurisdictioni* præjudicari: quòd hujus solius sit, discutere hominum *incerta & occulta*, scrutari scilicet consilia cordium. *Nolite ergo judicare, & non judicabimini.*

III. Causam principem, ex qua nascitur hic temerè judicandi pruritus, dicunt *Ascetæ* esse hanc, eò quòd quisque judicet secundùm suum affectum. Unde S. Chrysost. *Sicut difficilè aliquem suspicatur malum, qui bonus est: sic difficilè aliquem suspicatur bonum, qui malus est.* in Matth. Alia de Christo fuerunt judicia *plebis*, alia *Pharisæorum.* Omnium optime agit, qui *manticæ* quod in tergo est, aliena; quod antrorsum, sua intrudit peccata. *Etiamsi in ipso animæ de corpore egressu quempiam peccare videris, nec tunc quidem illum audeas damnare.* Clymachus.

XX. AU-

XX. AUGUSTI.

S. Bernardus Abbas.

EXimia futuræ ſanctitatis fuêre ſpecimina, *victoriæ illuſtres*, quibus in tenera adhucdum ætate, tertiâ vice devicit *Bernardus* diaboli technas, quas per vilia ſcorta ſtructum jerat ejus pudicitiæ. Quam porrò ut arctiore etiam cuſtodiâ tutaretur, poſthabitis omnibus conſanguineorum minis, *Ciſtertium* adiit, adque idem cœnobium pertraxit ſecum, non modò fratrum ſuorum quinarium, verùm & avunculum, etiam, & nobiliſſimorum juvenum lectiſſimam manum. Factus Abbas *Claræwallis*, non ſuorum duntaxat domeſticis, ſed publicis inſuper Eccleſiæ neceſſitatibus tam dexterè providit, ut operâ ejus & prudentiâ unum, aliudque ſchiſma, quibus Eccleſiæ damnum non vulgare parabatur, fuerit ſopitum. Charitate magiſtrâ doctus eſt, adverſa quævis, non æquanimiter ſolùm ferre, ſed hilariter: eò etiam magis, quod omnem illorum ſenſum mirè leniret gaudium ex ampliſſimo animarum lucro, in ſanctum redundans. Deceſſit annis circiter quatuor & ſexaginta bono animarum fructuoſſimè impenſis primus *Claræwallis*, Abbas aliorum ampliùs, quàm centum & ſexaginta cœnobiorum Pater. Sic qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

SENTENTIA.

MAgna & rara profectò virtus, ut magna licet operantem, magnum te neſcias:

& manifeſtam omnibus, tuam te ſolùm latere ſanctitatem. *S. Bern. ſerm. 15. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAgna & multa fuerunt, quæ *Bernardus* egit, quàm ſuô, tam Eccleſiæ bonô: neque tamen fuêre tanta, quæ modeſtiſſimam illius mentem vel minimùm extollere poſſent. Ipſum audiamus: *dico vobis, ego, qui de me loquor, non ex conjectura, ſed ex ſcientia: non ſum talis, qualis putor, vel dicor: quod tam ſecurus fateor, quàm certus experior. Sed, orate, ut talis fiam, qualem me prædicatis.* Epiſt. 11. Minimum eſt quod gerimus: hoc tamen minimum, ô quoties magnos mentitur nos nobis ipſis.

II. Spiritum *manſuetudinis* ex ſanctæ humilitatis legibus ſic hauſit *Bernardus*, ut licet Superior ipſe defectus aliorum corrigeret aliquando, id tamen fieret modô prorsùs ſuaviſſimô. Familiare item illi fuit delicta ſua humiliter confitentes ſic alloqui: *confeſſio tua, fili! ad lacrymas me commovit tum propter me, tum propter te. Propter me fleo, quia quæcunque de te dixiſti, eadem fere, aut ſimilia reperio in me.* de inter. dom. c. 37. Hoc demum eſt corrigere, ut Auguſtinus vult, *cum dilectione hominum, & odio vitiorum.*

III. *Bernardum* cupiiſſent Epiſcopum Eccleſiæ *Lingonienſis, Catalaunenſis*, civitates, *Januenſis, Mediolanum: Rhemi* denique nobiliſſimum *Franciæ* oppidum: ſed præelegit ille abjectus eſſe in domo DEI. *O abuſio filiorum Adam! quia cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum:*

ipſi

ipſi & leviter aſcendunt, & difficiliùs deſcendunt, parati ad honores & celſitudines graduum Eccleſiaſticorum, ipſis etiam angelicis humeris formidandos. S. Bern. ſerm. 2. de Aſcenſ.

XXI. AUGUSTI.

S. Humbelina ex Ord. Ciſterc.

BErnardo germanam ſororem ſubnectimus *Humbelinam.* Reſtabat hæc unica, quam DEI ſervus melleâ ſuâ ſuadâ ad calcandum mundi faſtum diſponeret. Sed operi huic moram ſat diuturnam poſuit tum generis ſplendor, tum divitiarum copia: potiſſimùm verò ipſa viraginis indoles ad mundi genium affabrè facta. Evicit tamen precibus Claræ vallis Abbas, ut ſuô acceſſu ſoror totam familiam DEO ſacrandam compleret, quod ſic evenit. Claravallem aliquando petierat, fratres viſitatura, quando pro amica ſalutatione à *Bernardo* non modò repulſam tulit, ſed ob nimiam quoque veſtium vanitatem, objurgationem ſat prolixam. Quô inſolitô agendi modô ſic ſororis animum everberavit Bernardus, ut hæc in uberes ſoluta lacrymas melioráque ſpondens, paulo poſt, obtentâ *à marito* facultate Ciſtercienſium Ordinem ingrederetur: in quo vitam egit tam ſanctam, ut morti vicina centies ingeminaret illud Davidicum: *Lætata ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Multa morituris lætitia eſt ex vita non perfunctoriè traducta.

SENTENTIA.

VOlo te mortem etsi non effugere, certè vel non timere. Justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet. *S. Bern. Ep. 105. ad Romanum.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MUltùm sibi juris vendicat mundus in teneras mentes, nisi potentior *gratiæ divinæ* radius his vanitatem illius detegat. Hoc discrimen quia germanæ suæ sorori metuit *Bernardus*, quibus potuit verborum machinis sæcularem illius animum oppugnare tamdiu non destitit, dum tandem expugnaret. Dixerit indubiè trepidanti ad mutationem tam subitam, & ad mundi cupedias, velut *ollas Ægyptias*, respectanti, quod aliàs dixerat fratribus de Monte DEI: *delectationes non perdimus, sed mutamus: de corpore ad animam, de sensibus ad conscientiam.*

II. Familiare fuit *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis* dicere: *si saperent & cognoscerent filii & filiæ hujus sæculi, scalis monasteria conscenderent, ut in eo paradiso securè, & deliciosè degere possent.* Audis Monasteria *paradisum* dici? mundus ergo *carcer* est: & profectò non aliud, cùm etiam omni suâ amplitudine angustus nimium sit illis mentibus, quibus ejusdem falsitas probè perspecta est. Cœnobiorum è contra parietes, quamvis angusti, non impediunt animam, quò minùs, usque ad ipsum DEUM evolet. Luculenter istud de *Asella* sua testatur

tur Hieronymus : *unius incluſa cellæ auguſtiis, totâ cœli latitudine fruebatur.* Epiſt. ad Marcel.

III. Aliud longè canticum, quàm mundani ſoleant, *Humbelina* intonuit. Gemunt illi: *O mors quàm amara eſt memoria tua!* cecinit iſta : *Lætata ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Diverſitatem miraris ? Chryſoſtomum audi: *religio hoc habet, ut qui eam ſecuti ſunt, bilares ad DEI tribunal perducat.*

XXII. AUGUSTI.

S. *Symphorianus M.*

QUòd à pueritia quàm moribus optimis, tam litteris animum imbuiſſet *Symphor.*, citò ad tam eximiâ numinis cognitionem pervenit, ut totâ licet urbe *Auguſtodunô* nefariis *Berecynthiam* ſacris colente, ipſe ſolus ferè, & unicus Chriſtum conſtantiſſimè confiteretur, reliquas Deos, & Deas omnes dæmonia diceret. Hinc flagra in illum ſævierunt, & diutini carceris moleſtiæ : ſed necquicquam. Quin & mortis ſententiâ in illius caput fulminatâ, prudentiſſimè iterum & renidenti ore *Symphorianus* ad judicem : *quid refert*, inquit, *ſi vitam, quam Chriſto ex debito ſoluturi ſumus, ex voto ſolvamus?* ſic prolocutus cervicem ferro ſubdidit, piâ Matre amplioribus ſtimulis generoſum illius animum, ad intrepidè excipiendum fatalem ictum, excitante. Sic vivunt, ſic loquuntur, ſic moriuntur Martyres.

SENTENTIA.

PRudentia, & fortitudo virtutes principes ſunt. *S. Baſilius in Epiſtolis.*

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. P*Rudentiâ* & *Simplicitate*, velut armis optimis, inſtructi cum Apoſtolis Martyres, in media ſeſe luporum agmina conjecerunt intrepidi: ſpem animô concipientes indubam *fortitudinis* donô non ſe deſtituendos. Docuit verò *Prudentia*, non ſupplantari tyrannorum verſutiis: *Simplicitas*, mentem ſervare ab affectu ſequiore liberam, & uni DEO affixam. Ab hiſce virtutibus, velut ab *Rudimentis*, etiam tuam te pugnam auſpicari neceſſe eſt, ne pugnes *quaſi aërem verberans.*

II. Multô à teneris ſtudiô honeſtiora complexus ſtudia fuit *Symphorianus*: neque id tamen, ut iis vel vanè oblectaret ſeſe, vel more gentilium inſoleſceret: ſed ut horum operâ viam ſibi complanaret ad ipſum usque veræ ſapientiæ fontem. Perditur in litterarum ſtudiis labor omnis, qui fini iſti comparando non impenditur. *Non probatur multa ſciens, ſi modum ſciendi neſciat.* S. Bern. ſerm. 36. in Cant. Modus ſciendi, ſtudium eſt *cognitionis divinæ*, cui intensè ſtudent, qui excellere aliquando volunt in *Scientia Sanctorum.*

III. Tyranno mortem denuntianti prudentiſſimè reſpondit Symphorianus: *quid refert, ſi vitam, quam Chriſto ex debito ſoluturi ſumus, ex voto ſolvamus?* utinam ſic loquamur, dum adverſis omni ex parte impetimur! patimur aliquando, & noſtrâ plerumque culpâ: tamen caſtiganti DEO obnitimur, & oblatramus: an hoc ad morem *Symphoriani*? an ad morem gentilium? hos inter ſic mo-

monet Seneca : *da operam, ut quidquid neceſſe futurum eſt, non invitus facias.* Epiſt. 62.

XXIII. AUGUSTI.

SSS. Claudius, Aſterius, & Neon. MMM.

JUcundum DEO fuit & ſuperis ſpectaculum, quod invictô mentis ſuæ robore parârunt *Claudius*, *Aſterius*, & *Neon*, ætate pueri, conſtantiâ viri, gravitate & modeſtiâ morum ferè ſenes. Juſſi à præſide *Lyſia* ſacrificare Diis, aut exquiſitiſſimis torqueri ſuppliciis, poſterius hoc elegerunt : & primùm in equuleo ſuſpenſi, lampadibus aduſti, ferreis uncis laniati, virgis & nervis atrociſſimè cœſi, cùm non modò nec minimùm remitterent ab inſigni mentis conſtantiâ, verùm & rationibus, altius quid, quàm puerile ingenium ſapientibus, unius DEI veritatem, & falſitatem numinum reliquorum, perſuadere adniterentur, tyranni juſſu crucibus affixi præclarè imitati ſunt Chriſtum DEUM-hominem, pro hominum ſalute eôdem mortis genere defunctum. Vide quàm nulla ætas cœlo & virtuti nimiùm ſit infirma.

SENTENTIA.

ÆTates quædam ſunt meritorum, nam & ſenectus morum invenitur in pueris, & innocentia infantium invenitur in ſenibus. *S. Ambroſ.*

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn extra verum dixit nonnemo: difficilè admodùm esse, aliquid de juvenibus divinare, eò quòd ætas sit incerta, sine scopo, multis mutationibus obnoxia, & aliàs alior sum agi solita. Fuerunt tamen etiam in tantilla ætate, qui virtutis exemplum præbuerunt non tyronibus modò, sed adultæ etiam virtutis viris. Sic & fratrum istorum ternarius dirissima quæque pertulit, tantùm ut suam Christo fidem probaret. O ut ne frequenter adeò abstraherent nos ab ista, non carnis lanienæ, sed sensuum lenocinia.

II. Persuasum fuerat *Lysiæ*, tormentorum immanitate superandum *Claudium*; verum masculâ hic suadâ Tyrannum aliud longè docuit: *tormenta tua*, inquiebat: *& ignis, æternam mihi salutem conciliant. Quæ enim propter Christum patior, in magno mihi lucro ponenda sunt: atque adeò mors ipsa Christi causâ tolerata, divitiæ putanda.* En veram patiendi methodum! an talis tua etiam passio? non, sanè, nisi quidem somnians sequentia scripserit Gregorius M. in Ezechiel. *tolerâsse, & odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris.*

III. *Patientia* igitur *Fortitudini* sic socianda est, ut utraque profliget *pusillanimitatem*, quæ sæpe sæpiùs suffuratur nobis ingentia laborum præmia, certò capienda, si horum tædiô non caperemur. Inclinandum itaque cor, ad sustinendum viriliter, cùm propter DEI amorem, tum *propter retributionem.* Sic enim fiet, ut cum lectissima Martyrum corona dicat olim nostrum quisque:

Mo-

Digitized by Google

Modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. Eccleſ. 51.

XXIV. AUGUSTI.

S. Bartholomæus Apoſtolus.

INdos ad veræ fidei lumen adducturus, non aliud potentius medium habuit, quàm aſſiduum orationis ſtudium. Centies enim interdiu, & noctu toties pro commiſſorum ſibi ſalute DEUM in genua procubuus precari conſuevit. *Polymium* regem, reginam, & duos liberos regios, cum duodecim civitatibus Chriſto adduxit. Mirùm exercuit in dæmones imperium, quàm in idolis, tam in obſeſſorum corporibus eos diſcruciando. Ab *Aſtyage Polemii* Regis fratre interceptus, vivus primùm excoriatus; tum capite truncatus, ad cœlos victor abiit. O quàm præſtat rubricata hæc pellis *Bartholomæi*, pellibus *Salomonis*!

SENTENTIA.

ORatio refugium eſt auxilii, & fons ſalutis, & confidentiæ theſaurus, & lumen iis, qui in tenebris ſunt, & portus liberans à tempeſtate, & auxilium ægritudinis à moleſtia. Eſt clypeus liberationis in prælio, & ſagitta acuta contra inimicos. *B. Iſaacus presbyter l. 1. de mundi contemptu.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. TAnta eſt orationis perfectæ vis & efficacia, ut nihil non obtineat eo-

rum, quorum causâ fit. Petiit *Bartholomæus* conversionem gentilium, rem utique bonam, & obtinuit animarum multa millia. Petiit profectum in virtutibus: & evectus est ad sanctitatem tam eximiam, ut ad solam ejus umbram trepidarent dæmones. Petiit voci suæ vocem virtutis : & prædicando tantum operæ suæ pretium tulit, ut audacter dicat Dionysius Carthus. *incertum, quis majorem in mundo fructum fecerit, Bartholomæus, an Petrus*? serm. 1. de S. Barthol. Quid tu hactenus petiisti?

II. Pondus orationi *Bartholomæus* addidit studiô mortificationis, quâ tot genuflexionibus membra sua debilia mirè torsit. Ne putes, *genuflexiones*, & reliquos humiliter orantis habitus, nudas esse Ceremonias : actus sunt nobilissimi religionis, mortificationis, humilitatis &c. Imperatorii sunt, meritorii, & satisfactorii, nisi *charitas* desit. Et, ô ut adstitisses Christo *pernoctanti in oratione DEI!* miram affectuum vidisses varietatem: devotionem stupendam sacratissimæ illius humanitatis. *Quid* porrò *te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat?* S. Ambros. in Luc.

III. Memorant scriptorum aliqui, *Bartholomæum* jamdum excoriatum non destitisse per diem integrum Christi fidem gentilibus prædicâre: ac posteà primùm *Astyagis* jussu esse decollatum. Nos interim, ejus exemplô, *pellem* vitiosarum nostrarum propensionum vel abstrahamus ipsi : vel ab aliis nobis abstrahi non ægrè feramus. Hoc enim erit *exuere hominem veterem cum actibus suis.*

XXV.

Digitized by Google

XXV. AUGUSTI.

S. Ludovicus Galliarum Rex.

QUam propagandæ religionis ſtudiô teneretur *Ludovicus*, ſatis patuit ex gemino itinere, quod in *Palæſtinam* ſuſcepit. Utraque tamen profectio vix aliud præſtitit tam notabile, quàm quòd inſignem patientiæ materiam Regi ſuggereret, ad perferendum viriliter propriæ primùm captivitatis probra: tum tot lectiſſimorum militum miſerandum interitum. Ex triginta duobus enim militum millibus, non remanſerant ultra ſex mille, cæteris omnibus peſte ſublatis, quâ & ipſe Rex, cum *Joanne*, filiorum uno, occubuit. Pulcherrima ſunt, quæ ſuperſtiti filio ſibi cognomini monita reliquit quorum primô, cavere in omnem vitam illum voluit vel à ſola gravioris peccati umbra. Secundô, pro adverſis æque ac proſperis DEO gratias agere. Tertiò, conſcientiæ arbitros eligere, non quosvis, ſed prudentiâ & doctrinâ eximios. Quartô, audiendo DEI verbo totum ſe dare. Quintô, indulgentiarum lucra magni facere. Sextô, erga DEUM & quosvis fautores gratum exhibere animum. Hæc ſcilicet ſunt regni columina, quibus tutò magis innititur, quàm mundanæ *politiæ* fragili fulcro.

SENTENTIA.

PEccata & vitia ſunt tamquam parietes inter DEUM & homines mediantes. S. *Bern. ſerm. 56. in Cant.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. BLanchæ, *Ludovici* Regis piiſſimæ Parenti, familiare fuit dicere : *malim equidem, fili chariſſime! extinctum te videre, quàm obnoxium peccato lethali.* Et profectò præſtaret penitùs non eſſe, quàm eſſe capitaliſſimum DEI hoſtem. Fugit porrò *Ludovicus* non peccata ſolùm, ſed & minimam illorum occaſionem : probè gnarus, frequenter iſtâ in exitium abripi aliquem, priùs ferè, quàm advertat. Orandus ſeriò DEUS : *eripe me de luto, ut non infigar.*

II. Fuit *Ludovici* virtus tantò clarior, quantò firmior perſtitit in tot exerrandi occaſionibus. Divitiis affluere, quin tamen cor illis apponas: regiis inſignibus eminere, quin *ſuperbiæ* centonem aſſuas : à tam variis Aulicorum moribus nihil vitii derivari in Principem ; *miraculum* vel eſt, vel miraculo proximum. *Beatus, qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus.* Cui tamen debebatur alteri, quàm *gratiæ*, tam heroicum peccati odium ? hæc ſcilicet vires ſuggerit ad audendum fortia. *Gratiâ DEI, non noſtrâ poteſtate in melius mutamur.* S. Auguſt.

III. *Ludovicus* animum habuit contrà adverſa quævis obfirmatum. Virtutis amantium eſt, *in proſperis non extolli : in adverſis non deprimi.* DEO diſplicent *arundines* ventô quôvis agitari ſolitæ : placent animi ſibi ſimiles, ſive DEUS feriat, ſive blandiatur. Hanc verò mentis *malaciam* potiſſimè parit & fovet fides indubia circa *divinam providentiam.* Eſſe DEUM Auctorem boni, nemo bonus dubitat. Eſſe tamen etiam auctorem mali

(ex-

(excipe peccatum) docet Propheta: *ſi erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Amos 3.

XXVI. AUGUSTI.

S. Alexander Miles, & M.

FUit hic *Alexander* illuſtre membrum Thebææ legionis. A *Maximiano Auguſto* diis ſacrificare juſſus, non modò non paruit impiè præcipienti, ſed totô prætereà mentis & vocis conatu adlaboravit erranti bene conſulere. *Utinam*, inquiens tyranno, *tantam mihi DEUS gratiam conferre dignaretur, ut pulſis errorum tuorum tenebris, veriſſimâ Chriſti cognitione te illuſtrare poſſem!* gladiô trucidandus, oratione ferventi percuſſoris manum ſtupidam reddidit, necquicquam fremente, & præſtigias arguente *Maximianô*. Capitis tamen jacturam paulò poſt lubens fecit, ut martyrum caput Servatorem ſuum, dignum illius membrum, in cœlo conveniret; cujus utique exemplô perfacilem ſibi fecit mortem, & tormenta. *Devotus* enim *miles non ſentit ſua, cum benigni ducis intuetur vulnera.* S. Bernard.

SENTENTIA.

HÆc perfectæ charitatis regula eſt, hic certiſſimus terminus, hoc ſupremum omnium cacumen, quærere quæ communem omnium comprehendant utilitatem. *S. Chryſoſt. Homil. 25. in Ep. ad Corinth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ZElum animarum definit P. Alvarez tom. 2. l. 3. c. 5. §. 3. quòd ſit *intenſ-*

tenſus charitatis actus, & amantis affectus, quò diligentiſſimè quærit honorem DEI, & proximorum ſalutem, ac, quidquid hiſce duobus contrariatur, fortiter, conſtanterque repellit. Hôc zelô ſuccenſus *Alexander* nihil ſic cupiit, uti gentilium, & ipſius etiam *Auguſti* converſionem, quamvis effectus voto minimè reſponderit. Æmulare hunc charitatis affectum: ſic enim DEUM ipſum pro tuo modulo imitaberis, qui *vult omnes homines ſalvos fieri.*

II. Magis hunc in ſe zelum augere ſtudent, qui ſtudioſiùs expendunt, quanta pro animarum ſalute fecerit DEI Filius. An non enim unum animarum lucrum ſpectabant omnes illius vigiliæ, itinera, præcepta, ſermones, ſacramenta, ipſa denique mors ſanctiſſima? juſtiſſimum ergo eſt, ut cui talenta concredita ſunt in aliorum etiam bonum profutura, is ea non arroganter defodiat, non otiosè ſudario illiget, ſed in aliorum etiam utilitatem præclaros hos fontes fluere faciat, identidem cum Apoſtolo ſpondens: *ego libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar, pro animabus.* 1. Corinth. 12.

III. Quod tamen circa virtutum delectum monuit Hieronymus, ipſum ſedulò expendendum eſt. *Summa*, inquit, *tibi ſit ſcientia, ſumma notitia, vitia, virtutesque diſtinguere: quæ, quamquam ſemper contraria ſibi ſint, aliqua tamen ex eis tantâ junguntur ſimilitudine, ut diſcerni omnino vix poſſint.* Zelus denique ut non fucatus ſit, ſed verus: virtus exercenda priùs eſt, quàm aliis ſuadenda. *Qui* enim *ſibi nequam, cui alteri bonus erit?*

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. AUGUSTI.

S. Cæsarius Episcopus Arelat.

TAnta mentis contentione negotium suæ salutis operari solitus est *Cæsarius*, ut etiam in somnis crebrò exclamaret: *duo sunt, intérque illa medium non datur: aut enim sursum ad cœlos ascendere, aut in infernum descendere oportet.* Pro tribus panibus, quos pauperum sedandæ fami expenderat, tres onerarias cœlum reddidit, lectissimô frumentô probè fartas. Biennió ante transitum cœlum vidit patulum, inque illo gloriæ thronum regiâ magnificentiâ adornatum, adjectâ voce suavissimâ: *gauderet in Domino, adverteret, quanta in brevi laborum suorum præmia esset capturus.* Utinam æternitatis quàm beatæ, tam infelicis memoriâ frequentiùs noster occuparetur animus! foret utique circumspectior in agendis rebus, atque serius magis, quàm in prosecutione boni, tam in fuga mali.

SENTENTIA.

SI semel quisque ad æterna se erigat, atque in his, quæ in commutabiliter permanent, oculum cordis figat, propè nihil esse conspicit, quidquid ad finem currit. *S. Gregor. l. 10. c. 10.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UTinam singuli nunquam non animô volveremus illud Cæsarii: *aut in cœlum ascendere; aut in infernum descendere ne-*

cesse

Digitized by Google

ceſſe eſt! alia foret rerum facies, & alius vivendi modus. Eſto enim non deſint, qui æternitatem cogitent: illi tamen etiam ipſi cogitant tantùm: non inhærent, non examinant, voluntatem non concitant, imaginationi nihil imprimunt, ſicque tantundem agunt, ac ſi nihil agerent.

II. Vigilem *Cæſarium* reddidit continuata æternitatis memoria: vigilem, puta, in promovendo ſalutis ſuæ negotio: vigilem in declinandis etiam leviſſimis exceſſibus: vigilem ad pauperum preces: vigilem denique ad coacervanda omni momentô operum bonorum merita: dum è contrario, quibus æternitas veluti fabula eſt, clauſis, *Andabatarum* more, proruunt oculis, iſtos antea non aperturi, quàm illis accidat, quod epuloni evangelico, de quo ſacer textus: *elevans oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis &c.*

III. Utraque æternitas & *beatorum*, & *reproborum*, infinitæ eſt longitudinis. Ad illam poſſidendam; ad iſtam effugiendam momentaneè aliquándo cruciari nos vult DEUS, & renuimus? ô quàm aliter ageremus, ſi æternitatem utramque inter ſe conferremus, ſi æternitati, quod temporarium eſt, opponeremus! occurreret identidem animo ſalutare illud monitum: *momentaneum, quod delectat: æternum, quod cruciat*, ſæpe memoriâ ruminaremus veriſſimum iſtud Auguſtini: *totum quod patimur, tribulationes in hac vita, flagellum DEI eſt, corrigere volentis, ne damnet in fine.* ſerm. 109. de Temp.

XXVIII.

XXVIII. AUGUSTI.

S. Augustinus Ecclesiæ Doctor.

NAtus *Tagastæ* in *Africa*, patre gentili *Patritiô*, matre *Monicâ* fœminâ pientissimâ, ab anno ætatis 16. ad usque 34. vitam duxit pessimam, ut ingenuè de se fatetur: subinde vero miserentis DEI clementiâ, & seriâ codicis Apostolici lectione mutatus in virum alterum, plene *induit Dominum JESUM Christum*, & sacrô fonte à *B. Ambrosio* Mediolanensium præsule expiatus, pœnitentium, Episcoporum, Doctorum, Religiosorum exemplar, hæreticæ pravitati acerrimum movit bellum. Linguæ vitium mensis potissimùm familiare, sic odit & execratus est, ut distichô eum in finem editô, ac mensæ inscriptô, suis exesse juberet epulis pestilenti huic vitio assuetos. Demum divini amoris incendiis exæstuans, annô ætatis sextô suprà septuagesimum cœlos adiit. En quàm potens sit DEUS *ex lapidibus suscitare filios Abrahæ.*

SENTENTIA.

TOtum cor meum flamma tui amoris accendat, nihil in me relinquatur mihi, nec quod respiciam me ipsum, sed totus ad te, tanquam inflammatus à te. *S. August. in Psal. 127.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MUltùm & diu exerravit à via virtutis Augustinus, quod multi pariter solent: vocatus tamen à *gratia* victas indilatè

manus dedit, quod pauci ſolent: deinceps etiam eidem *gratiæ* nullô ampliùs graviori nævô reſtitit, quod ſolent pauciſſimi. Utinam idem Numinis amor, qui cor Auguſtini potenter incendit, noſtra quoque inflammet pectora, ut ſiquid boni aliquando per DEI gratiam volumus, id ſeriò & conſtanter velimus. *Sagittaveras tu cor noſtrum charitate tuâ.* S. Auguſt. L. 9. Conf. c. 2.

II. Cor Auguſtini priusquàm per DEI gratiam corrigeretur, ſcopus erat, in quem paſſim collimabant ſagittæ vetitorum amorum, vanæ ambitionis, curæ temporalium. Infelicia tamen fuerunt vulnera hiſce telis inflicta, & DEO ſagittario perquàm moleſta. *Inhiabam honoribus, lucris, conjugio: & tu irridebas.* L. 6. Conf. c. 6. Quàm frequenter hiſce ſagittis, & quanto noſtro cum damno transfigimur! obtemperemus Ambroſio ſic monenti: *nudemus corda noſtra bono vulneri: nudemus ſagittæ electæ quæ Chriſtus eſt. Bonum eſt hâc vulnerari ſagittâ.*

III. Tantum poſt converſionem profecit Auguſtinus in amore DEI, ut aliud, quàm hunc, nec loqueretur, nec cogitaret. *Unus & ſolus DEUS erat illi cibus, vita, requies, voluptas, amor, & bonor.* Ita de S. Auguſtino S. Proſper. Anime mi! alterutrum è duobus elige, ut vel hîc fias meta ſagittæ amoris Domini: vel ibi buſtum infelix, ſuccenſum à carbonibus deſolatoriis. *Ignis ſancte, quàm deſideranter aduris! væ iis, qui non ardent ex te!* S. Auguſt. in Solil.

XXIX.

XXIX. AUGUSTI.

Decollatio S. Joan. Baptiſtæ.

CUm *Herodes* Judeæ Rex ſceleratiſſimus infandæ libidinis ignibus usque adeò exæſtuaret, ut repudiatâ per ſummam injuriam legitimâ conjuge, filiâ *Aretæ* Regis *Arabum*, impuris *Herodiadis* amoribus ſe implicaret, eáque propter *d Joanne Baptiſta* cordatè, ſinéque fuco & palpo, corriperetur: hunc ſanctiſſimum Prophetam fœdô primum ergaſtulô concludi, tum verò in die natalis ſui, ut ne ſcortum ignobile filiam *Herodiadis* contriſtaret, unáque matris impiæ petitioni obſequeretur, capite minui fecit: ſicque *Joannes major homine, par Angelis, legis ſumma*, Evangelii *ſatio, Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum, lucerna mundi, præcurſor judicis, Chriſti metator, Domini teſtis*, crudeliſſimis adulteræ machinationibus ſublatus è medio, cœlis illatus eſt, quia dignus eô non erat mundus. O quàm infernales deſinunt in tragœdias miſtæ cum gula libidines!

SENTENTIA.

PUella ſaltat, & ſævit mater: & inter delitias & laſcivias convivantium temerè juratur, & impiè quod juratur impletur. *S. Auguſt. ſerm. 116. in novis ſermon.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MIſerandas jam ab exordio mundi clades ediderunt *libido* & *gaſtrimargia*, vitia multùm cognata. Hâc viâ indu-

ctum eſt *diluvium univerſale*: itemque *ſulphureus imber*, quô *Pentapolis* conflagravit. *Erant* utrobique *comedentes & bibentes*: *nubentes & nuptui tradentes* Matth. 24. donec ira DEI deſcendit ſuper eos. Fatali ſtupiditate laborat poſteritas, ſi malis his non movetur.

II. Non aliud ita facit comparari hominem *jumentis inſipientibus*, uti geminum iſtud *luxuriæ*, & *gulæ* vitium. Sint enim hominis membra *templum Spiritûs ſancti*: ſit homo conditus *ad imaginem & ſimilitudinem* DEI: quô tamen jumentô vilior non fit? quô non porcorum ſtabulô ſordidior, ſi vel in libidinis cœno aurium tenus hæreat: vel immodicô cibi & potûs uſu, rationis diſpendium faciat? novit ſceleris utriusque mala regum ſapientiſſimus, ſic enuntians: *luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit ſapiens.*

III. Eſto igitur *voluptas neceſſitate* aliquando ſe palliet, ut animum incautum circumveniat: non tamen fidamus, non illiciamur. Cogitemus ad majora nos genitos, quàm ut ad viliſſimum ventris ſervitium deputati, cum brutis obbruteſcamus. Et verò ſaniora cogitabimus, ſi attendamus fertilem hanc *gaſtrimargiæ* ſementem, quam S. Auguſtinus prodit: *ebrietas eſt flagitiorum mater, turbatio capitis, ſubverſio ſenſûs, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, dedecus vitæ, boneſtatis infamia, animæ corruptela.* ſerm. ad ſacr. Virg.

XXX.

XXX. AUGUSTI.

S. Bononius Adoleſcens.

UT amplis in virtute paſſibus procederet *Bononius* effecit continua mortis memoria, quam, quoad vixit, altiſſimè menti impreſſam habuit, ut nulla re minùs affligeretur, quàm diſparatis hominum judiciis, ſemper illud D. Pauli ore & animô verſare ſolitus: *ſi hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Variis eum DEUS in vita & poſt mortem nobilitavit miraculis, quæ inter facilè princeps fuit, quô famoſo peccatori, ad illius tumulum oranti, mutationem vitæ eximiam, & internam animi quietem ſuâ interceſſione obtinuit. Mortem ſæpe cogita, & nullum mortis ſecundæ, quæ eſt *mors peccatorum peſſima*, periculum te ſollicitum reddet.

SENTENTIA.

UNdecúnque voluerit DEUS ut exeas hinc, paratum te inveniat. Inquilinus enim es, non poſſeſſor domûs. Locata eſt enim tibi domus. Domus iſta locata eſt, non donata; etſi nolis, migrabis. *S. Auguſt. in Pſ. 148.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MOrte felici defungitur, quisquis cum Apoſtolo veraciter dicit: *quotidie morior.* Sanè, mortis memoria tam præſens eſt pro peccatis *antidotum*, ut quisquis illâ non retrahitur, pro deplorato haberi meritò poſſit. *Vigilate*, monet æterna veritas, *quia*

neſcitis diem, neque horam: quâ ſententiâ innuitur, certò moriendum nobis eſſe, & moriendum non rarò eô tempore, quô minimè putatur. *Incertum eſt*, inquit Seneca, *quô locô te mors exſpectet: tu ergo illam in omni loco exſpecta.*

II. Sæpe periculoſam longioris vitæ præſumptionem facit ætas florida, & exiſtimatus virium vigor. Ex multis hominum millionibus, qui pari perierunt incuriâ, ſi mortis occaſionem quæras, reſponſum à ſingulis capies: *præciſa eſt velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me.* Iſa. 38. adeò verum eſt, quod argutè nonnemo aſſeruit: *mors ſenibus in januis eſt: juvenibus in inſidiis.*

III. Certùm interim, acerbam cæterà mortis memoriam multùm dulcorari ſpe præmii, quod ſecurè ſibi pollicetur vita, ad honeſtatis leges compoſita. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.* Effati hujus veritatem confirmabit *Bononius* adoleſcens. Vixit ut Angelus, devotè, inculpabiliter: mortuus eſt, ut ſancti ſolent, ſuaviter, confidenter. Morti ergo bonæ per vitam bonam præluditur: nec multùm fatalis illius termini memoriâ triſtantur, qui adhucdum vegeti, ſtudiosè in horas ſingulas ſibi occinunt illud Senecæ monitum: *hoc tibi citrà mortis diem præſta: moriantur ante te vitia.* Epiſt. 27. ad Lucilium.

XXXI. AUGUSTI.

S. Aidanus Epiſcopus.

QUàm alte animo imbibiſſet monitum, quod juniori Tobiæ ſenior parens dederat; *ex ſubſtan-*

ſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: Tobiæ 4. tum prodidit *Aidanus*, quando equum verè regium, quem modò ab *Oſwino* rege dono acceperat, pauperi ſtipem petenti, quòd aliud ad manum non haberet, cum omni ornatu proprium fecit & voluit. Quâ inſigni liberalitate id deinceps promeritus eſt, ut & prophetiæ donô inclareſceret, & poſt vitam ſanctiſſimè peractam, gloriosâ morte defungeretur. Vidit enim demortui animam *Cuthertus*, indicibili ſplendore, velut nobiliſſimâ veſte amictam, à miniſtris cœleſtibus geniis ad cœlos deportari. Parùm habet veræ liberalitatis, qui non tantum affligitur calamitate proximi, quantum aliquot nummorum diſpendiis.

SENTENTIA.

NOn majoris eſt criminis habenti tollere, quàm, cum poſſis, & abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines: nudorum indumentum eſt, quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt, & abſolutio, pecunia, quam tu in terram defodis. *S. Ambr. Tom. 5. ſerm. 81.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MOnet Eccleſiaſticus c. 4. *Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum.* Ne gratuitum credas, ſi quid pauperi tribuis: debitum eſt in charitate fundatum. Hanc ſi non impendas indigenti, quam à DEO benevolentiam tibi polliceberis? ô

quàm pauci *Abrahamum* imitantur! viderat hic tres Angelos peregrinorum habitu ponè tabernaculum tranſeuntes: cùm non expectatis illorum petitionibus, prior eorum aliquem compellans: *Domine*, inquiit, *ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum.* Sic ſolent, qui ſub pauperum perſona *Chriſtum* colunt.

II. Eſſe beneficum in pauperes, character eſt beatorum. Hinc gentium Doctor: *induite vos ſicut electi DEI, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ.* Coloſſ. 3. Sancti igitur ſunt, qui non ſua tantùm liberaliter erogant, ſed etiam, cùm opus eſt, ſeipſos. Percurre ſanctorum vitas, non unum reperies, cui non curæ & cordi fuerit *Eleemoſyna* vel corporalis, vel ſpiritualis. Adeò verum eſt, quod miſericordibus etiam pro hac vita ſpondet Anſelmus: *miſericordiâ teſtabitur, vos DEI ſapientiâ præcognitos, à maſſa perdendorum ſeparatos, ad vitam æternam præordinatos.*

III. Manet igitur, potiſſimum miſericordiæ quæſtum eſſe, quod illâ cœlum comparemus. Et quâ demum largitate digna non ſit hæc retributio? dederit equum mendico *Aidanus*, quid jacturæ paſſus eſt? an non *ſuaviter* ſatis *equitat*, *quem gratia DEI portat?* obſequamur Auguſtino monenti: *da temporalia, accipe æterna: da terram, accipe cœlum.* in Pſal. 36.

FE-

FESTA SEPTEMBRIS.

I. SEPTEMBRIS.

S. Ægidius Confessor.

A *Thenas* patriam habuit: parentes, majorésque, regiâ dignitate insignes, quorum tamen hæreditario splendore mentis oculos sibi perstringi tam non est passus, ut humilitatis amantissimus, facultates amplissimas, quin & ipsam tunicam, quæ morbido pauperi medicam quóque se præstitit, miserorum indigentiis tributarias primùm vellet: tum verò in abstrusam eremum se conderet, ubi famelico cibum suppeditârunt herbarum radiculi; potum cùm frigida; tum lac, quod cervæ uberibus, quæ statis ad eum horis venerat, emulsum. Reddidit nutriculæ vicem, quando telum in hujus exitium evolans, suis ipse carnibus excepit, quod vulnus curari nunquam passus est, ut vivâ semper memoriâ recoleret & vulnera Servatoris, & fragilitatem suam. En! quàm bonorum fertilis sit *solitudo*.

SENTENTIA.

ADhibe tibi in urbe solitudinem, & remota paulisper ab hominibus, propiùs DEO jungere. *S. Hier. Epist. ad Demetriad.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAgnos exiguô tempore progressus fecit *Ægidius*, ubi relictis sæculi

Digitized by Google

quisquiliis ſolitariam elegit vitam. Felix religioſorum conditio! etſi enim *inſtitutum* eos nunc collocet *in obſcuris ſicut mortuos ſæculi*: olim tamen excelſo beatitudinis monti ſuperædificati, omnium proſtabunt oculis. Idem cum DEO pactum facere videntur, quod Auguſtinus, ita inquiens: *eja dulciſſime JESU! moriar mihi ipſi, ut tu ſolus in me vivas: ſilebo intrà me, ut tu loquaris in me: totus quieſcam, ut tu ſolus opereris in me.* ſerm. 112. de Temp.

II. Et quî demum religioſis *amore DEI* id facere difficile ſit, quod à plurimis aliis puri commodi causâ factitatum? an non enim plurimos ſolitariæ vitæ addixit vel ſcientiæ amor, vel grata à curis quies? ſanè, *recreationis* etiam vicem ſubit ejusmodi ſolitudo, quod aſſerit Æneas Silvius, poſteà Pius. II. P. M. *Eſt magnorum virorum recreatio, mentis ſeceſſus, cùm ſe aliquis retrahit in locum ſolitarium, ac vel meditatur, vel legit, vel ſcribit.* Epiſt. 166.

III. Indubium, plurima deſuper innotuiſſe ſolitudinis amanti *Ægidio*, quæ inter ſtrepitus populares oberrantem latuiſſent. *Otium* agunt *negotioſum*, qui à ſæculi turbis ſequeſtrati, intrà mentis receſſum uni DEO vacare ſatagunt. Fruſtra dices cum Pſalte regio: *audiam quid loquatur in me Dominus DEUS*, niſi cum eodemmet veraciter etiam dicas: *elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Quamdiu*, inquit S. Bernard. *in exterioribus occupatus fui, vocem tuam, Domine, intrà me audire non potui*, de inter. domo c. 66.

Digitized by Google

II. SEPTEMBRIS.

S. Juſtus Epiſcopus.

EX illuſtri *Comitum Andegavenſium* proſapia, infans adhuc, prodigiô grandi, vindicem egit maternæ innocentiæ, quam malitiosè fictô adulterii crimine fœdatam cupierant lividorum calumniæ. *Comitem* enim legitimum parentem ſalutans, & palam profitens, quàm peſtilenti hujus zelotypiæ; tam matris diſcrimini metam poſuit. *Lugdunenſium* Præſul conſecratus, id honoris prudenti conſiliô cum vitæ ſolitariæ quiete permutavit, partim intenſô DEO ſerviendi ſtudiô: partim ut pœnam ſibi dictaret, quòd nullâ quidem ſuâ culpâ, levi tamen incuriâ, reorum quispiam meritis affectus eſſet ſuppliciis, quem exiguis impenſis ſervare potuerat, ſi voluiſſet. Nihil DEO faciliùs, quàm ſontes vel infantium linguis confundere, iisdémque tueri innocentes.

SENTENTIA.

DEUS ſuppliciorum rotam, quam impii adverſus juſtos vertere vellent, ſuper ipſos tandem revertit, propriis eorum machinationibus & conſiliis in ipſorum capita reductis, ut ſuæmet necis artifices eſſe videatur. *Anton. Vlaeſquez in Epiſt. ad Philip.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VIx aliud vitium hominibus tam eſt cognatum, ut improba calumniandi libido. Serpit per omnes ſtatuum ſpecies, nec

ab

ab ipsis etiam asceteriis religiosis excludi prorsus se patitur. *Magdalena*, quamvis affectu purissimo famularetur Salvatori: tamen effugere non potuit præcocem calumniatoris cujusdam ex Apostolico Collegio censuram. Adeò *nulla est tam modesta felicitas, quæ malignitatis dentes vitare possit.* Valer. Max. l. 4.

II. Justam à vitiis vitam decurrit integerrima *Justi* parens: adultera tamen audiit, & indubiè talis fuisset habita, nisi filius recens natus disertè pro ejus innocentia perorâsset. Bestiis pejores sunt lividi, & detractores. Cicurantur illæ: non isti. Et, sanè, causà frequenter caderent innocentes, nisi *curatelam* acciperent ab illo, qui protegit eos, *qui ambulant in innocentia. Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum: Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus.*

III. Acuant ergo lividi *linguas suas sicut serpentis:* nutriant sub labiis maledicentiæ virus: dicet, cui par cum *Susanna* in DEUM fiducia: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Agat mundus more suo: sæviat nimirum in innocentes: meâ me conscientiâ solabor. Bonitatis testimonium est, malitiæ jaculis impeti. *Si mundus vos odit,* inquit Christus, *scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si patremfamilias,* protervè calumniando, *Beelzebub vocârunt:* si hujus filium, voracem, potatorem vini, seductorem, amicum publicanorum, &c. *quantò magis domesticos ejus?*

III. SEP-

Digitized by Google

III. SEPTEMBRIS.

S. Simeon Stylites Junior.

QUàm olim mira & insolita DEUS esset patraturus per hunc suum *Simeonem*, argumentum fuit minimè obscurum, quòd hic, puer adhuc, *Leopardum*, bestiam crudelem, cingulo innexum, agnelli ad instar, in monasterium perduxisset. Annis sexaginta & octo uni columnæ institit, omnibus interim aëris expositus injuriis. Sanctitas ejus tanta fuit, ut velut ad oraculum ex omnibus orbis partibus ad eum confluerent, qui vel laudatô sanctitatis studiô tenebantur, vel suarum rerum dubii, aut corporeis etiam malis pressi agebant. Non omnium est hisce austeritatibus se discruciare: omnium tamen est, à teneris assuescere virtuti, ut eidem assuevit *Stylites*.

SENTENTIA.

VIrtutes ad regnum Christi currunt, sed una sola accipit bravium; nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleemosynæ, obedientia, abstinentia, patientia: sed sola perseverantia coronatur. *S. Bonaventura in Ps. 67.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. A Puero virtuti se totum addixit *Simeon*, progressu primis cum propositis deinceps plenissimè conspirante. Spectârunt,

ctum eſt *diluvium univerſale*: itemque *ſulphureus imber*, quô *Pentapolis* conflagravit. *Erant* utrobique *comedentes & bibentes*: *nubentes & nuptui tradentes* Matth. 24. donec ira DEI deſcendit ſuper eos. Fatali ſtupiditate laborat poſteritas, ſi malis his non movetur.

II. Non aliud ita facit comparari hominem *jumentis inſipientibus*, uti geminum iſtud *luxuriæ*, & *gulæ* vitium. Sint enim hominis membra *templum Spiritûs ſancti*: ſit homo conditus *ad imaginem & ſimilitudinem* DEI: quô tamen jumentô vilior non fit? quô non porcorum ſtabulô ſordidior, ſi vel in libidinis cœno aurium tenus hæreat: vel immodicô cibi & potûs uſu, rationis diſpendium faciat? novit ſceleris utriusque mala regum ſapientiſſimus, ſic enuntians: *luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit ſapiens.*

III. Eſto igitur *voluptas neceſſitate* aliquando ſe palliet, ut animum incautum circumveniat: non tamen fidamus, non illiciamur. Cogitemus ad majora nos genitos, quàm ut ad viliſſimum ventris ſervitium deputati, cum brutis obbruteſcamus. Et verò ſaniora cogitabimus, ſi attendamus fertilem hanc *gaſtrimargiæ* ſementem, quam S. Auguſtinus prodit: *ebrietas eſt flagitiorum mater, turbatio capitis, ſubverſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, dedecus vitæ, boneſtatis infamia, animæ corruptela.* ſerm. ad ſacr. Virg.

XXX.

XXX. AUGUSTI.

S. Bononius Adoleſcens.

UT amplis in virtute paſſibus procederet *Bononius* effecit continua mortis memoria, quam, quoad vixit, altiſſimè menti impreſſam habuit, ut nulla re minùs affligeretur, quàm diſparatis hominum judiciis, ſemper illud D. Pauli ore & animô verſare ſolitus: *ſi hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Variis eum DEUS in vita & poſt mortem nobilitavit miraculis, quæ inter facilè princeps fuit, quô famoſo peccatori, ad illius tumulum oranti, mutationem vitæ eximiam, & internam animi quietem ſuâ interceſſione obtinuit. Mortem ſæpe cogita, & nullum mortis ſecundæ, quæ eſt *mors peccatorum peſſima*, periculum te ſollicitum reddet.

SENTENTIA.

UNdecúnque voluerit DEUS ut exeas hinc, paratum te inveniat. Inquilinus enim es, non poſſeſſor domûs. Locata eſt enim tibi domus. Domus iſta locata eſt, non donata; etſi nolis, migrabis. *S. Auguſt. in Pſ. 148.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MOrte felici defungitur, quisquis cum Apoſtolo veraciter dicit: *quotidie morior.* Sanè, mortis memoria tam præſens eſt pro peccatis *antidotum*, ut quisquis illâ non retrahitur, pro deplorato haberi meritò poſſit. *Vigilate*, monet æterna veritas, *quia*

neſcitis diem, neque horam: quâ ſententiâ innuitur, certò moriendum nobis eſſe, & moriendum non rarò eô tempore, quô minimè putatur. *Incertum eſt*, inquit Seneca, *quô locô te mors exſpectet: tu ergo illam in omni loco exſpecta.*

II. Sæpe periculoſam longioris vitæ præſumptionem facit ætas florida, & exiſtimatus virium vigor. Ex multis hominum millionibus, qui pari perierunt incuriâ, ſi mortis occaſionem quæras, reſponſum à ſingulis capies: *præciſa eſt velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me.* Iſa. 38. adeò verum eſt, quod argutè nonnemo aſſeruit: *mors ſenibus in januis eſt: juvenibus in inſidiis.*

III. Certùm interim, acerbam cæterà mortis memoriam multùm dulcorari ſpe præmii, quod ſecurè ſibi pollicetur vita, ad honeſtatis leges compoſita. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.* Effati hujus veritatem confirmabit *Bononius* adoleſcens. Vixit ut Angelus, devotè, inculpabiliter: mortuus eſt, ut ſancti ſolent, ſuaviter, confidenter. Morti ergo bonæ per vitam bonam præluditur: nec multùm fatalis illius termini memoriâ triſtantur, qui adhucdum vegeti, ſtudiosè in horas ſingulas ſibi occinunt illud Senecæ monitum: *hoc tibi citrà mortis diem præſta: moriantur ante te vitia.* Epiſt. 27. ad Lucilium.

XXXI. AUGUSTI.

S. Aidanus Epiſcopus.

QUàm alte animo imbibiſſet monitum, quod juniori Tobiæ ſenior parens dederat; *ex ſubſtan-*

ſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: Tobiæ 4. tum prodidit *Aidanus*, quando equum verè regium, quem modò ab *Oſwino* rege dono acceperat, pauperi ſtipem petenti, quòd aliud ad manum non haberet, cum omni ornatu proprium fecit & voluit. Quâ inſigni liberalitate id deinceps promeritus eſt, ut & prophetiæ donô inclareſceret, & poſt vitam ſanctiſſimè peractam, gloriosâ morte defungeretur. Vidit enim demortui animam *Cutbertus*, indicibili ſplendore, velut nobiliſſimâ veſte amictam, à miniſtris cœleſtibus geniis ad cœlos deportari. Parùm habet veræ liberalitatis, qui non tantum affligitur calamitate proximi, quantum aliquot nummorum diſpendiis.

SENTENTIA.

NOn majoris eſt criminis habenti tollere, quàm, cum poſſis, & abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines: nudorum indumentum eſt, quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt, & abſolutio, pecunia, quam tu in terram defodis. *S. Ambr. Tom. 5. ſerm. 81.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MOnet Eccleſiaſticus c. 4. *Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum.* Ne gratuitum credas, ſi quid pauperi tribuis: debitum eſt in charitate fundatum. Hanc ſi non impendas indigenti, quam à DEO benevolentiam tibi polliceberis? ô

quàm pauci *Abrahamum* imitantur! viderat hic tres Angelos peregrinorum habitu ponè tabernaculum tranſeuntes: cùm non expectatis illorum petitionibus, prior eorum aliquem compellans: *Domine*, inquiit, *ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum.* Sic ſolent, qui ſub pauperum perſona *Chriſtum* colunt.

II. Eſſe beneficum in pauperes, character eſt beatorum. Hinc gentium Doctor: *induite vos ſicut electi DEI, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ.* Coloſſ. 3. Sancti igitur ſunt, qui non ſua tantùm liberaliter erogant, ſed etiam, cùm opus eſt, ſeipſos. Percurre ſanctorum vitas, non unum reperies, cui non curæ & cordi fuerit *Eleemoſyna* vel corporalis, vel ſpiritualis. Adeò verum eſt, quod miſericordibus etiam pro hac vita ſpondet Anſelmus: *miſericordiâ teſtabitur, vos DEI ſapientiâ præcognitos, à maſſa perdendorum ſeparatos, ad vitam æternam præordinatos.*

III. Manet igitur, potiſſimum miſericordiæ quæſtum eſſe, quod illâ cœlum comparemus. Et quâ demum largitate digna non ſit hæc retributio? dederit equum mendico *Aidanus*, quid jacturæ paſſus eſt? an non *ſuaviter* ſatis *equitat*, *quem gratia DEI portat?* obſequamur Auguſtino monenti: *da temporalia, accipe æterna: da terram, accipe cœlum.* in Pſal. 36.

FE-

FESTA SEPTEMBRIS.

I. SEPTEMBRIS.

S. Ægidius Confessor.

A *Thenas* patriam habuit: parentes, majorésque, regiâ dignitate insignes, quorum tamen hæreditario splendore mentis oculos sibi perstringi tam non est passus, ut humilitatis amantissimus, facultates amplissimas, quin & ipsam tunicam, quæ morbido pauperi medicam quóque se præstitit, miserorum indigentiis tributarias primùm vellet: tum verò in abstrusam eremum se conderet, ubi famelico cibum suppeditârunt herbarum radiculi; potum cùm frigida; tum lac, quod cervæ uberibus, quæ statis ad eum horis venerat, emulsum. Reddidit nutriculæ vicem, quando telum in hujus exitium evolans, suis ipse carnibus excepit, quod vulnus curari nunquam passus est, ut vivâ semper memoriâ recoleret & vulnera Servatoris, & fragilitatem suam. En! quàm bonorum fertilis sit *solitudo*.

SENTENTIA.

ADhibe tibi in urbe solitudinem, & remota paulisper ab hominibus, propiùs DEO jungere. *S. Hier. Epist. ad Demetriad.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAgnos exiguô tempore progressus fecit *Ægidius*, ubi relictis sæculi

quisquiliis ſolitariam elegit vitam. Felix religioſorum conditio! etſi enim *inſtitutum* eos nunc collocet *in obſcuris ſicut mortuos ſæculi:* olim tamen excelſo beatitudinis monti ſuperædificati, omnium proſtabunt oculis. Idem cum DEO pactum facere videntur, quod Auguſtinus, ita inquiens: *eja dulciſſime JESU! moriar mihi ipſi, ut tu ſolus in me vivas: ſilebo intrà me, ut tu loquaris in me: totus quieſcam, ut tu ſolus opereris in me.* ſerm. 112. de Temp.

II. Et quî demum religioſis *amore DEI* id facere difficile ſit, quod à plurimis aliis puri commodi causâ factitatum? an non enim plurimos ſolitariæ vitæ addixit vel ſcientiæ amor, vel grata à curis quies? ſanè, *recreationis* etiam vicem ſubit ejusmodi ſolitudo, quod aſſerit Æneas Silvius, poſteà Pius. II. P. M. *Eſt magnorum virorum recreatio, mentis ſeceſſus, cùm ſe aliquis retrahit in locum ſolitarium, ac vel meditatur, vel legit, vel ſcribit.* Epiſt. 166.

III. Indubium, plurima deſuper innotuiſſe ſolitudinis amanti *Ægidio*, quæ inter ſtrepitus populares oberrantem latuiſſent. *Otium* agunt *negotioſum*, qui à ſæculi turbis ſequeſtrati, intrà mentis receſſum uni DEO vacare ſatagunt. Fruſtra dices cum Pſalte regio: *audiam quid loquatur in me Dominus DEUS*, niſi cum eodemmet veraciter etiam dicas: *elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Quamdiu*, inquit S. Bernard. *in exterioribus occupatus fui, vocem tuam, Domine, intrà me audire non potui*, de inter. domo c. 66.

Digitized by Google

II. SEPTEMBRIS.

S. Juſtus Epiſcopus.

EX illuſtri *Comitum Andegavenſium* proſapia, infans adhuc, prodigiô grandi, vindicem egit maternæ innocentiæ, quam malitiosè fictô adulterii crimine fœdatam cupierant lividorum calumniæ. *Comitem* enim legitimum parentem ſalutans, & palam profitens, quàm peſtilenti hujus zelotypiæ; tam matris diſcrimini metam poſuit. *Lugdunenſium* Præſul conſecratus, id honoris prudenti conſiliô cum vitæ ſolitariæ quiete permutavit, partim intenſô DEO ſerviendi ſtudiô: partim ut pœnam ſibi dictaret, quòd nullâ quidem ſuâ culpâ, levi tamen incuriâ, reorum quispiam meritis affectus eſſet ſuppliciis, quem exiguis impenſis ſervare potuerat, ſi voluiſſet. Nihil DEO faciliùs, quàm fontes vel infantium linguis confundere, iisdémque tueri innocentes.

SENTENTIA.

DEUS ſuppliciorum rotam, quam impii adverſus juſtos vertere vellent, ſuper ipſos tandem revertit, propriis eorum machinationibus & conſiliis in ipſorum capita reductis, ut ſuæmet necis artifices eſſe videatur. *Anton. Vlaeſquez in Epiſt. ad Philip.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VIx aliud vitium hominibus tam eſt cognatum, ut improba calumniandi libido. Serpit per omnes ſtatuum ſpecies, nec

ab

ab ipsis etiam asceteriis religiosis excludi prorsus se patitur. *Magdalena*, quamvis affectu purissim) famularetur Salvatori: tamen effugere non potuit præcocem calumniatoris cujusdam ex Apostolico Collegio censuram. Adeò *nulla est tam modesta felicitas, quæ malignitatis dentes vitare possit.* Valer. Max. l. 4.

II. Justam à vitiis vitam decurrit integerrima *Justi* parens: adultera tamen audiit, & indubiè talis fuisset habita, nisi filius recens natus disertè pro ejus innocentia perorâsset. Bestiis pejores sunt lividi, & detractores. Cicurantur illæ: non isti. Et, sanè, causà frequenter caderent innocentes, nisi *curatelam* acciperent ab illo, qui protegit eos, *qui ambulant in innocentia. Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum: Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus.*

III. Acuant ergo lividi *linguas suas sicut serpentis:* nutriant sub labiis maledicentiæ virus: dicet, cui par cum *Susanna* in DEUM fiducia: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Agat mundus more suo: sæviat nimirum in innocentes: meâ me conscientiâ solabor. Bonitatis testimonium est, malitiæ jaculis impeti. *Si mundus vos odit,* inquit Christus, *scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si patremfamilias,* protervè calumniando, *Beelzebub vocârunt:* si hujus filium, voracem, potatorem vini, seductorem, amicum publicanorum, &c. *quantò magis domesticos ejus?*

Digitized by Google

III. SEPTEMBRIS.

S. Simeon Stylites Junior.

QUàm olim mira & inſolita DEUS eſſet patraturus per hunc ſuum *Simeonem*, argumentum fuit minimè obſcurum, quòd hic, puer adhuc, *Leopardum*, beſtiam crudelem, cingulo innexum, agnelli ad inſtar, in monaſterium perduxiſſet. Annis ſexaginta & octo uni columnæ inſtitit, omnibus interim aëris expoſitus injuriis. Sanctitas ejus tanta fuit, ut velut ad oraculum ex omnibus orbis partibus ad eum confluerent, qui vel laudatô ſanctitatis ſtudiô tenebantur, vel ſuarum rerum dubii, aut corporeis etiam malis preſſi agebant. Non omnium eſt hiſce auſteritatibus ſe diſcruciare: omnium tamen eſt, à teneris aſſueſcere virtuti, ut eidem aſſuevit *Stylites*.

SENTENTIA.

VIrtutes ad regnum Chriſti currunt, ſed una ſola accipit bravium; nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleemoſynæ, obedientia, abſtinentia, patientia: ſed ſola perſeverantia coronatur. *S. Bonaventura in Pſ. 67.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. A Puero virtuti ſe totum addixit *Simeon*, progreſſu primis cum propoſitis deinceps pleniſſimè conſpirante. Spectârunt,

runt, quotquot eum convenerunt, *virum in columna, columnam in viro.* Verè, *volendo* ſancti evadimus, uti ſorori ſuæ dixiſſe fertur Angelicus. Opus tamen eſt, ut non identidem *voluiſſe* pœniteat, quod tum nobis accidit, cùm per frequentes relapſus illas relegimus vias, quas æternum a tergo relicturi videbamur.

II. Plurimùm aſſimilantur, qui hôc inconſtantiæ vitiô laborant, ſtatuæ *Nabuchodonoſoris*, uti advertit memoratus Angelicus. Exordiuntur ab *aureo capite*, dum primò charitate toti flagrant: ſucceſſu temporis *pectus* à primo fervore remittens, *argenteum* eſt: ſequitur *ferrum*, dum paſſionibus indomitis locus datur: tota denique ſtructura in *lutum* deſinit, ubi à frequentatis exceſſibus contractô jam habitu vitioſô, peccare ſic non pudet, ut etiam delectet. An non in tales propriiſſimè cadit illud Jeremiæ: *Filii Sion incliti & amicti aurô primô, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea!* Thren. 4.

III. Res ergo nullius pretii eſt: imò damni maximi, cœpiſſe aliquando virtutum ſublimia ſcandere, & in ipſo labore defeciſſe. *Væ illis, qui perdiderunt ſuſtinentiam.* Eccleſ. 2. Hunc in locum ſic commentatur Gregorius M. *Suſtinentiam perdunt, qui bona inchoant, ſed non conſummant, quibus væ eſſe dicitur, quia non ſolùm incepti laboris mercedem perdunt, ſed & apoſtatatûs ſui pœnâ feriuntur.* Malum iſtud ne patiamur, DEUM rogemus: *perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea.* Pſal. 16.

IV.

IV. SEPTEMBRIS.

S. Rosalia Virgo.

P*Anormi* parentibus licet nata principibus, suòsque inter majores quàm *Carolum magnum* Imperatorem, tam *Rogerium* Siciliæ Regem, aliósque potentissimos Principes numerans, his tamen omnibus *Christum* præhabuit, quando hujus amore clam patriis è laribus auffugiens, solitudinem horridam incolere cœpit, tanto cum virtutum incremento, ut Angelo quàm homini similior viveret. Cibus ei non alius, quàm ponè speluncam succrescentes herbulæ: frigida potus: mortificationes per cilicia & disciplinas assiduæ: recreatio una, defigere obtutus in iconem servatoris è Cruce penduli. Thessera familiaris: *Amore Domini mei.* Morituræ Christus adfuit, Virgineâ Parente, Apostolorum Principibus, & densô geniorum cœlestium globô comitibus. Sacræ illius exuviæ crystallô pellucidâ, incertum Angelorum an naturæ operâ, conditæ, *Rosaliam* referebant non mortuam, sed suaviter dormientem. Nimirum non decuit has virtutum rosas, candidissimis munditiei nivibus variegatas, putore tabescere.

SENTENTIA.

SIcut oculis istis carnalibus omnia corporis membra ordinatè ad operationem diriguntur; ita intentione mentis, & luce fidei, cuncta virtutum genera, ut lucidum cor-

corpus perficiant, illuſtrantur. *B. Paſchas. in c. 6. Matth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. A *More Domini mei.* Sic ad res ſingulas perfectiùs agendas animavit ſeſe *Roſalia* noſtra. Hæc intentio ſcopum fixit invicto robori, quô patriam, parentes, opes ampliſſimas, imò mundum omnem deſeruit. Labant ſæpeſæpiùs res noſtræ, aut certè in utramque partem periculosè nutant, quòd firmô puræ intentionis pede deſtituantur. Agimus multa: pauca tamen bene, quia temerè: ut meritò ex nobis quærat Poëta: *eſt aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?* Perſius.

II. Longiùs aberrant à fine ultimo, qui ad illuſtria facta ducuntur, non *amore Domini ſui*, ſed *proprió*: ambitione vanæ gloriolæ. Deſtruit *hypocriſis* iſta, quidquid boni paratur: & merita, quæ dediſſet intentio bona, ſuffocat in ſemine. Non ſic agi ſecum paſſa eſt *Roſalia.* Neſciri voluit, ne neſciret finem ſuum ultimum. *Amore Domini ſui*, non putidæ laudis quæſtu, *manum ſuam miſit ad fortia. Ut voluntas ſit bona, requiritur quòd velit bonum, & propter bonum.* S. Thom. 1. 2. q. 19. a. 7.

III. *Amore Domini ſui Roſalia* puritatem intaminatiſſimam licitis conjugii voluptatibus præhabuit. Sequere præeuntis conſtantiam, ſi caſtitatis votô obſtringeris. Sin; caſtitatem ſtatui tuo congruam ſollicitè ſerva: certus, tantò propiùs Angelis te acceſſurum, quantò à ſordibus fœtidæ volup-

voluptatis fueris remotior. Veritas ista ne gentiles quidem latuit: quos inter honesti amantior Plato asseruit: *si sine uxoribus mundus esse posset, vita nostra futura esset, qualis est Deorum cœlestium.* Quintil. l. 1. c. 10.

V. SEPTEMBRIS.

S. Victorinus Episcopus, & M.

PArùm initiò convenit *Victorino* cum nomine, quod gessit. Intrà rupis angustias, vastissimæ cujusdam eremi compactus, vitam sibi videbatur vivere periculi omnis expertem, cùm vaferrimus dæmon errantis mulierculæ personam indutus, postque multas obtestationes intrà specum Eremitæ receptus, effecit, ut turpissimô libidinis existimatæ probrô corrueret vir, quô nemo fortior credi poterat. Risit Veterator deceptum pugilem, & posticá sannâ tenuem ejus sanctitatem amarùm exsibilavit, in tantum, ut miser eremicola vix passum distaret à desperatione, cui tamen ne se dederet, cavit *Severinus*, frater germanus, *Victorini* animô in spem meliorum erectô. Hic verò pœnam sibi dictavit talem, ut hisâ per medium arbore, tum manibus fissuræ insertis, & demum arboris cicatrice cuneis clausâ, totô in tali statu trienniô perstaret, pane modicô, & frigidâ non nisi diebus dominicis à fratre refici solitus. Meruit hæc tam non vulgaris pœnitentia, ut urbis *Aminterninæ* primùm Episcopus; tum glorioſus Christi Martyr sub Imperatore *Nervâ* evaderet *Victorinus*. *Errare humanum: in erratis perstare diabolicum.*

SENTENTIA.

Non eſt deſperandum de malis, ſed pro ipſis, ut boni fiant, ſtudioſiùs ſupplicandum: quia numerus ſanctorum ſemper de numero auctus eſt impiorum. *S. Aug. Lib. de vera innocentia c. 184.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VErè, *nullus locus tam ſanctus, quem non aliquando diabolus tentator penetret*: nullus tam juſtus, quem non variè in caſum propellere adlaboret. Quis ſanctior unigenitô DEI? & tamen hic etiam in deſerto tentatus eſt à diabolo. Vanè igitur præſumit de reportatis ab hoſte victoriis, qui hunc novit bella identidem redintegrare, & eos non rarò ſternere, quos vulgus ſuſpexerat tanquam *cedros libani, & duces gregum.* Et fit iſtud ſæpiùs, pœnâ culpæ proportionatâ. *Præſumptioni debetur correctio.* S. Bern. ſerm. 45. in Cant.

II. Conſuevit idem veterator ſtygius peccatum commiſſum ſic exaggerare, ut non rarò peccator omnem veniæ conſequendæ ſpem abjiciat: quô tamen unô peccato magis læditur DEI bonitas, quàm reliquis omnibus. An non enim mendacii DEUM arguit deſperabundus, dum tot & tam amoroſis proteſtationibus fidem tam habet nullam? O quàm ageret prudentiùs hôc diffidentiæ vitiô laborans, ſi monitum ſequeretur Chryſoſtomi: *tametſi quotidie pecces, quotidie pœnitentiam age.* Hom. 3. de Pœn.

III.

Digitized by Google

III. *Victorinus* pœnitendo tantum gaudii cauſavit angelis, quantum plausûs dæmoni peccando cauſaverat. *Bonus eſt Dominus* non tantùm juſtis ſperantibus in eum, ſed etiam exerranti *animæ* per pœnitentiam *quærenti illum.* Quanta ſit pœnitentiæ vis, dicet S. Laurentius Juſtin. *O lacryma humilis! tua eſt potentia, tuum regnum: tu tribunal judicis non vereris: inimicorum tuorum accuſationibus ſilentium imponis: non eſt, qui ad DEUM accedere te vetet.* de ligno vitæ. c. 9.

VI. SEPTEMBRIS.

S. Eleutherius.

MEruit ſuâ ſimplicitate, & candore cordis, miraculorum gratiam tam amplam, ut & mortuos ſuſcitaret, & dæmoniacos à peſſimo ſuo inquilino liberos redderet. Commendatus illi fuerat aliquando à virginibus ſanctimonialibus, quarum hoſpitiô utebatur, puerulus, ab infeſto dæmone poſſeſſus, qui nequam hoſtis, etſi aliàs ſingulis noctibus puerum acerbè divexaret, quamdiu tamen ſub viri ſancti cuſtodia tenebatur, à malo ſuo domeſtico penitus liber videri poterat. Quod cum deprædicandæ DEI gloriæ argumentum eſſe debuerat pio ſeni, vanæ è contra complacentiæ fuit occaſio, ſic, ut fratribus etiam diceret Aſceta: *videte, quàm diabolus luſerit ſorores illas! ubi enim puer ad ſervos DEI devenit, nec minimum amplius poteſtatis & juris in illum habet.* Excepit levem hanc arrogantiam paratum continuò ſupplicium, iterata pueri tortura. Cui tamen mederi

denuo potuit pertinax *Eleutherii* & fratrum oratio, rigidis etiam jejuniis juncta. *Qui gloriatur in Domino glorietur.*

SENTENTIA.

NOli te putare quidquam feciſſe, cùm aliquid feceris; & pleniſſimè cuncta feciſti. *S. Chryſoſt. ſuper Matth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UTne Paulum extolleret *magnitudo revelationum*, datus illi eſt *ſtimulus carnis.* Ut *Eleutherius* de meritis propriis humiliùs ſentiret, effecit iteratò ſæviens in obſeſſo puero dæmon, quem ejectum ille jam crediderat. Stolidè gloriatur, quisquis de acceptis deſuper gratiis ſic intumeſcit, tanquam eas non acceperit. Aliter longè Chriſtus egit, qui ex miraculis plauſum adeò non quæſivit, ut illa non modò vulgari noller, verùm & dæmonibus in ſimili cauſa *ſilentium* imperaret.

II. Superbire de nobilitate parentum & progenitorum, æque ſtultum eſt. Superbiunt enim ejusmodi de bono alieno, quod, fateri velint, nolint, è vili derivatur origine. *Quemcunque volueris revolvere nobilem, ad humilitatem pervenies.* Seneca. Stolones item ſunt, qui ſuperbiunt de donis quibuslibet deſuper acceptis. Ex peccati malo, quô initio fœdamur, miſeri omnes naſcimur. Si quid melius in tempore ſuperaddatur, donum id eſt liberaliſſimi DEI, quô ad gratitudinem

Digitized by Google

nem extimulari nos vult, non ad vanam jactantiam.

III. Optimè DEI donis utuntur, qui, quod illorum ope faciunt, in Auctorem DEUM refundunt. Nec istud difficile est illis, qui nôrunt, quid ex DEO sint, quid ex seipsis. Multùm, imò totum, quod ad salutem requiritur, præstat salubris hæc *sui cognitio*. Hæc paulum permovit, ut nomine omnium fateretur ingenuè: *in ipso vivimus, movemur, & sumus*. Actor. 17. suggessit item Prophetæ verissimam illam confessionem: *omnia opera nostra in nobis operatus es Domine!*

VII. SEPTEMBRIS.

S. Stephanus Episcopus Diensis.

EX Chartusianorum Ordine ad *Diensem* Insulam summi pontificis auctoritate coactus, in primis habuit, subditum sibi populum vivô virtutis exemplô ad omne boni studium incitare. Pessima diœcesanos inter à multo tempore consuetudo viguerat, diem dominicum luxu, compotationibus, choreis, & immodicis præcipuè lusibus deterendi. Suasit continuò meliora *Stephanus*: sed *inveteratis malorum* difficulter persuasit. Altiore igitur imperiô lurconum malitiam correcturus, ipsos ex orco dæmones talium scelerum incentores adesse jussit formâ spectabili, ac talionis pœnâ ipsum, quem deceperant, populum à vitiis absterrere. Paruerunt illi, & nigerrimi, cornuti, fœtorem, flammas, fumúmque per nares & oculos spirantes, clarô die clientibus suis adstiterunt, tanto

cum istorum horrore, ut propediem omnem ejurantes petulantiam, totos viro Dei sanandos sese committerent. Vide, quos mali patiantur genios, scelerum suorum spectatores!

SENTENTIA.

MEliùs faceret quilibet homo, si aliquid in agro suo utile laboraret, quàm in theatro otiosus existeret: & meliùs fœminæ festô die Sabbathi lanam facerent, quàm in festis ipsis impudicè saltarent. *S. Aug. l. de 10. chordis.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UTi potissimas Dei ordinationes corrupit hominum improbitas: ita & eam, quæ est de *Sabbathi* religione. An non enim modò *Festa* supplent, quidquid scelerum intrà septimanam neglectum est? an non *in feriis* capitalibus (uti per inductionem nullô quivis deprehendet) vitiis locus maximè fit? & hoc sit colere Sabbathum? *væ mundo à scandalis! quoniam plura & majora faciunt peccata homines in festis, quàm in diebus aliis.* Pelbart. in Dom. 16. post Pentec.

II. Plurima Deus *Sabbathis* & *Festis* beneficia pollicitus est, sub obligatione cultûs debiti, & cessationis ab operibus servilibus. *Finis* ergo Festorum Dei gloria: *media*, cultus ejusdem, & adoratio: bonorum item opertum exercitium: *fructus*, gratiæ supernaturales, & benedictio multiplex. Veritas ista quàm ethnicis etiam fuerit nota,

ta, discimus ex Livio: *omnia*, inquit, *prospera eveniunt colentibus Deum: adversa spernentibus.* L. 5. Turpe est, ignorari ista, vel dissimulari à tepidis Christianis.

III. Vilescerent lusuum oblectationes: nauscarent cibi ac potûs intemperantiæ, si, ut *Diensibus* accidit, dæmones, sordium istarum auctores, coram se sisterent. Verùm miraculis non opus, dum aliunde certum, improbis spiritibus nihil tam esse gratum, ac ejusmodi irreverentias: inde potissimùm, quòd non possit non esse verissimum SS. PP. hac de re judicium, quos inter S. Chrysostomus *saltationes* vocat *diaboli barathrum*: *gulam* S. Gregorius, *luxuriæ & loquacitatis matrem*: S. Bernardus, *excæcationem intellectûs.* Quis neget, esse ista à dæmonibus?

VIII. SEPTEMBRIS.

Nativitas B. V. MARIÆ.

NAta hodie est Virgo, de qua paucis post annis nasciturus erat *JESUS, qui vocatur Christus*: progessa est *quasi aurora consurgens*, optimam mundo spem adferens, secuturi, post densas quater mille annorum tenebras, *solis justitiæ.* Florere cœpit *quasi rosa in diebus vernis*, olim partu suo Virgineo spinas eradicatura, quibus originale peccatum, & aliæ scelerum colluvies miserum incinxerant hominem: ut mirum non sit, *nativitatem hanc gaudium atulisse universo mundo.* Ah! ut mihi liceat tuis supplicem advolvi cunis *Infans Augusta*, proles regia! licebit per tuam

pietatem; nec enim, etiam tenella! quemquam despicis: congenita tibi sunt misericordiæ viscera, quæ paritura es eum, *cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus.* Crelce parvula DEO chara! *specie tuâ* quam olim concupiscet superûm Rex, *& pulchritudine tuâ*, quam sol & luna mirantur, *intende, prosperè procede, & regna.*

SENTENTIA.

GAudeamus, dilectissimi, & exultemus in nativitate sanctissimæ DEI Genitricis *MARIÆ*: quæ novum mundo nunciavit gaudium, & totius existit humanæ salutis exordium. *S. Petrus Damiani serm. in natalem virg.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ATram orbi noctem induxit peccati fœditas, hicque videbatur in antiquum chaos recasurus. Et recidisset, nisi DEI bonitas *MARIAM* ab æterno prælegisset in ejus parentem, qui in tempore futurus erat *Lux mundi.* O quàm obstringimur DEO, quòd *auroram* oriri h die fecerit. Fuge, anime mi! peccatum, utne diffugiant à te *gratiæ* radii. *Erat nubes magna & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ, ita ut videre non possem solem justitiæ, & lumen veritatis.* S. August.

II. Solent magnatum natales solemnibus celebrari gaudiis. Cur non idem fiat in natali Virginis,

nis, quæ est *Filia DEI Patris*, *Mater DEI Filii*, *Sponsa Spiritûs sancti*? suadet hoc gaudium Ecclesia: *cum jucunditate*, inquiens, *nativitatem B. MARIÆ V. celebremus.* Suadet id ipsa rei dignitas: dignum enim & justum est lætari de bono communi, & bono tanto. *Cum summa exultatione gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata Natali.* S. Augustt.

III. Utinam quoties animô volvimus memoriam Virginis tam amabilis, idem nobis accidat, quod Bernardo: *testis*, inquit, *conscientiæ meæ est Dominus, quòd siquando Dominô gratiæ largiente, exterioribus curis exemptus, laudibus Virginis, & ejus nomini valeo per horam immorari: tantâ mentis lætitiâ saucior, tantâque interiùs suavitate perfundor, ut cunctis vanitatibus & deliciis conculcatis, nil aliud petam, quàm cum ipso lætitiæ spiritu, si daretur, statim exilire ad Dominum.* serm. 3. de Nom. Virg. An non sanctè & castè amat, quotusquisque sic amat?

IX. SEPTEMBRIS.

S Audomarus Episc.

PRimùm cum *Friulpho* parente piissimo in Luxovienſi Monasterio Cœnobitam egit omnibus numeris absolutum. Tum ad Tarvanensem Cathedram assumptus, divini verbi semina tanto cum fructu sparsit, ut plebs illa, ejuratô dæmonum cultu, salutaria Christi dogmata totis imbiberet animis. Vir devexâ jam ætate utrôque oculorum lumine orbatus est, utique, ut clariùs perspice-

ret luminis interni radios, quibus cor ejus DEI bonitas colluſtrabat. Et verò ad ſepulchrum *S. Vedaſti* poterat gaudere viſu, ſancti iſtius precibus iterum receptô, niſi cœcitatem reddi ſibi maluiſſet, quòd metueret, ne tantâ ætate ſuis tamen adhuc oculis abuteretur. Nulla continendo intra decori fines huic ſenſui cautela eſt nimia.

SENTENTIA.

AD cuſtodiendam cordis munditiem, exteriorum ſenſuum mundities ſervanda: & mors per feneſtram aſcendit, & domum ingreditur, cùm concupiſcentia per ſenſus corporis habitaculum mentis invadit. S. *Gregor. in c. 31. Job.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. OPtima fuit DEI, *Auctoris naturæ* intentio, quando præſtantiſſimô ſenſu visûs donavit hominem. Oculos enim ſtatuit in capite, velut in ſpecula, ut alia diſcernentes ab aliis, quæ bona ſunt, caperent, quæ noxia, rejicerent. Verùm nequam animus per oculos, veluti foras egreſſus, nimis quàm ſæpe illorum miniſteriô ab increata pulchritudine deflectit ad periculoſam creaturarum pulchritudinem: ſicque in iſto, ut & in aliis paſſim, DEI ordinationem pervertit, eo cum damno, ut homo conqueri cogatur: *oculus meus deprædatus eſt animam meam.*

II. Facit hæc oculorum petulantia viſum mentis non caligare tantùm, ſed excœcari penitùs, dum

vel

Digitized by Google

vel obiter ſolùm, vel nullô modô reflectitur in increatam pulchritudinem, quâ unâ paſcuntur amantes animæ: quæque tantum ſuperat pulchritudinem creatam, ut hæc illius reſpectu lutum meriſſimum ſit. Novit hoc Auguſtinus, indéque quàm reſiſtendum ſit concupiſcentiæ oculorum, ſuô docet exemplô: *reſiſto ſeductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam: & erigo ad te inviſibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos.* L. 10. Confeſſ. c. 34.

III. Eſto etiam pulchra ſint, quæ in creatis miramur: cur pulchritudine hâc ad laudem conditoris non adducimur potiùs, quàm ad offenſam? oculo ſimplici, ut diligentibus DEUM, omnis pulchritudo cooperatur in bonum. Interim tutiùs eſt, nolle videre, quæ vidiſſe noceat. *Maximè parcendum eſt oculis, quoniam meliùs eſt labi pedibus, quàm oculis.* Clem. Alexandrin.

X. SEPTEMBRIS.

S. Nicolaus Tolentinus Conf. Ord. Eremit. S. Auguſt.

MAgni Myrenſium Antiſtitis æmulus, à pueritia tribus quâlibet hebdomade diebus rigidè jejunavit. Sæcularis primùm Canonicus, tum verò Auguſtinianorum inſtitutum amplexus, ea juvenis inſtanter egit, quæ (ut vitæ ſcriptor aſſerit) ægrè admodùm veterani milites aſſequi poterant. Animabus in purgatorio mirè addictus, multum illarum numerum incruentis Miſſæ ſacrificiis è flammis piacularibus in libertatem gloriæ filiorum DEI aſſeruit.

asseruit. Sex ante obitum suum mensibus quâlibet nocte dulcissimis Angelorum concentibus recreatus, vultu demum hilaris, ac insolitam spirans lætitiam, ad æternitatem abiturus, unigenitum Dei Filium, divam Virginem, & magnum Augustinum habuit obvios. Tutò proficiscitur, qui hos habet viæ comites.

SENTENTIA.

MAximum esse credimus animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius ac tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. *S. Cyrillus Jerosolymit. Cateches. 5.*

REFLEXIO.

Punct. I. MOnet Ecclesiasticus c. 7. v. 37. *Mortuo non prohibeas gratiam.* Dictum hoc sibi credidit *Nicolaus*: & gratiam mortuis præstiturus, per integras frequenter hebdomades incruentas ad aras hostias Deo obtulit. Credis *purgatorium*, & in illo animas prope innumeras: nec tamen opitulatricem eis fers manum? verùm & tu, & tui similes *clamabitis aliquando præ dolore cordis, & præ contritione spiritûs ululabitis.* Isa. 65. nec tamen continuò exaudiemini.

II. Parùm conspirant cum Ecclesia Matre, quibus tam nulla est erga defunctos affectio. Consuevit Ecclesia singulis in Missis defunctorum meminisse: cur idem facere pigeat Ecclesiæ filios, vel sacrificiis, si Mystæ sint: vel si non sint, operibus bo-

bonis & eleemosynis: præsertim, cùm etiam *calix aquæ frigidæ* datus pro animarum solatio, non parùm illis refrigerii adferat.

III. Triumpho, quàm morti similior fuit *Nicolai* obitus. Idem tibi continget, si fidelium animas tibi feceris amicas. *Multùm illæ possunt in* DEI admissæ conspectum. Multùm facient, si multùm charitatis iisdem impenderis. Gratæ sunt & beneficiorum memores, præter hominum morem, apud quos, ut acutè nonnemo asseruit, *omnis gratia plumâ levior est: si quid verò offenderis, plumbeas iras gerunt.* Fac quantùm potes, educendis è loco tormentorum animabus. *Sacrificium Missæ* cùmprimis vel offer ipse, vel offerri facito: minimè dubius de mercede bona. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Lucæ 6.

XI. SEPTEMBRIS.

B. Daniel Canonicus Ord. Præmonstratens.

GRimberga Brabantiæ Cœnobium, Diœcesis Mechlinienſis, felicitabatur olim virô isthôc religiosissimô, cujus præter reliquam vitæ sanctimoniam tanta fuit corporis & animi puritas, tantus in religiosis exercitiis fervor, tanta in offerendo indies immortali DEO sacrificio Missæ pietas & circumspectio, ut & ipsos cœlestes genios in sui admirationem raperet, nec infrequenter spectabili formâ sub tremendo hoc ministerio famulos haberet, & assistentes. Cubiculum illius sæpè cœlesti lumine coruscum apparuit. Ipse *Prioris* mu-

nere

nere per plures annos laudatiſſimè & magno cum diſciplinæ regularis emolumento perfunctus, cùm aliquoties in extaſin raptus eſſet, virgineam Conditori animam hâc die reddidit, anno poſt natum Chriſtum ſupra milleſimum quingenteſimum trigeſimô ſecundô. Pulchra fuit in hoc digniſſimo Præmonſtratenſis inſtituti membro *veſtis* & *vitæ* concordia.

SENTENTIA.

SAcrificium Miſſæ myſterium eſt ineffabile, quod comprehendit abyſſum divinæ charitatis: medium, per quod DEUS realiter, magnificéque nobis applicat, communicátque ſuas gratias ac favores. *S. Franc. Saleſ. Introduct. ad vitam devotam.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MAgnam ſemper de tremendo Miſſæ ſacrificio æſtimationem habuerunt SS. PP. quos inter Seraphicus Bonaventura indubitanter aſſerit: *Miſſa tam plena eſt myſteriis, quàm mare guttis, ſicut ſol radiis, ſicut firmamentum ſtellis, ſicut cœlum empyreum Angelis.* in compend. Theolôg. verit. l. 6. c. 23. Hodie tamen pauci admodùm ſunt, qui pro meritis illud ſuſpiciant. Ipsâ aſſiduitate vix non viluit, & ab hominum multa parte negligeretur penitùs, ſi præceptum non urgeret.

II. Aliter agunt aulæ cœleſtis genii, quos aliàs aliis, uti *B. Danieli* noſtro, præſentes adſtitiſſe conſtat:

ſtat: & eâ quidem reverentiâ, quæ devotiſſimis ruborem excutere poſſit. Nôrunt nimirum, quantus ſit, qui in Miſſa eſt *principalis offerens, & oblatio.* Hanc porrò majeſtatem ſi tam reverenter adorent angeli: quid hominem facere par eſt? hominem, cui ſpecialiſſimam per gratiam licet, quod puriſſimis illis ſpiritibus nec licuit unquam, nec æternùm licebit? ô, ut verum non eſſet illud Chryſoſtomi: *multi ſunt ſacerdotes, & pauci ſunt ſacerdotes: multi in nomine, pauci in opere.* ſuper Matth.

III. Præcipuum, quod ſacrificii dignitas exigit, eſt puritas ſacrificaturi. Quàm enim indignum eſt *ſanctum dari canibus*, & *margaritas projici ante porcos*: tam eſt indecens peragi hæc myſteria ab homine carnalibus vitiis inquinato. Agnus eſt ſine macula, qui in Miſſa ſacrificatur: & offeratur ab eó, qui eſt *ſicut equus & mulus?* è contra: *quid in ſacerdote decentiùs, quàm decor & puritas caſtitatis? ſit pius, ſit humilis, &c. ſi non eſt caſtus, nihil eſt.* S. Thom. à Villa nova, ſerm. de S. Auguſtino.

XII. SEPTEMBRIS.

S. Juventius Ticinenſis Epiſc.

MAgnam ſanctus hic Antiſtes curam habuit orphanorum & viduarum, æmulatus DEUM optimum, quem Vates Regius illorum *Patrem* vocat, harum *judicem.* Vidua quædam à Creditore ſuo oppreſſa, atque à crudeli nummulario ad duplum compulſa, ferè causâ ceciderat, cùm æqui

aman-

amantiſſimus Præſul, ad quem miſſella confugerat, deſperatis rebus auxilium tulit. Miſsô enim cum vidua diaconô ſuô, ſeriis creditorem verbis increpuit, ac à ſceleratis uſuris abſtinere juſſum, commodatô contentum voluit. Sed nihil potuêre minæ apud animum ab avaritia tenaciter obſeſſum. Diaconus ergo (ut fuerat inſtructus) uſurario quantum volebat pecuniarum ultra juſtum etiam pretium numerat: quos ille nummos avidè arreptos dum jam in arcam reponere parat, momentô exanimis concidit. *Diſcite juſtitiam moniti!*

SENTENTIA.

AUrum, & divitias per bella quærere, nefas eſt: per maria periculum: per falſitates opprobrium: per agriculturam verò licitum eſt. Honeſtum verò eſt lucrum, per quod nemo læditur, juſtè acquiritur, & nulli præjudicatur. *Caſſiodorus in Epiſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VErè Eccleſiaſticus: *Avarô nihil eſt ſceleſtiùs: hic enim & animam ſuam venalem habet*, quam ſæpe pro pauculis nummis Orco proſtituit. Eſtque hoc vitium univerſim quidem turpe: turpiſſimum tamen in perſonis DEO ſpecialiùs ſacratis. *Væ illis* (comminatur DEUS per Prophetam Habacuc, c. 2.) *qui congregant avaritiam malam!* quod poſtremum *epitheton* ideo additum vult Rupertus Abbas, ut liqueret, avaritiam

tiam Eccleſiaſticorum ſpecialiter eſſe deformem. Verba ejus ſunt: *equidem avaritia nusquam bona, ſed ibi excellenter mala eſt.*

II. Avaritia mentem excœcat, dum hæc, æternis poſthabitis, temporalibus ſaturari cupit: etſi & hoc ipſum fruſtraneè. Apud avaros enim vel maximè, *quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.* Hæ ſollicitudinum turbæ, quibus avarorum inquietantur animi, merces illorum ſunt: atque iſtud præterea, quòd in iis olim implendum ſit illud Davidis vaticinium: *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.*

III. O quàm ergo volupe, cuncta, quibus carere poſſis, deſpicere! felix eorum conditio, qui *paupertatem juratam* ſanctè ſervant! primùm enim *nihil habentibus nihil deeſt.* Secundò, etiam ſub alterius arbitrio viventes, liberrimi ſunt, cùm nullis ſæculi curis diſtineantur, neque ſint ſuarum cupiditatum mancipia. Denique nihil periculi habent ab illo Apoſtolico fulmine: *pecunia tua tecum ſit in perditionem.* DEO enim tantùm intenti, & aliorum incurii, ſecurè dicunt: *Dominus ſollicitus eſt mei.*

XIII. SEPTEMBRIS.

S. Maurilius Andegavenſ. Epiſc.

AB exordio ſui Epiſcopatûs, ad úsque terminum vitæ, nihil ſic horruit, ut corporis commoditates, quibus paſſim homines ſtudere conſpicimus. Vili amictu, victu pertenui contentiſſimus, divinis aſſiduè mentem ſaginabat epulis. Jeju-

nium quadrageſimale tam obſervanter decurrit, ut veſpertinus illi cibus alius non eſſet, quàm panis aridus, ſale nonnihil conditus, cum aquæ poculo. Quô tamen rigidô vivendi genere tam non imminuit ſibi vires, ut vanè perſuaſum eſt moderni temporis ſenibus, ut eas reddiderit etiam magis firmas, & vegetas. Ad devexam enim ætatem perductus, quàm inter labores innumeros, quos Epiſcopale onus parturiit, conſummarat, tamen non caput, non dentes, non viſum, non ſtomachum, non cætera membra dolebat, ſed ſui ſemper ſimillimus, in DEO liberrimè exultabat. Quin & quò plus ſeneſceret eò, amplius renovari credebat ut aquilæ juventutem ſuam. Idem utique ſenſerit *Maurilius*, quod poſt illum in jejunii laudem ſcripſit Præſul Antiochenus: *jejunium animarum tranquillitas, ſenum decor.* S. Joan. Chryſoſt. Homil. 2. in Geneſ.

SENTENTIA.

NE præbeamus vires illicitas carni & corpori noſtro: ne committat bellum adverſus ſpiritum noſtrum, ſed potiùs fortitudinem & robur ejus per continuas moleſtias, vexationes, afflictiones debilitemus. *S. Auguſt. l. de ſalutar. mon. c. 35.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ETſi plurimùm in jejunii laudes excurrant SS. PP. linguæ & ſtyli: etſi illud præclariſſimô ſuô exemplô commendent aſcetæ: non tamen deſunt, qui hoc mortificatio-

nis

nis genus cane pejus & angue fugiant. Quàm frivolis porrò nitantur rationibus, pulchrè dicet S. Vincent. Ferrer. ſerm. 2. Sabb. ante Domin. 2. Quadrag. *Quilibet*, inquit, *excuſat ſe à jejunio aliquô modô. Aliqui dicunt: habeo cordis dolorem ex jejunio: aliqui: ô ego non poſſum dormire: aliqui: ſtomachus dolet mihi.* An non ſingulis his jure dicatur: *nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?*

II. Fallunt, qui tales ſunt, non DEUM, qui probè novit, quantum cum gratia poſſint: ſed ſeſeipſos ſtolidâ hâc ſuâ perſuaſione. *Si dixeris, vires non ſuppetunt; qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & Servatorem animæ tuæ nil fallit, reddetque homini juxta opera ſua.* Prov. 24. Quadragintadiale jejunium vix *decimæ* ſunt trecentorum ſexaginta ac quinque dierum anni, ut notat Gregor. M. & has *decimatori DEO* pendere ingrati renuamus?

III. Non *Maurilium* tantùm, ſed *Paulos*, *Antonios*, *Pachomios*, & ſexcentos alios deſertanos ſenes minimè fregit cibi & potûs tenuitas. Nunquam ſomniârunt vel *carnes*, vel *piſces*, ſed crudis radicibus, pomis ſylveſtribus, & aliis, quæ vaſta eremus porrexerat, contentiſſimi vixerunt. Et eſto carnem jejunia nonnihil debilitent: quid aliud debetur hoſti domeſtico? *exurgat DEUS, cadat armatus iſte, cadat & conteratur inimicus homo, contemptor DEI, amator ſui, ſervus diaboli.* S. Bernard.

XIV. SEPTEMBRIS.

S. Catharina Genuenſis.

QUantum amaret Chriſtum, facilè colligi potuit ex affectu, quô vix aliô, quàm *amoris* titulô illum ſalutabat. Beneficium vocationis ſuæ penſiculatiùs expendens, dicere ſolita erat: *ô amor meus! fierine potuit, ut tantô me amore ad te accerſeres?* ſolam peccati umbram ſic horrebat, ut ſæpiùs ſuſpirando Chriſto ſupplicaret: *ô amor meus! ut nunquam in te peccem!* quoties animo recurrit Crucifixi Servatoris memoria, recurrit autem creberrimè, *Catharina* deſideriô participationis paſſionis tam amatæ ferventer exæſtuans, clamare conſueverat: *ô amor! patere me hic exerceri! hoc eſt ſtadium meum. Extra hoc non eſſem quod eſſe me cupis.* Votis damnata, atque adverſitatibus probè exercita, ſuis iterum amoribus ſanctè intenta proteſtabatur: *ô amor meus! ut ego in tam charis mihi moleſtiis lubens acquieſco!* utinam ſic amarent, quotquot amant filii & filiæ hominum!

SENTENTIA.

FLagrans ac vehemens amor divinus cùm ſe intrà ſe cohibere non valet, non attendit quô ordine, quâ lege, quâve ſerie, ſeu paucitate verborum ebulliat, dummodo ex hoc nullum ſui ſentiat detrimentum. Interdum nec verba requirit, interdum nec voces omnino ullas; ſolis adhuc contentus ſuſpiriis. *S. Bernard. ſerm. 67. in Cant.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. ATeneris altùm exarſit in *Catharinæ* pectore *divinus amor:* atque utinam arſiſſet in finem! ſed ſopiit eum, & ferè reſtinxit tribulationum torrens, quô validè obruebatur ex ruſtica mariti ſui cruditate: quàm etſi juſto quinquennio fortiter tuliſſet, defecit tamen: ac ne marito diſſimilis eſſet, variis & ipſa vitiis animum polluit. En iterum inconſtantiæ noſtræ *paradigma!* bene incipimus: tepidè continuamus: malè finimus.

II. Ubi tamen ad frugem rediit *Catharina*, tam conſtanter iſtud egit & ſeriò, ut tota in DEUM raperetur. Quinque ſupra viginti annos à *Quinquageſima ad Paſcha:* & à feſto *S. Martini* ad usque *Natalem dominicum* non aliô utebatur cibô, quàm *pane Euchariſticô*, devotiſſimè quotidie ſuſcepto, quô *ſicut adipe & pinguedine* replebatur ipſius anima. Vides, quæ ſit cordium verè amantium ſagina! ô ut DEUM ſimiliter amares, & ſolum amares! *minùs te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* S. Auguſt.

III. Magni progreſſus, quos in amore DEI fecit *Catharina*, potiſſimum ſuum robur capiebant ab ipſo amoris exercitio. Quid mirum in hac amandi arte te rudem eſſe, cùm *amoris exercitium* tibi adeò non facias familiare, ut ferè penitùs ignores? quid etiam magni præſtiteris, ſi modò DEUM ames tepidè: paulò poſt verò totus creaturarum amore impliceris? *ô anima mea, inſignita DEI imagine! dilige eum, à quo tantum dilecta es: intende illi, qui intendit tibi: quære quæren-*

tem te: ama amatorem tui, cujus amore præventa es. S. Auguſt. in Manu.

XV. SEPTEMBRIS.

S. Aycardus Abbas.

NOngentos monachos numeravit, quos vivô virtutis exemplô ad tam eximiam promovit ſanctitatem, ut numeroſiſſimus ille cœtus, Angelorum, quàm hominum Collegio eſſet ſimilior. Subinde tamen & ſuæ metuens ſenectæ, ut quæ tam arduæ Magiſterii provinciæ minùs apta eſſe inciperet: & pro ſuorum ſalute ſollicitus, ne qualequale deinceps illius diſpendium facerent, DEUM inſtanter precatus eſt, potiùs eos in ea vitæ conditione ad beatam perennitatem transferret, quàm diutiùs in incerto fluctuare permitteret. Audiit DEUS ſupplicem, & per ſubmiſſum è cœlo genium, quadringentos quinquaginta Monachos aureâ virgâ ſimul & ſemel ad capeſſenda laborum ſuorum præmia in cœlos evocavit, quos paulò poſt, feſtivè tripudians de tanto civium ſuperorum auctario, ſubſecutus eſt *Aycardus* Abbas. Cupiiſſes utique & tu reperiri intrà ſyllabum tam ſanctè morientium?

SENTENTIA.

QUid eſt vita mortalis, niſi via? & quaiis ſit dementia, fratres mei, perpendite! in labore viæ laſſari, & tamen eandem viam nolle finiri. *S. Greg. in Evang.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUantô vitæ præsentis amore tenentur juvenes, tantô etiam concutiuntur metu mortis. Metuunt scilicet, ne mors vicina nimiùm sit, & vitæ filum citiùs, quàm vellent, incidat. Verùm metuunt stolidè & extra justorum morem. Quid enim habet vita hæc, quod eam adeò reddat amabilem? an verò non tota quanta *militia* est, & creaturæ debilis cum hostibus fortissimis conflictus? aliter longè sensit Apostolus: *infelix*, inquiens, *ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ad Rom. 7.

II. Cuperent multi longiorem vitæ terminum, ad augendum cum illo meritorum thesaurum. Sed, ô quàm etiam istud est incertum! quanta exerrandi ab hoc proposito pericula! multi in ætate decrepita foveæ sepulchrali illati, barathro jam antea injecti sunt infelicis æternitatis, qui, si juvenes decessissent, perituri minimè fuissent. Nimirum, hominum plurimis idem accidit, quod *lupis*, quibus cum annis feritas crescit: ut eà propter verissimè dixerit Asceta nonnemo: *faciliùs inveni, qui innocentiam servaverint, quàm qui congruam egerint pœnitentiam.*

III. Sive igitur DEUS protelet vitæ tuæ curriculum, sive contrahat: utrobique paratus esto: utrobique lucris tuis invigila: ac in priore quidem casu *negotiare* dum veniat Dominus: in altero, si etiam veniat, quâ horâ non putas, pulsanti confestim aperi: ac de reliquo non cura, num diu victurus sis, num breviter: sed hoc solùm cura, ut bene vivas. *Si quis in mortem ante primos an-*

nos delatus eſt, non magis conqueri debet, quàm qui citò navigavit. Seneca.

XVI. SEPTEMBRIS.

S. Editha Virgo.

TAntum potuit apud hanc Virginem *Charitas in proximum*, ut & regiæ dignitatis illam oblivíſci, & ſua deferre obſequia faceret non iis modò, qui vulgari paupertatis malò laborabant, ſed leproſis etiam, quibus recepta corpore peſtis hominum conſortiô interdicebat. Hos *Editha* fovere, his ſuis ipſa manibus neceſſaria miniſtrare tanto cum affectu conſuevit, ut & Angelum è cœlo ſubmiſſum leproſi ſpecie, mereretur habere beneficiarium. Demortuæ Virginis corpus diu perſtitit integerrimum: oculis tamen, manibus, pedibúsque exceptis, quòd in juventute ſua hiſce membris ad puellares levitates nonnunquam eſſet abuſa. Nulla infirmorum horret ulcera, qui illis, velut ipſi Chriſto, aſſiſtit.

SENTENTIA.

SPina pedem lædit, quid magis procul ab oculo, quam pes? procul abeſt quantùm ad locum, ſed valde propinquus eſt quantùm ad compaſſionem. Oculus ergo ſpinam quærit, juvant manus & digiti, lingua dolorem exponit, totum corpus inclinatur. Sic dolenti condolere ſinguli debemus. *S. Auguſt.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Viſitatio infirmorum* non poſtremum eſt inter corporalia miſericordiæ opera: tantique apud DEUM pretii, ut eam æſtimet ſupra holocauſta legis veteris. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Nec tamen deſunt, qui citiùs compatiantur morbido pecori, quàm infirmo homini. Sunt iſti ſimiles ſacerdoti illi & levitæ, qui adeò non attenderunt ad vulneratum à latronibus inter *Jeruſalem* & *Jericho*, ut etiam ſine omni compaſſionis ſenſu pertranſirent. Verùm audient olim tales: *diſcedite à me maledicti &c. infirmus enim fui, & non viſitaſtis me.*

II. Si omnis Chriſti actio noſtra debeat eſſe inſtructio, quî fit quòd nos non moveant tanta beneficia, tot morbidis toties impenſa? an non tantorum exemplorum neglectus evincet, nihil minùs nos eſſe, quàm Chriſti imitatores? audiamus *Lactantium* verè de re ſic diſſerentem: *nihil tam divinum homo habet, quàm de aliis bene mereri, tametſi ille majora, hic minora beneficia exhibeat. Fac calamitoſo ſis DEUS, DEI miſericordiam imitando.*

III. Optimam infirmorum curam agunt, qui primùm animarum curam gerunt; tum corporum. Peccata frequenter DEUM vix non cogunt ad immittendum morbos: qui, ut tollantur, peccata prius tolli neceſſe eſt. Corpus è terra compactum in pulverem denuo reſolvetur. Animam ad imaginem DEI conditam manet vel felix, vel infelix æternitas. Hujus ergo ſanitas, ſi vel minimùm etiam vacillet, omni curâ redintegranda eſt, ne fiat quod Auguſtinus inquit: *animas mor-*

tuas multi in corpore vivo habent. ſuper Apocal. Homil. 3.

XVII. SEPTEMBRIS.

S. Lambertus Epiſcopus Martyr.

QUod *Pipinum* Regem liberiùs arguiſſet ob infame ſcortum, quod peſſimò totius regni exemplo Rex ſecum detinuerat, impudentiſſimæ mulieris iram incurrit implacabilem. *Alpais* enim (hoc proſtibulo nomen) cernens, ſi diutiùs viveret *Lambertus*, de ſua cum Principe familiaritate brevi actum fore, *Dodoni* fratri negotium interficiendi Præſulis committit. Hic homo naturâ ferox, ſororis diſcrimini proſpecturus, operam condicit, & duobus paris farinæ ſociis ſtipatus, ſanctum Antiſtitem, orationi intrepidè vacantem, crudeliter perimit. Vicem tamen continuò latronibus rependit vindex DEI dextra: *Dodon* enim vivus computruit: alii duo mutuis cecidêre vulneribus. Sanctus porrò Præſul tam auguſtum egregiæ libertatis conſecutus eſt præmium, ut hodiéque ſcortis infamibus nullus ad illius tumulum pateat acceſſus. Pareat obſequium amicos, veritas odium: nec tamen hæc propter DEUM & in ejus causâ reticenda eſt: nec illud in DEI præjudicium cuiquam deferendum.

SENTENTIA.

ADulatio blanda omnibus applaudit, omnibus ſalve dicit: prodigos vocat liberales: avaros parcos, & ſapientes; laſcivos curia-

curiales : garrulos affabiles : obſtinatos conſtantes : pigros maturos & graves : hæc ſagitra leviter volat, & citò inngit. *Caſſiod. in Epiſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CApitis diſcrimen evaſiſſent *Joannes Baptiſta*, *Chryſoſtomus*, *Lambertus*, & alii, ſi ad modernum mundi genium adulari, quàm veritatem dicere maluiſſent. Maxima paſſim damna in orbem invehit *reſpectus humanus*, & pernicioſa *veritatis ſuppreſſio*. Hæc facit negligi correctionem fraternam, tam neceſſariam : facit in aulis magnatum diſſimulari vitia, & virtutis ſinceritatem in æternum ejici exilium. O morbum verè fatalem & ſonticum!

II. Tacetur tamen *veritas*, quia creditur hominibus diſplicitura, quidquid deinde ſit de DEI diſplicentia, qui plurimùm odit ejusmodi *canes mutos*. Nôrunt DEI cauſam eſſe, quæ agitur : erubeſcunt nihilominùs, & omiſſæ admonitionis neglectum palliant vel incertitudine fructûs ſperati : vel, quòd ſibi perſuadeant, ſe hîc & nunc non obligari. Metuo tamen, ne in eos cadat illud Chriſti fulmen : *qui me erubuerit & meos ſermones, hunc erubeſcet filius hominis, cùm venerit in Majeſtate ſua.* Lucæ 9.

III. *Si adhuc hominibus placerem*, inquiit gentium Doctor, *Chriſti ſervus non eſſem.* ad Galat. 1. itemque 1. ad Cor. 4. *Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Vides, quàm Apoſtolus nihili fecerit hominum ſive gratiam, ſive disgratiam. Et ſanè ſæviant in verilo-

quos,

quos, quibus inviſa eſt veritas: perſequantur, calumnientur, occidant: nihil agunt inſuetum veritati. *Hæc eſt conditio veritatis*, inquit Hieronymus, *ut eam ſemper inimicitiæ perſequantur.* Et Seneca: *nunquam volui placere populo: nam quæ ego ſcio, non probat populus: &, quæ probat populus, ego neſcio.*

XVIII. SEPTEMBRIS.

S. Thomas à Villa-nova.

VAlentiæ Archi-Epiſcopus licet eſſe, hunc tamen honoris & officii titulum tanti non fecit, quanti alium, quo *Pater pauperum* & audiit, & fuit; quibus ut ſua denique erogaret omnia, cùm paulò ante obitum in ſtipem numerari juſſiſſet nummûm aureorum quater millia: ſuppellectilem ſubinde, ac ipſum noviſſimè lectulum, in quo æger decubuit, ipſorum juris eſſe voluit, adeò, ut accitò mendicabulô, cui ſtratum deſtinârat, pannoſum hominem demiſsè rogaret, illum tantiſper adhuc commodare ſibi non gravaretur, dum ſupremum ſpiritum exhalâſſet. Idem agit perfecta in proximum charitas, quod amor in DEUM: utriúsque enim amandi modus eſt, *amare ſine modo.*

SENTENTIA.

NOn majoris criminis eſt habenti tollere, quàm cum poſſis, & abundes; indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines; nudorum indumentum eſt,

eſt, quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt, & abſolutio, pecunia, quam tu in terram defodis. S. *Ambr. Tom. 5. ſerm. 81.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VErè, *beatiùs eſt magis dare, quàm accipere.* Actor. 20. Licet ſua in pauperes liberaliſſimè profunderet *Thomas*, ſemper tamen ſuperfuit, quod profunderet. Certa Aſcetis eſt veritas, *Eleemoſynam* magis in gratiam dantium, quàm accipientium à DEO eſſe præceptam. *Date, & dabitur vobis*, promiſſio eſt veritatis æternæ, facta *Eleemoſynariis* pro vita non tantùm futura, ſed etiam præſenti. *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Prov. 11.

II. Veritatem hanc adeò confirmârunt SS. exempla, ut eam ampliùs negare, dementis omnino ſit. Unde *Jobo* facultates tam amplæ? ſanè, ex inſigni in pauperes affectu. *Si negavi*, inquit, *quod volebant pauperibus, & oculos viduæ exſpectare feci? ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea?* ſic *Abraham, Iſaac, & Jacob* locupletes evaſerunt, non pauperes, à profuſa in egenos liberalitate: dum ex oppoſito divites, etiam in abundantia rerum, *eguerunt, & eſurieruut.*

III. Evangelicus epulo eam, quam hodie ſuſtinet, penuriam, non tam debet luxui ſuo, quam neglecto inter epulas tam inhumaniter *Lazaro*: unde exprobratio illa: *fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.*

Factum

Factum pœnâ talionis, ut nec aquæ guttam obtineret, qui *Lazaro* panis etiam micas negavit. Atque utinam ne hodie mos iſte vigeret in magnatum potiſſimùm aulis, ut meliora canibus projicerentur, paupèribus nihil. Tobiam interim audiamus: *ſi multùm tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* c. 4.

XIX. SEPTEMBRIS.

S. Januarius Beneventi Epiſc.

INter medios ignium globos illæſus lætùm cum Angelis cecinit. Feris etiam objectus, hominibus illas humaniores fuit expertus. Capitis denique damnatus, Præſidem divinitùs cœcitate percuſſum precibus illuminavit, atque unà eô miraculo gentilium quinque millibus fidei lumen affudit. Sacræ illius reliquiæ crebrò compeſcuêre torrentes ignium, quos Veſuvii furentis incendia latè nonnunquam propellunt. Sanguis egregii Martyris Neapoli in ampulla vitrea contentus, toties ebullit, quoties ſacro capiti admovetur. O ut & ſanguis meus amore DEI ferveat!

SENTENTIA.

IDcirco natales Martyrum annuâ lætitiâ celebrantur, ut quod ſemel actum eſt, per omne ævum in memoria maneat devotorum. Geſta res eſt: ne te diceres ignorare. Celebrantur annua, ne dicas, oblitus ſum.

Ad

Ad hæc ergo imitanda vos animate. *Chryſologus ſerm. 129.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. IDem *Januarius* egit, quod Martyrum plurimi. Arriſit doloribus, & ipſam adeò mortem in ſe provocavit; contra quàm ſoleant imbelles potiſſimorum hominum animi, qui ſæpiùs trepidant timore ubi non eſt timor: qui non adverſitate tantùm, ſed & illius umbris abſtrahuntur ab amore DEI. Carent verâ fiduciâ, quâ poſſent, ſi vellent, amarum quodvis reddere dulce.

II. Mille modi ſunt, quibus electos ſuos probare conſuevit DEUS. Magis tamen ordinarius, & bonitatem DEI certò arguens eſt per adverſitates. Placuit hic agendi modus plùs quàm alii omnes, SS. Martyribus, adeò, ut non tanti facerent omnes mundi divitias, quanti *pro nomine JESU contumeliam pati.* Verè ex Martyrum perſona Thomas Kemp. *Ubi mihi* (ô DEUS) *bene fuit ſine te? aut quando malè eſſe potuit præſente te?* de Imit. l. 3. c. 64.

II. Illò igitur collimet ſtudium noſtrum, ut ad tribulationum inſultus non modò non palleamus, ſed etiam exultet ſanguis noſter, & velut exſiliat, ut hodiéque ſolet ſanguis *Januarii* Martyris. Et verò ſi amor impurus tam validè ſanguinem effervere faciat, cur idem non agat DEI amor? Expleamus in exercitio patientiæ, quod in reliquarum virtutum fieri vult Philoſophus, dum eas exerceri petit, *jucundè & largè.* 4. Ethic. 2. Sequamur denique monitum Virginis DEIparæ, Martyrum

rum Reginæ, quod in Epiſtola quadam ſuggeſſit *Ignatio* Antiocheno: *non te moveat perſecutionis auſteritas, ſed exultet ſpiritus tuus in DEO ſalutari tuo.* Apud Lorin. in Pſal. 9. v. 16.

XX. SEPTEMBRIS.

S. Euſtachius. M.

GEntilis adhuc, & inſanâ idolorum culturâ infamis, adeò tamen ſpectatæ fuit virtutis, ut ejus vitâ nihil eſſet integriùs. Decimæ Legionis ſub *Trajano* Imperatore Dux, dum venatione aliquando curas militares temperaret, *Chriſtum* ſupra cervi caput è cruce pendulum obvium habuit, à quo in fidelium numerum invitatus, cum uxore *Theopiſte*, & duobus filiis *Agapito* & *Theopiſto* vocanti continuò morem geſſit. Inde per adverſa probandus, ſæva inprimis peſte ſervos, ancillas, animalia depaſcente, poſſeſſionibus ſuis exutus: tum verò voluntarius exul, uxore à *Barbaro* nauclero, poſtmodum & ipſis ſpoliatus eſt liberis, unô infantum à leone raptô, alterô à lupa aſportatô; quos tamen unà cum uxore mirabili modo DEI providentiâ ſervatos non modò elapſis quindecim annis ſalvos recepit & incolumes, verùm & cum illis Martyrium pro Chriſti fide ſubiit, quandò unà incluſi bovi æreo candenti, non quidem ab incendiis læſi, ſed placidâ morte defuncti ſunt. Cœlum adverſitatibus probat, quos olim cives eſt habiturum.

SEN-

SENTENTIA.

SI non miſceret DEUS amaritudines felicitatibus ſæculi, obliviſceremur eum. *S. Auguſt. in Pſal. 33.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. AMor *divinus* aliquando venatorem agit, quando brutos hominum animos adverſitatum turbis, velut canibus, in ſua cogit retia. Et utinam non ſic ab omni humanitate deficerent homines, ut ſaltem plagis attriti noſcerent beneficam DEI voluntatem, impensè cupientis omnes conſequi ſalutem æternam. Experimur ſæpiſſimè, non aliàs magis DEO nos jungi, quàm cum cruce premimur: & tamen hanc fugimus. Voluntariô igitur errore declinamus tela *Divini Amoris*, quamvis ea non ad mortem vulnerent, ſed ad vitam.

II. Interim frequenter in prædam cedimus ſtygio venatori, eò quòd iſte retibus ſuis illinat mella fallacium voluptatum, divitiarum, honorum &c. quæ ubi guſtaverit anima, etſi primùm mali nihil ſuſpicetur, ſerò tamen dolens fatebitur: *venatione ceperunt me, quaſi avem inimici mei.* Thren. 3. Monet Origenes: *intellige, quia in medio laqueorum ambulas, & ſubtus machinas tranſeas imminentes.* Homil. 2. in Cant.

III. Ultrò igitur occurramus venatori *Chriſto*, uti hic occurrit venatori *Euſtachio*. Sive verò diu, ſive brevi nos agat per vepreta temporalium afflictionum: certò confidamus, ejus proviſen-

tiam deducturam nos *per vias rectas.* Quot periissent animæ vagabundæ, nisi divino isti venatori victimæ cecidissent! *potiùs Christo deliciæ sunt in filiis hominum, quàm in Angelis, vel in aliis creaturis à se conditis: quia de his quæ aucupiô seu venatione capiuntur, fiunt deliciæ, non à domesticis. Angeli verò ad domesticas res pertinent: homines autem venatione prædicationis cepit.* Hugo Cardin.

XXI. SEPTEMBRIS.

S. Matthæus Evang.

PRincipem aliquando locum inter Publicanos tenuit *Matthæus*, pecuniarum amore, & quæstûs sui indies augendi studiô vix non penitus absorptus. Vocatus tamen à *Christo* facilem se præbuit, & relictô teloniô, strenuum se magistri sui discipulum maximè probavit, quando animarum zelô inflammatus, *Parthos* ac *Æthiopes* adiit, iisdemque maximo cum fructu Evangelium, quod suâ manu conscripserat, prædicavit. Martyrium denique subiit, securi, cùm ad aram sacris operaretur, percussus, jussu *Hirtaci* Æthiopum Regis, quod hujus neptem *Iphigeniam*, quam insano amore Rex deperibat, non modò ad Christi fidem convertisset, sed induxisset etiam ad perpetuæ Virginitatis votum DEO nuncupandum. Vide quos fructus pariat *DEO incunctanter obsequi*!

SENTENTIA.

VOcasti me, & intonasti desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei:

fiat

fiat lux; & facta est lux; & discessit nubes magna, & liquefacta est nubes tenebrosa, quæ operuerat oculos meos, & vidi lucem tuam, & cognovi vocem tuam. *S. Aug. soliloq. c. 33.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. TAnta est omnipotentis DEI bonitas, ut non modò nolit mortem peccatoris, sed omnem etiam moveat lapidem, utne iste in hanc temerè se præcipitet. Atque huc tendunt *inspirationes divinæ*, quibus invitatur homo ad virtutis amorem, & vitii odium. Felices, qui ad hosce radios non cœcutiunt, sed cum *Matthæo* justitiæ solem sine mora sequuntur. Anime mi! sæpiùs tibi fortè acciderit, quod Augustino, qui tarditatem suam sic deplorat: *involvebar tenebris filius tenebrarum: tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam.*

II. Ad hanc cœcutientium classem etiam pertinent, qui ad statum vel Ecclesiasticum, vel regularem signis vix non evidentissimis à DEO vocati, moras tamen usque & usque nectunt. Sedent hi cum *Matthæo* in *telonio*, quia retinentur à fluxarum rerum vanitatibus: quibus, nisi dextre se expediant, nunquam agent cum fructu negotium suæ *Vocationis*, quod ex communi ascetarum sensu tanti est ponderis, ut secum trahat vel salutem æternam, vel interitum æternum.

III. Sunt etiam, quibus resilire placet à Religioso Instituto, nondum per *substantialia Vota* plenè inito. Tales, nisi justâ ducantur causâ, similes

ſunt cani revertenti ad vomitum. Audierunt vocem ſponſi: *peſſulum* tamen *oſtii* reſerare negligunt. Quid poſteà mirum, ſi ille declinet, & tranſeat? DEI Filius, *tanquam homo, à lapidibus fugit: ſed væ illis, à quorum lapideis cordibus DEUS fugit!* S. Auguſt. tract. 43. in Joan. memorabile prorſus eſt dictum illud Jobi c. 33. v. 14. *Semel loquitur DEUS, & ſecundò idipſum non repetit.*

XXII. SEPTEMBRIS.

S. Mauritius cum Sociis MM.

SUb Imperatoribus *Diocletiano* & *Maximiano* præfuit *Mauritius* Thebææ Legioni, quæ antiquorum Romanorum exemplô numerabat lectiſſimos milites ſex mille ſexcentos ſupra ſexaginta. Fuêre hi omnes Chriſtianis initiati ſacris, ſùæque fidei tam tenaces, ut quâquá occaſione ſuô illi ſubſcribere ſanguine percuperent: quod & egerunt, quando neglectô Imperatoris mandato, quo ad ſacrilega falſorum numinum ſacrificia vocabantur, omnes ad unum crudeli comilitonum ferrô trucidati, purpuratas ſuas animas DEO exercituum Domino transmiſêre. Animavit eos ad mortem fortiter ſubeundam *Mauritii* oratio, quâ demonſtravit, etſi ſacramentô militari dudum Imperatori ſe obſtrinxiſſent, ampliùs tamen obligari *Chriſto*, cui per baptiſmum & fidei profeſſionem, cum ipſa Lucis uſura, cepiſſent inferi. DEI providentiâ obſervatum in *Mauritio* eſt, quod Gregorius exigit Epiſt. 8. *Exercitui non niſi probatus præficiatur Dux.*

SEN-

SENTENTIA.

SAncti Martyres exemplum nobis reliquerunt, bene vivendo, conversationis; tolerando fortiter, passionis. *S. Maximus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. TItulus Christianissimi *Mauritium*, cum *Thebæa Legione*, ad Martyrium promovit. O quàm egregium est, DEI, & fidei causâ pati! *nemo vestrûm patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem DEUM in isto nomine.* 1. Petri c. 4. Vides, quàm non pœna Martyrem faciat, sed causa. Doles defieri tibi occasionem pro hac ipsa causa fundendi sanguinem? vitam Christianò dignam institue, & DEUM non patiendo, quod Martyres, sed agendo, quod veri Christiani, glorificabis in isto nomine.

II. Ut porrò glorioſum martyribus fuit inter ipsos carnifices imperterritè confiteri Dominum suum; sic honorificum tibi erit eundem non negare in opere, consentiendo in grave peccatum. Pergant hostes domestici voluptatum lenociniis allicere, virtutum difficultate absterrere: tu fortem age militem, certa pro justitia, millies præoptans *affligi cum populo DEI.*

III. Facile fuit *Mauritio*, & sociis, patienter ferre jacturam vitæ præsentis, quando respexêre tam ad proborum gloriam, quàm ad improborum supplicia. Præstat utique *temporaliter* pati, quàm

æternùm. Hujus veritatis intuitu *ſancti vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones: alii ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres &c.* ad Hebr. 11. Eadem cogitata idem nobis robur ſuggerent, utne in quotidianis conflictibus deficiamus. *Æternitatis præmia præſtolantes, vires ex adverſitatibus ſumunt.* S. Greg. 26. Moral.

XXIII. SEPTEMBRIS.

S. Emmeramus Epiſc. & M.

CUm *Ratisbonæ* Epiſcopum ageret, ejusdémque civitatis incolas, ac totam Bojariorum gentem primis vix dum fidei rudimentis imbutam in eadem fide quâ verbis quâ factis ſolidaret; contigit filiam ducis *Theodonis* imprægnari, cujus ſceleris infamiam, utne ducis irâ perirent rei, ſibi imputari ultrò petiit. Inde profectione Romam ſimulatâ, poſt triduì iter à *Lantberto Theodonis* germano Fratre comprehenſus, abſciſſis primùm digitis, tum oculis etiam, auribus, ac natibus amputatis, pedibus demum, ac ipsâ noviſſimè linguâ mutilatus eſt. Sine qua tamen æquè diſertè perorans, infinitas DEO retulit gratias, quòd ſibi licuiſſet fieri victimam charitatis. Creberrima miracula quæ hodiéque ad ejus tumulum fiunt, ſatis loquuntur ſancti Præſulis innocentiam, quæ premi potuit, non potuit opprimi.

SENTENTIA.

ILlud eſt magnificum, ſi ſubjectus contumeliis judicium DEI laudes; ſi vexatus ægri-

gritudine, judicio DEI deputes: si te inopia premit, non revocet, quò minùs laudes justitiam DEI. *S. Ambros.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ETsi difficillimum sit, *Innocentiam* malis pressam non dolere, uti advertit Hieronymus; hunc tamen etiam dolorem facilè concoxit *Emmeramus*, quandò contentus, DEO suam se causam commisisse, plenissimè acquievit in suavi hujus providentia. Sic *S. Catharina Senensis* gravissimas detractiones, contumelias, convitia &c. non tantùm peccatô, sed lætô etiam susce-pit animô, quòd indubitanter crederet, prospera æquè ac adversa à paterna DEI dispensari manu. Ipsum hoc arripe medium, & parùm te movebunt injuriæ.

II. Hæc animi tranquillitas adeò perficit hominem, ut, juxta *Albertum M.* homo talis suô modô fiat per *gratiam*, qualis est DEUS per naturam. Non alteratur DEUS, juxta illud apud Malach. c. 3. *Ego DEUS, & non mutor.* Sic etiam homo plenè conformis DEO, à recto mentis statu quibuscunque malis non dimovebitur. Ac istiusmodi demum merebuntur, ut, quemadmodum David, elogiô, quô non aliud majus, *viri* audiant *secundùm cor DEI.*

III. Multus fuit carnificum furor in *Emmeramum*, nec tamen ultra corporis superficiem transiit. Hâc nempe metâ definitur omnis hominum in homines potestas. Hinc monet æterna veritas:

ne timueritis eos, qui corpus occidunt, & post hæc non habent quid faciant. Dudum morti debemur victima: nec refert quâ viâ debitum hoc expungamus. Homini à seipso tantùm discrimen maximum. *Etsi omnes qui mare & terram habitant, conveniant ad lædendum, nocere illi nequaquam poterunt, qui à semetipso non læditur.* S. Joan. Chrysost.

XXIV. SEPTEMBRIS.

S. Gerardus Epis. Mart.

S. *Emericum*, cujus Pædagogum egit, & *Hungaros*, quibus primus præfuit Episcopus, mirè quàm exemplô, tam verbô inflammavit ad cultum Virginis DEIparæ hujus honoribus non modò eximium struxit Altare, sed & *Sabbathum* specialiter illi sacrum voluit. Lapidibus denique fidei causâ impetitus & lanceis confossus, egit, quod *Christus* in cruce, veniam persecutoribus exorando, & DEI amore illis ex animo ignoscendo. *Gerardô* auctore ab Hungarica gente non pronuntiabatur nomen ipsum matris DEI, sed *Dominam suam* eam dicebant. Aut si pronuntiari contigisset, flexis continuò genibus, & reverenti capitis demissione suavissimum hoc nomen venerabantur. O ut singuli tantam *Virgini* deferrent reverentiam!

SENTENTIA.

NUllatenus credideris majoris esse felicitatis & gloriæ, habitare in sinu Abrahæ, quàm

quàm in ſinu MARIÆ, cùm thronum ſuum in ea poſuerit Rex gloriæ. *Guarricus Abbas ſerm. 1. de aſſumpt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurima ſunt, & quotidiana beneficia, quæ per *MARIÆ* manus tibi largitur DEUS: & non mereantur, ut cultu ſpecialiori illis reſpondeas? non ſic agunt genuini tantæ parentis filii: præterquam enim, quòd ſingulis intrà ſeptimanam diebus ſtatas Patronæ ſuæ preces perſolvere conſueverint: *Sabbathum* inſuper ejusdem honori ſpecialiter ſacrum volunt, ut eô alium in finem non utantur, quàm ad conteſtandum ſuam erga Virginem devotionem. Niſi hôc etiam modô *MARIAM* ames, parùm amas.

II. Conſuevit *Ordo Cluniacenſis* per totum ferè Annum *Sabbatha*, à Feſtis, vel Octavis vacua, ſic dicare DEIparæ, ut de hac in illis *Officium* recitaret, cum *duodecim lectionibus*, velut in Feſtis ſolemnioribus. Eximia paſſim exempla ſuppetunt cultôrum Virginis: ſed aliquando deficiunt imitatores. Et, ſanè, res eſt turpem olens ſocordiam, ex ſeptem hebdomadæ diebus ne poſtremos quidem duos DEO, & benedictæ Virgini tranſcribi proprios: cùm tamen ab hoc gemino fonte quiquid gratiarum & bonorum eſt, in nos effluat.

III. Spopondit olim DEUS: *qui cuſtodierint Sabbatha mea, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Iſa. 56. Etiam ſuis *per Sabbathum* cultoribus impetrabit olim DEIpara, *locum nominatum,*

nomen novum, &, verbô, felix illud *Sabbathum requietionis*. Levit. 16. De jejunio ſabbathino ait Cantipratan. *Scio & expertus ſum, quòd in multis dictum jejunium efficaciam habuerit ſalutarem, ut in fine confeſſionem veram haberent.* L. 2. ap. c. 28.

XXV. SEPTEMBRIS.

BB. Rogerius, & Theodoricus Abbates ex Ordine Præmonſtrat.

Hi duo Abbates ex Canonico Præmonſtratenſium Ordine ſucceſſivè rexerunt Eccleſiam S. *Pauli* Diœceſis *Virdunenſis*. Quorum prior *Rogerius* ſcil. ſancti Patris *Norberti* exemplum imitatus, ultrò reliquit ampliſſimas dignitates, quibus fungebatur in aula *Lotharii* Imperatoris, & pauper ac modicus pauperem Chriſtum ſecutus eſt. Fuit eximius Deiparæ cultor, cujus etiam ope ac patrocinio graviſſimas dæmonum infeſtationes devicit. *Theodoricus* verò Comes *Salmenſis* vir fuit eloquens puritatis eximiæ, & magni quàm apud Deum, tam apud Dei Vicarium, *Eugenium* ejus nóminis tertium, meriti. Numeravit Canonicos ſibi ſubditos in eodem cœnobio trecentos, quos omnes iis proventibus facilè ſuſtentavit, qui pauciſſimis anteà inſtituti alterius alumnis, minùs religioſis, ægrè ſuffecerant. Ibi nimirum larga Dei benedictio, ubi tributum penditur integrum cultûs illi debiti.

SEN-

SENTENTIA.

ANimalia fecit DEUS propter hominem, hominem propter seipsum: si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter seipsum? *S. Chrysost. super Matth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. BEnedictionibus *dulcedinis* domum illam præventam iri asseruit Norbertus, *Canonicorum Præmonstratensium* Patriarcha, *quæ mundo corde divina contrectaret mysteria: vitiis emendandis, & pauperum hospitalitati incumberet.* Veritatem hujus prophetiæ vix non manibus palpârunt *Rogerius*, & *Theodoricus*, quando proventibus non admodum amplis sustentari viderunt copiosum suorum numerum. *Bonus est Dominus sperantibus in eum.* *Oculi* item *Domini super metuentes eum, ut alat eos in fame.*

II. *Quis Rex*, quærit S. Chrysost. *devotis militibus non procurat debitam annonam?* sentiendum igitur de Domino in bonitate, contrà quàm soleant gentiles, quorum est crudum illud: *quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* studeamus per observantiam mandatorum quærere primùm regnum DEI, facietque Pater cœlestis, nihil necessariorum nobis defieri. *Si pascit latronem, non pascet innocentem? si pascit damnandos, non pascet liberandos?* S. August. in Ps. 61.

III. Quid,

111. Quid, quòd & tantò ſperandum ſit firmiùs, quantò ampliùs videntur res deſperatæ? O quàm ſapientiùs dixiſſent diſcipuli à Chriſto interrogati de panum numero, pro ſaturandis quinque millibus hominum: *omnia tibi poſſibilia ſunt.* Marc. 14. quàm: *unde quis noverit ſaturare iſtos in ſolitudine?* uti DEO difficile non eſt, ſalvare vel in multis, vel in paucis: ita nec arduum, multiplicare, quod modicum eſt: aperire beneficam manum, & implere omne animal benedictione. *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Eccl. 3.

XXVI. SEPTEMBRIS.

S. Nilus Abbas.

ACerrimus fuit hoſtis otioſæ loquacitatis, eámque non modò apud ſubditos ſibi Religioſos, ſed apud ſæculares etiam penitùs exterminare totô ſtuduit virium conatu. Aulicos Imperatoris docuit ex revelationibus variis SS. Patribus & eremi cultoribus factis, viam ad cœlum multò anguſtiorem eſſe communi & rudi hominum perſuaſione: nec ſolam ſufficere fidem & omiſſionem majorum criminum ad eam ſecurè decurrendam, ſed requiri prætera virtutem ſolidam in hominibus ſæculo deditis; in aliis vero DEO per religionis ſtatum devotis, ſtudium perfectionis ardentiſſimum. Multùm ſæpe temporis ſuppeteret ad iſtiusmodi ruminanda, nî magis placeret deperdere illud frivolis ſermocinationibus, quàm elocare in hunc queſtum.

SEN-

SENTENTIA.

PRopterea tibi os, & linguam dedit DEUS, ut DEO agas gratias, ut proximum ædifices. Quodſi ædificium deſtruas, melius eſt ſilere, & nunquam loqui. *S. Chryſoſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. O Quàm eximium eſt, quod de ſancta *Catharina Senenſi* refert Pius II. in Bulla Canonizationis: *nullum ab ea verbum non religioſum, non ſacrum excidit: omnis ſermo ejus de moribus fuit, de religione, de pietate, de contemptu mundi, de amore DEI & proximi, de cœleſti patria.* Sit hæc materies collocutionum, quas religioſis domibus indulget recreatio quotidiana horaria, & tam erit ibi *JESUS*, quàm fuit cum diſcipulis euntibus in caſtellum *Emmaus*.

II. Multùm de interno hominis ſtatu pronuntiat ſermo exterior: bonus enim de bono cordis theſauro profert bona, malus mala. *Sapor mentis in ſermone guſtatur*, inquit S. Paulin. in Epiſt. *Sermo viri mentis eſt ſpeculum: theſaurus pectoris publicatur eloquiô.* Religioſum ergo dicam, qui religiosè; levem, qui leviter; nequam, qui nequiter loquitur. Ars interim optima bene loquendi, eſt ipſa *loquendi parcitas*. Hinc Pythagoras *quinquennale* ſuis præcepit *ſilentium*, ut *non loquendo* loqui diſcerent. *Plures vidi loquendo in peccatum incidiſſe, vix quemquam tacendo.* S. Ambroſ. 1. de Offic.

III. Con-

111. Conversatio pressiùs sumpta, & quæ spectat familiarem consuetudinem, ab insigni quodam Ascetâ sic describitur: *facultas fructuosè colloquendi, cum dexteritate agendi, & suavitate morum, hominibus grata, quæ perducat ad meliora.* En, compendiò traditam, & loquendi, & conversandi methodum. Ut amicitias solvit *insaffabilitas*; ita ex opposito eas redintegrat & firmat sanctus hic, sanctè *loquendi & conversandi* modus.

XXVII. SEPTEMBRIS.

S. Elzearius Comes.

UT castitatem, ad quam unà cum *Dalphina* lectissima sua conjuge votô se obstrinxerat, servaret illæsam, crebris orationibus, frequenti sacratissimæ Eucharistiæ sumptione, jejuniis, eleemosynis, veste cilicinâ, flagellis, & aliis ejus generis austeritatibus hostem domesticum atterere continuò consuevit. Singulis ferè Sabbathis genios cœlestes spectabiles habuit, quibuscum familiarissimè conversatus est. Osculô sex leprosos mundavit. Virgini conjugi requirenti aliquando, quî viveret, ubivè moraretur? respondit, habitare se in aperto Christi latere. Ad extrema tandem perductus inquiit, magnos quidem esse dæmonum insultus, longè tamen majora merita Passionis amarissimæ Servatoris sui. Divino splendore circumdatus, & spiritû lætitiâ gestiens, purissimam suam animam DEO tradidit. Sic vivunt, sic moriuntur Virgines.

SEN-

SENTENTIA.

NUllum tam potens eſt, & tam efficax medicamentum contra ardorem libidinis, ſicut mortis Redemptoris mei memoria. *S. Auguſt. Manual. c. 32.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. GRande DEI donum fuit, quòd *Elzearius* & *Dalphina*, etſi ambo præſtanti formâ ac ætatis flore excellerent, tantô tamen virginitatis amore flagrârint, ut nihil minùs illorum unquam pulſaret animos, quàm voluptas conjugibus licita, ne quid cogites de vetitis luxuriæ ſordibus. Expenderint utique pretium caſtitatis, quod tam inſigne eſt, ſuosque cultores tam reddit illuſtres, ut dubitet aſceta nonnemo, num congregationem caſtorum dicere debeat chorum Angelorum humanorum, num verò cœtum hominum angelicorum?

II. Puritati ſervandæ media maximè congrua credidit *Elzearius* carnis mortificationes. Idem ſenſus fuit aliis omnibus, quibus decretum erat in finem usque caſtos, & virgines exhibere ſe Chriſto. Si carni comoditas omnis indulgeatur, quid mirum eam laſcivire? S. Hilarion fœdis aliquando cogitationibus pulſatus, ſuum corpus ſic compellavit: *equidem aſelle efficiam, ut non calcitres. Paleis te paſcam: fame, ſitique conficiam: gravi pondere opprimam: æſtu & frigore indurabo, ut cibum potiùs, quàm laſciviam cogites.* Vides, quô ſpectent mortificationes Religioſis uſitatæ?

III. Aliud

111. Aliud firmandæ caſtitati adjumentum dedit *Elzeario* continua Paſſionis dominicæ memoria. In patulo Salvatoris latere *Panopliam* habuit inſtructiſſimam, ad expugnandos omnes inimicos. Felicem te, anime mi, ſi has intrà latebras tanta cum voluptate deliteas, quanta cum *Elzearius*. Nihil in te poterit flamma cupidinis, ſic cor amore DEI patientis exæſtuet. Dic ergo de hac manſione: *hæc requies mea: hîc habitabo, quoniam elegi eam.*

XXVIII. SEPTEMBRIS.

S. Wenceslaus M.

TAnta fuit reverentia *Wenceslai* in Venerabile Sacramentum, & tremendum Miſſæ ſacrificium, ut non contentus frequenter ſervire ſacerdotibus divinum hoc myſterium celebrantibus, ſuis ipſe manibus triticum ſereret, regius Princeps, ad hoſtias neceſſarium, & vineas coleret, è quibus vinum ad ſacrificii uſum legeretur. Puritas integerrima tam familiarem angelis illum reddidit, ut hi ſæpiùs ſpectabili formâ clientis ſui latus ſtiparent. A *Boleslao* denique non tam fratre, quàm ſanguinario tyranno, dum noctu, ut à teneris conſueverat, precibus vacaret, velut alter *Abel* trucidatus, Virginum chorum Martyrii Candidatus adiit. Plurimi fructûs fœcunda parens eſt reverentia DEO, divinisque exhibita.

SENTENTIA.

NUlla major dignitas ſub cœlo quàm ſacerdos DEI, ad cœleſtia Sacramenta per-

pertractanda consecratus. *S. Aug. l. de Dogmat. Eccl.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SAcerdotes non secus quàm DEI in terris vicarios habuit *Wenceslaus*: nec aliud fecit, quàm quod dignum & justum est. Dux licet esset, ipsámque subinde regiam dignitatem ab *Othone* Augusto adeptus, credidit tamen sacerdotium longè latéque Monarchiæ omnis excedere splendorem ac excellentiam. O quam diversum à *Wenceslao* agunt, qui levissimis sacerdotum defectibus læduntur, ut non jam insectentur *vitia*, sed *personas*. Audiant qui tales sunt justam Gregorii M. strictúram: *si reum regiæ Majestatis, quamvis humanæ, humanis legibus capite plecti sancitum est: quis finis contemnentium divinam* (in sacerdotibus) *omnipotentiam erit?* 1. Moral.

II. At, inquiunt, ipsi sacerdotes se contemptibiles reddunt, dum statu suo tam indigna gerunt. Hic pannus est, quô suos passim contemptus palliant sacerdotum *Magystes*. Quàm tamen etiam hi vapulent à citato Pontifice, audiamus: *multos sacerdotum vita non læderet ipsi humiliter sacerdotum bonis admonitionibus aurem accommodarent: Sed hypocritarum more magnâ trabe vulneratos habentes oculos, eámque negligentes, festucam tenuem in aliorum oculis conspiciunt.*

III. Intereà tamen sacerdotibus curæ sit, suos sic componere mores, ut *forma gregis ex animo fa-*

Eti, vitæ inculpatæ exemplis non minus, quàm verbis, quæ facienda ſint, doceant. Secus enim impingent in illud D. Bernardi: *monſtruoſa res eſt, gradus ſummus, & animus infimus: ſedes prima, & vita ima: ſermo multus & fructus nullus: vultus gravis, & actus levis.* 2. de Conſid. c. 8.

XXIX. SEPTEMBRIS.

S. Quiriacus Anachoreta.

SPecialiter in hoc Eremicola reſplenduit virtus manſuetudinis. Hujus ductu adeò ſuos affectus rationis frœnô coercuit, ut nullius rei causâ unquam vel minimùm iraſci, indignari, aut conqueri fuerit deprehenſus: qui ſuaviſſimus animi ſtatus non modò vitam illius, quanquam inter continuas, easdèmque maximas auſteritates, promovit ad centum & ſeptem annos: verùm & deſuper promeruit imperium in miræ feritatis leonis, quem ſanctus *Anachoreta* non aliter, ac catellum, tractavit, horti inſuper cuſtodiam contra cœterarum animantium incurſus peragere fecit. Verè, quod Baſilius inquit, *pax & manſuetudo characteres ſunt animæ piæ.*

SENTENTIA.

REx noſter manſuetudine vicit diabolum; ſæviebat ille, ſufferebat ille: victus eſt, qui ſæviebat: vicit, qui ſufferebat. In iſta manſuetudine Eccleſia vincit inimicos. S. *Aug. in Pſ. 131.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. NIhil tam pulchrum, quàm animus sibi constans. Hôc à bestiis differimus, si perturbationibus non concutiamur. Turpis illa mens, quæ stagno similis, minimô etiam lapillô confunditur. Nesciunt hoc vitium, quibus *mansuetudo* in pretio est. Injuriis licet petantur, non murmurant, non voce vel gestu animi offensi turbas produnt, sed vel suavi responsô, vel præcisè silentiô docent injuriantes, didicisse se, *non resistere in malo, sed vincere in bono malum.*

II. *In mansuetudine*, monet Siracides, *opera tua fac, & super hominum gloriam diligêris.* Communis paræmia: *mitibus & gratis nemo nocere potest.* Imperium exercent in aliorum animos: nec est, qui non libenter illis cohabitet: cùm ex oppositô *pestis* instar vitentur, qui motibus iræ præoccupati, continuò tonant ac fulminant. *Tunc præcipua mansuetudinis laus, cùm iræ causa justissima.* Plinius Junior.

III. Denique inferentibus injuriam benefacere, *mansuetudinis* gradus est planè sublimis, & cum heroica fortitudine connexus. Sit enim *magna gloria*, ut Isidorus inquit l. 2. Soliloq. *si, cui nocere potuisti, parcas:* majus profectô quid est, gratiam injuriis rependere. Paucissimi obsequuntur Apostolo monenti, Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illam: si sitierit, potum da illi.* Quotquot tamen obsequuntur, DEUM æmulantur, qui, etsi continuis à nobis injuriis lacessitus, *solem suum oriri facit super bonos, & malos. &c.* quinimô, non communia solùm, sed specialia

etiam largitur beneficia, ut dicat Auguſt. *DEUS medicamentum eſt non ſano, regula eſt non plano, lux eſt tenebrato, habitatio eſt deſerto.*

XXX. SEPTEMBRIS.

S. Hieronymus, Eccleſiæ Doctor.

CUm aliquando gravi ac diuturnâ febri decumberet *Hieronymus*, jamque ex hac vita deceſſurus crederetur, raptus ad DEI tribunal inſigniter ab Angelo vapulavit, quòd majori cum guſtu ac mentis intenſione *Ciceronis* ſuadam melleam, *Quintiliani* acumina, *Plinii* lenitatem ſectaretur, quàm divinæ ſcripturæ myſteria. Dixerat ſe *Chriſtianum*, ſed à Chriſto audiit: *Ciceronianus es, non Chriſtianus.* Sapuit in tantùm ex illis, quas dorſo acceperat, plagis, ut ſtudiis profanis dorſum planè obverteret, ac rigidiſſimô vitæ genere ſe diſcrucians, explanationi ſacrorum codicum, procurandæ, quàm ſuæ tam aliorum ſaluti totum ſe dederet, etſi propterea plurima indies ab æmulis pateretur, quos non puduit pallàm criminari, *Marcellam*, *Aſellam*, *Albinam*, *Felicitatem*, *Paulam*, *Euſtochium*, & alias hujusmodi Matronas ac Virgines Romanas, non aliô fine conveniri ab *Hieronymo*, quàm lucri, & amoris inhoneſti causâ. Si frivolis hominum rumoribus moveâre; ut nunquam illis maledicendi materies, ſic & nunquam tibi deerit perturbationis.

SENTENTIA.

PAllebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante homi-

mi-

hominem ſuâ jam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. *S. Hieronym. Ep. 22. ad Euſtoch.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. REprehendit *Hieronymum* Vigilantius hæreſiarcha, velut hominem timidum, quòd ad vitandum occaſiones lubricas, in eremum ſeceſſiſſet: ſed hanc ſuam fugam ſolidis rationibus excuſat *Hieronymus*, & eâ maximè, quòd etiam in ſtricto illo ſeceſſu nunquam feriari ſibi licuerit à conflictu continuo. Ipſum audiamus: *horrebant ſaccô membra deformia, & ſqualida cutis ſitum æthiopicæ carnis obduxerat &c. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum, ſæpe choris interveram puellarum.*

II. Si pallentia jejuniis ora; ſi corpus fame præmortuum *Hieronymum* non penitùs exemerunt à moleſtiſſima illa luctâ: quî victoriam ſeriò ſibi ſpondebunt, quotquot *commeſſationibus & ebrietatibus* hoſtem domeſticum robuſtiùs contra ſe armant? quodſi enim *gula*, ut adnotat Ambroſius, *primum* ſit *diaboli ſpiculum:* quî iſti excutiendo medium opportunius erit *abſtinentiæ* ſcutô? *fames amica eſt Virginitati, inimica laſciviæ: ſaturitas verò prodigit caſtitatem, nutrit illecebram.* S. Ambroſ.

III. *Abſtinentiæ* fervens *orationis* ſtudium addidit *Hieronymus.* Novit nimirùm, his potiſſimùm ejici genus illud dæmoniorum. *Scivi*, inquit Sapiens, *quoniam aliter non poſſem eſſe continens,*

nens, niſi DEUS det: & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire, cujus eſſet hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum illum. Sap 8. Vides, quàm *oratio* & *jejunium* conducant expugnandæ libidini. DEO itaque ſupplica: *continentiam jubes: da quod jubes, & jube quod vis.* S. Aug. l. 19. Conf. c. 29.

FESTA OCTOBRIS.

I. OCTOBRIS.

S. Franciſcus Borgias.

PRimùm *Gandiæ* Dux, tum Societatis JESU inſtitutum amplexus, tertius Generalis eidem Societati præfuit. Cùm in aula Hiſpaniæ Regis degeret, caſtitatis & innocentiæ tam ſeverus extitit cuſtos, ut illuſtre gynecæum nunquam adiret, niſi veſte cilicinâ tectus. A *Carolo V.* primùm Marchio *Lombayæ*, tum *Catalauniæ* Prorex creatus, fidelem egit miniſtrum. Ad altiora ſubinde vocandus, diviná providentiâ ſic diſponente, ex conſpectu demortuæ imperatricis *Iſabellæ*, quæ pulchritudinis anteà fuerat prodigium, deformi cadavere, tantô horrore perculſus eſt, tantámque concepit rerum ſæcularium nauſeam, ut auſu magnanimô ſtatum Religioſum ampliſſimis dignitatibus præhabens, recens tum natæ Societati nomen daret: in qua tanta fuit vitæ illius perfectio, ut ſingulæ ejus actiones totidem ad ſanctitatem paſſus eſſent. Horis ſingulis conſcientiam ſuam diſcutere, bisque de die ſua confiteri errata con-

consuevit. Sanctissimâ demum morte defunctus, à Clemente X. sanctorum fastis adscribi meruit. Nullus labor nimius, qui purificandæ impenditur conscientiæ.

SENTENTIA.

OPortet nos vitæ nostræ expensores esse, nec leviter; sed exactâ curâ probare, quæ nobis gesta sunt. *S. Chrysost.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. Vltam animæ à morte imperatricis auspicatus est *Borgias*. O quàm fœcunda est lectio, & sancta Philosophia *mortis* assidua *Meditatio!* sanè non alii sanctiùs vivunt, quàm qui vivunt, velut quotidie morituri. Dicicit *Borgias*, aliò aliquando sibi transeundum, ubi vidit *Isabellam*, pulchritudinis, dum viveret, prodigium, in tam tetram desiisse larvam. Verè Seneca: *detrahentur tibi hæc circumjecta, novissimum velamentum tui, cutis, detrahetur caro, & suffusus sanguis discurrens per totum: detrahentur ossa, nervique, firmamenta fluidorum, ac labentium.*

II. Tantam conscientiæ curam habuit *Borgias*, ut eandem non in dies tantùm, sed & in horas discuteret. Causa, quare sordibus sordes accumulemus, est, quia excessus quotidianos emendare negligimus. Et, qui emendari possint sine discussione seria? *diligenter examina conscientiam tuam, & pro posse tuo verâ contritione, & humili confessione eam nuda, & clarifica.* Thom. Kemp. de Imit. l. 4. c. 7.

III. Turpe profectè est, Christianum hoc in puncto Ethnicis esse inferiorem, quos inter Seneca Conscientiæ discussionem sic docet: *animus quotidie ad reddendam rationem vocandus est. Utor hâc potestate, & quotidie apud me causam dico, cùm subiatum est è conspectu lumen, totum diem mecum scrutor, dicta ac facta remetior: quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? quâ parte melior es? nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Et quare quidquam ex erroribus meis timeam, cùm possim dicere: vide ne istud ampliùs facias: nunc tibi ignosco.*

II. OCTOBRIS.

S. Leodegarius, Episcopus, Martyr.

PEr omnem vitam purissimus vixit ab incontinentiæ sordibus. Episcopatum *Augustodunensem*, quem solitudinis amore abdicaverat, resumere coactus, hostem capitalissimum expertus est *Hebronem* præfectum regium, cujus jussu privatus oculis, perque acutissima saxa decurrere compulsus, totò insuper vultu deformatus, linguâ etiam, nasò, & labiis mutilatus, adeò tamen non deperdidit invictum animi robur, ut summas optimo DEO referret gratias. In silvam denique à quatuor sicariis abductus, & crudeli morte ibidem confectus, cœlos petiit, Episcopus, & Martyr, fortitudinis ac patientiæ prodigium, altérque velut *Jobus* Ecclesiæ Gallicanæ. *Perfer & obdura: dolor hic tibi proderit olim.*

SEN-

SENTENTIA.

PRetiosa mors sanctorum: pretiosa planè, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus. *S. Bernard.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *OMnes qui volunt piè vivere in Christo JESU, persecutionem patientur.* Calicem Domini bibamus oportet, si cum eodem intrare ad gloriam velimus. Non turbetur ergo cor nostrum, neque formidet. Respiciamus ad Christi, & Martyrum exempla: & qui præmii participes esse cupimus, passionis consortium non recusemus. Patiamur verò, quantum, & quamdiu nos pati vult DEUS. Patiamur autem non cum murmure, sed gratiarum actione. *Voluntariè DEO sacrificavit, qui inter angustias passionum jugiter gratias agit.* Cassiodor.

II. Luculentum fuit prodigium, quòd exsectâ etiam linguâ locutus sit *Leodegarius.* DEUS amara dulcibus miscet, nec plura ferre nos patitur, quàm cum ipsius adjutorio possimus. Creaturam omnem suo sub imperio continet, ut nulla plùs possit, quàm is posse eam velit. Quid potuit ignis Babylonicus in tres pueros? quid famelici leones in *Danielem?* siquid ergo patiamur à creaturis, DEUM afflictionis causam cogitemus: nec jam grave nobis accidet, sed jucundum, patiendo conformari Christo patienti.

III. Subitâ morte scelus suum luerunt *Leodegarii* persecutores. Agit DEUS, quod parentes.

tes. Virgam, poſt caſtigatos filios, in ignem abjicit, filiis verò hæreditatem ſervat. Quàm parùm firmi ſunt animi, qui ad inſultus quoslibet ſequiores dicunt: *Dominus oblitus eſt mei.* Iſa. 49. *Magna opera Domini*, ait Auguſtinus, *exquiſita in omnes voluntates ejus, ut mirâ & ineffabili modô non fiat præter ejus voluntatem, quod tamen fit contra ejus voluntatem.* T. 3. Ench.

III. OCTOBRIS.

S. Gilbertus Abbas Canon. Præmonſtratenſis.

LUdovico ſeptimo Galliarum Regi ſtrenuum ſe militem probavit *Gilbertus.* Ad ſanctiorem tamen militiam vocatus à DEO, tergiverſatus non eſt, non ab eximia generis nobilitate, non à divitiis præpediri potuit, ſed unàcum lectiſſimâ conjuge *Petronilla*, & filia *Pontia*, ſacrum Canonicorum Præmonſtratenſium inſtitutum amplecti ſtatuit. Anteà tamen quàm id ageret, ampliſſimum ſuis ſumptibus Noſocomium extruxit, cujus curatorem ipſemet agens, eâ infirmis charitate deſerviit, ut fædiſſima etiam leproſorum ulcera ſuis extergere manibus, imò & oſculari non formidaret, quiâ humilitate meruit ſuâ quandóque ſalivâ, velut præſentiſſimâ medicinâ, eadem ulcera perſanare: aliàs verò aliis mederi morbis aſperſione aquæ benedictæ. Sibi denique uni ac ſuæ ſaluti proſpecturus, aſſumptô Candidi Ordinis habitu, in Cœnobio *novem fontium* à ſe extructo primum Abbatem egit, cùm *Petronilla* diu anteà ſanctorum *Gervaſii* & *Protaſii Parthenoni* Antiſtita præſidere cæpiſſet. Ampliſſimam utique

que misericordiam fuerit consecutus tam misericors miserorum pater.

SENTENTIA.

Misericordia est animi condolentis affectus, cum additamento beneficii, ut compatiamur de proximo, & largiamur de proprio. *S. Augusti.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. A Deò sibi DEUS complacet in *misericordiæ* operibus, ut vix aliorum videatur meminisse. *Quòd Abel passus sit*, verba sunt S. Chrysologi, *quòd mundum Noë servavit; quòd Abraham fidem suscepit; quòd Moyses legem tulit; quòd Petrus crucem resupinus ascendit, DEUS tacet, & hoc clamat tantùm, quòd dedisti manducare pauperi.* Causam porrò subdit: *quid hoc aliud, quàm quòd fames pauperis esuries fuerit judicis.* Vides, quocum res tibi sit, si miseris benefacias?

II. *Gilbertum*, & mille alios ad misericordiam permovit optimi DEI exemplum. Misereatur iste non hominum tantùm, sed etiam *jumentorum*, quando his *dat escam illorum.* Quàm etiam plena compassionis fuêre illa Christi verba! *Misereor super turbam.* Marci 8. His sanè verbis aliquando permotus, sic fuit *Alexander. V. Pont. Max.* ut continuò scutorum aliquot millia pauperibus erogari juberet. His item inducta verbis *Theodosii* conjux *Placilla*, nullô non die *Xenodochia* adiit, ut miseris, imperatoriis ipsa manibus necessaria ministraret.

III.

III. *Misericordiam* igitur plùs quàm *sacrificium* volenti DEO, seduli obsequamur, hoc identidem cogitantes: *Misericordiam* ipsum hunc DEUM è cœlis in terras abstraxisse, ac mortalitatis saccô indutum, similem nobis effecisse, demptô solùm peccatô. Tutò nitamur D. Augustini pollicitatione, quâ eleemosynario cuique spondet: *da modica, & accipe magna. Vide, quàm latè crescat fœnus tuum! da temporalia, accipe æterna: da terram, accipe cœlum.* Dic, sed veraciter, cum Paulo: *quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. Cor. 11.

IV. OCTOBRIS.

S. Franciscus Assisias.

TAnti fecit paupertatem *Franciscus* Seraphicus, ut vix alio eam nomine dignaretur, quàm *Dominæ* suæ. Panem ostiatim mendicare, seminudum incedere, tam illi fuit volupe, ut sanctè doleret, si quod mendicabulum offenderet, viliùs, quàm ipse esset, vestitum. Sæcularis adhuc, nulli unquam pauperi per Christi amorem petenti, quidpiam denegabat, quâ liberalitate maximam patris iram quamquam incurrisset, non tamen destitit inopiam divitiis præferre, & in sanctæ paupertatis amplexus ruendo, pauperem Christum æmulari. Denique per institutum abs se fratrum minorum Ordinem pauperum pater effectus, occasionem dedit cuidam exclamandi: *felix paupertas, quæ unius ductu tantùm profecit, ut in hac vita, quâ vivimus, penè plures sint, qui eam sponte colant, quàm divitias mirentur!*

SEN-

SENTENTIA.

PAupertatem DEI filius concupiſcens, deſcendit, ut eam eligeret ſibi, & nobis ſuâ æſtimatione faceret pretioſam. *S. Bernard. ſerm. 1. de Vigil. Nativ. Dom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn ſolùm nobis temporalibus renuntiavit, amore DEI, *Franciſcus*: verùm, quod perfectiſſimum, affectui etiam omni ad illa. Nihil tam illi charum fuit, ut vilium delectus: hinc nulla cibi & potûs, nulla veſtitûs cura. *Delicata paupertas eſt, quæ nihil deeſſe ſibi patitur:* delicata, inquam, eſt: & primis religioſorum Ordinum quàm inſtitutoribus, tam profeſſoribus planè ignota. Bene tamen hæc alia, de qua Albertus M. in parad. Anim. *Paupertas*, inquit, *vera & perfecta eſt, nihil præter ſolam neceſſitatem poſſidere, eâdemque neceſſitate indignum ſe putare.* c. 5.

II. Habent hoc *pauperes ſpiritu*, quòd ipſorum jam nunc ſit regnum cœlorum. Hæreditas, ſanè, opulentiſſima, & merces magna nimis. O quàm felices, apud quos locum non habent *meum* ac *tuum*, frigida illa verba! qui ſuaviſſimæ DEI providentiæ velut indormiunt, planè, & plenè ſoluti temporalium curis, DEO ſe totos committunt, iſtique fidenter dicunt: *propter nomen tuum deduces me, & enutries me.*

III. *DEUS meus & omnia!* hic *Franciſci* theſaurus erat, & omnis opulentia. S. Ignatius, Societatis JESU fundator, DEO indies ſic ſupplica-

re

re consuevit: *amorem tui solùm cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis.* Nullius nimirum indiget, qui DEUM habet. Dixerat Seneca. *Paupertas nulli malum est, nisi repugnanti.* Novisset hanc, de qua loquimur, dixisset: *quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria: nec pauper est, qui non inbiat alieno, qui DEO dives est.* Minut.

V. OCTOBRIS.

S. Placidus M.

SEptennis puerulus, à *Tertullo* parente, Romano, & Senatorii Ordinis viro, *Benedicto* in disciplinam traditus, parvo temporis impendiô tantum sub hoc magistro profecit, ut adolescens adhuc insigne veteranis exemplum esset solidæ virtutis. Cum hoc sanctissimo suo parente apud *Sublacum* per quinquennium commoratus, subinde ad *Cassinense* Monasterium transiit, ubi cùm justô novenniô vitam in omni sanctitate & continuo præclarissimarum virtutum exercitio decurrisset, à sanctissimo Patriarcha in *Siciliam* directus, apud *Messanam* in suo patrimonio monasterium construxit, cui cum per annum Abbas præfuisset, annô ætatis suæ vigesimô sextô, sub sævissimo Rege *Abdala*, & Piratâ *Manucha*, cum duobus fratribus *Euthychio* & *Victorino*, ac *Flaviâ* sorore Virgine, *Fausto* & *Firmato* Diaconis, & Monachis triginta, ob Christi fidem crudelissimè interemptus, sacerrimi Ordinis Benedictini *Proto-Martyr* esse meruit. Sic ex bonis initiis non nisi jure sperantur progressus itidem boni.

SEN-

SENTENTIA.

SI ætatis defectum indolis magnitudine, morúmque maturitate ſuppleveris, nullus jam te adoleſcentiæ causâ contemnet, verùm admirabitur magis. *S. Joan. Chryſoſt. Homilia 13. in Epiſt. ad Timoth.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. S. *Placidus*, quod vitæ illius ſcriptor memorat, juvenis adhuc Religioſus, *curſu præpete cœleſtem tendens ad patriam, ardua & ſanctiora appetere non deſinebat, noctibus, atque diebus, horis ac momentis, ea quæ DEI ſunt, quærere non ceſſabat.* His calcaribus ſuum acuunt curſum, quibus cum *Placido* fixum ſtat, ſolidam in brevi conſequi ſanctimoniam. Acclivis admodùm ſit via ad virtutem, eâ tamen non terrentur illi, qui myſtica *Ezechielis* animalia imitati, eò tendunt, quò ducit *impetus ſpiritûs.*

II. Mira fuit obedientia *Placidi*, & talis, quam *Benedictus* inſigni etiam miraculô orbi manifeſtam voluit. Sanè & ſanctè ſentiunt, qui credunt, non defuturam ibi aliquam virtutem, ubi *obedientia* viget. *Totam intermediam Chriſti vitam, quæ eſt inter oſtenſionem ætatis, & tempus Baptiſmi, velut immunem alicujus famoſi & publici miraculi, & doctrinæ, Evangeliſta ſub uno verbo colligit, dicens: & erat ſubditus illis.* S. Gregor. in Catena.

III. Miracula, quæ mortali adhuc in carne patravit *Placidus*, innumera propemodùm ſunt. Nullus fuit morbus tam pertinax, quem vel crucis

ſigno

ſignô confeſtim non fugaret. Impletum in illo Chriſti vaticinium : *qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Si ipſe miracula non opereris, Auguſtini tamen dictum nota : *omni miraculô, quod fit per hominem, majus miraculum eſt homo.* l. 12. de Civit. Cætera enim *miracula*, uti notat S. Gregor. *ſanctitatem oſtendunt, ſed non faciunt.* Homil. 29. in Evangel.

VI. OCTOBRIS.

S. Bruno Conf.

NOluit DEUS *cujus natura eſt bonitas, cujus opus miſericordia*, Brunonem inter ſæculi vanitates cum ſalutis amittendæ periculo ætatem deterere, ſed tempeſtivè ad frugem perducturus, horribili oſtentô percelluit, quô is *Bruno*, cum plurima hominum frequentia, litteratum aliquem *Pariſiis*, qui vulgò pro homine bono ac pio habitus, revera ſimulator fuerat, audiit ſuámet ſeſe confeſſione primùm juſto DEI judiciô *accuſatum*, tum *judicatum*, denique *damnatum* vociferantem; tantum enim movit hic tragicus eventus *Brunonis* animum, ut unàcum ſex ſociis mundo æternùm valedicturus, intrà ſolitudinem aſperrimorum montium, quos *Carthuſianos* Gratianopolitani dixerant, ſeſe abderet, ſicque *Carthuſianorum* Ordinis fieret auctor. *Utinam* ſic mortalium ſinguli *ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent!*

SEN-

SENTENTIA.

VÆ mihi misero, cùm venerit dies judicii, & aperti fuerint libri conscientiarum, cùm dicetur de me: *ecce homo & opera ejus.* Quid faciam tunc, Domine DEUS meus! cùm cœli revelabunt iniquitatem meam, & adversùm me terra consurget? *S. August. Meditat. c. 39.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DOlendum profectò, quòd cùm *David*, vir secundùm cor DEI, supplex instantissimè DEUM precetur, *non intres in judicium cum servo tuo.* Ps. 142. Nihilominus filii hominum in tanto salutis suæ discrimine tam horrendè cœcutiant. *O gens sine consilio & sine prudentia! utinam saperent damnatorum multitudinem, salvandorum paucitatem, temporalium rerum vanitatem; intelligerent peccatorum multitudinem, bonorum omissionem, & temporis amissionem; providerent mortis periculum, extremum judicium, & æternum supplicium.* S. Bonavent. opusc. de cont. sæculi.

II. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcûs.* Psal. 59. Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Scimus cœlô ejectam *Luciferi* superbiam: desperatione punitam *Judæ* proditoris avaritiam: imbre sulphureô purgatas *Pentapolitanorum* libidines: castigatam æternis jejuniis *Epulonis* evangelici gastrimargiam: novimus hæc, & sexcenta alia: ubi tamen ipsorum

rum horum criminum fuga? *quid metuet, ſi quis ad iſta non trepidat? non expaveſcit? non timore concutitur?* S. Bernard.

III. Potuit hic Doctor hominum oculis imponere, non DEI. Iſti nimirum rimantur hominum *corda in abſconditas partes:* illi ſolùm attingunt externam rerum ſuperficiem. *Quò ibo à ſpiritu tuo*, quærit David, *& quò à facie tua fugiam?* Pſ. 138. Laborant grandi nimis ſtultitiâ, qui vigilem DEI oculum non reveriti, peccata peccatis addunt, non facturi, ſi crederent Ambroſio dicenti: *ipſe DEUS eſt teſtis, & judex, quem nulla conſcientia peccatrix effugere poteſt.* in Orat.

VII. OCTOBRIS.

S. Oſitha, V. & M.

OSitha regiis natalibus ex nobiliſſimo *Anglorum* ſanguine prognata, pueritiam tam innocenter decurrit, ut in tantilla ætate cenſeri jam poſſet abſolutum virtutis exemplar. Sanctæ *Moduennæ* Abbatiſſæ religioſiſſimæ in diſciplinam tradita, cùm caſu aliquando pontem tranſiens lubricante veſtigiô in præterfluentem decideret, ac continuò trudentibus undis in profundum abriperetur, poſt tertium tamen diem hujus venerabilis Abbatiſſæ ſuæ vocibus evocata, incolumem ſe ſtitit. In fidei odium a *Danorum* principe capitis damnata, caput reſectum ſuis ipſa manibus ſuſtulit, & per tria ferè ſtadia ad usque Baſilicam Archi-Apoſtolorum deferens, ibi concidit. Homini cuidam, quem ex præſentiſſimo mortis diſcrimine ſuis precibus ſalvum fecerat, glorioſa apparuit,

eun-

Digitized by Google

eundémque graviter redarguit, quòd propoſita, durante morbô, benè concepta, iterum incolumis exequi neglexiſſet. Commune mortalibus eſt vitium, multa proponere facienda, & minimùm facere eorum, quæ ſunt propoſita.

SENTENTIA.

NUllus unquam in virtutibus profectus ſperandus eſt, ſine fideli conſtantia ac perſeverantia: nam virtutes non natura, ſed uſus facit. *S. Bernard. l. de conſid. c. 11.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VErè Auguſtinus: *non eſt magnum incboare quod bonum eſt, ſed conſummare, boc ſolùm perfectum eſt.* Hoc perſeverantiæ ſtudium ad perfectionem denique promovit Virginem *Oſitham*, quando hæc nihil ſic cavit, quàm, ne, mortalium plerorumque more, jam vellet, jam nollet. Hoc interim vitium quàm frequens eſt, tam etiam eſt ferax damni plurimi. *Illi, qui ex aliis propoſitis in alia tranſiliunt, aut ne tranſiliunt quidem, ſed caſu quôdam tranſmittuntur, quomodo habere quidquam certum, manſurumve poſſunt, ſuſpenſi, & vagi?* Seneca Epiſt. 23.

II. Solent, qui gravi affictione premuntur, forti conamine ad DEUM conniti: hinc vitæ melioris propoſita prorſus grandia. Ubi tamen DEI indultu ſors melior rediit, redit unà etiam prius teporis olidi vitium. Quis ambigat in ejusmodi rotundè cadere illud, quod feſtivè nonnemo luſit in eum, qui *ſtultitiæ princeps*, ab originis exordio

ut luna mutari consuevit: *dæmon languebat, monachus tunc esse volebat: ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.*

III. Retardant aliquando propositorum executionem difficultates, quas sibi fingunt, qui ad pigri illius morem *volunt, & non volunt*: atque eò pactô fit illis occasio ruinæ, quod perfectionis esse debuerat. Nôrunt nimirum virtutis amantes, tantò ampliora fore in cœlis præmia, quantò hîc major fuerit laborantium contentio. *Constituendum est*, inquit Seneca. l. c. *quid velimus, & in eo perseverandum.* Et S. Paulus: *bonum facientes non deficiamus: suò enim tempore metemus non deficientes.* ad Galat. 6.

VIII. OCTOBRIS.

S. Pelagia Pœnitens.

UNa *S. Nonni* Antistitis *Edesseni* concio *Pelagiæ* animo potenter illapsa, eam ex meretrice, castitatis amantissimam; ex diaboli visco, nobilissimum pœnitentiæ reddidit exemplar. *Antiochiam* non alia unquam pestis tam miserè corruperat, quàm perdita scorti istius lascivia, quâ non ipsa modo in æternum abripi exitium, sed numerosissimos insuper juvenum greges eò secum abducere tamdiu nitebatur, dum DEI miserentis clementia, cui quàm omnium, tam singulorum hominum salus in pretio est, paternâ manu sustineret præcipitem: quam quidem gratiam singularem adeò non passa est in se vacuam esse *Pelagia*, ut salutari fonte renata, incunctanter Jerosolimam pergeret, atque speluncâ in olivarum clivo sibi delecta, magnâ

nâ deinceps aſperitate virili habitu tecta, vitæ reliquum in rigidis pœnitentiæ operibus viriliter decurreret. Hâc mutatione facilè corriguntur vitæ prioris obliquitates.

SENTENTIA.

SIcut torrens diverſa obſtacula diruit, ſic lacryma ferventis deſiderii omnia peccata diluit, omnia tormenta contemnit, & curſum ſuum ad DEUM peragit, usque dum perveniat ad aſpectum DEI. *Hugo Card. in c. 9. Jeremiæ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VIderat S. Nonnus Pelagiam cultu meretriciô ſuperbiſſimè comptam: & amaris diffluens lacrymis, *quantum eſt*, inquiit, *ô quantum eſt, quod impudens hæc mulierecula agit componendo & excolendo corpori ſuo, idque ut incautos in perniciem trahat: quantillum verò, & quàm modiciſſimum eſt, quod nos ornandis miſeris animabus noſtris præſtamus, ad placendum ſponſo noſtro immortali!* verè & conformiter iſtis dixit nonnemo: magnam in brevi gratiam apud DEUM nos inituros, ſi mediam ſolùm partem eorum hujus amori impenderemus, quæ mundi favoribus ſibi conciliandis agunt illius amatores.

II. Feſtivum angeli gaudium conceperunt ex inſigni *Pelagiæ* converſione, quâ non modò ſordes priores eluit, ſed novum inſuper ſplendorem induit. Ea nimirum vis eſt *Pœnitentiæ tempeſtivæ*, ut non modò culpas & harum reliquias deleat,

ſed divinos inſuper favores plurimùm augeat. Hinc una illa & continua præcurſoris dominici concio: *pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.*

III. Neque tamen iſta *Pelagiæ* pœnitentia fuit vel momentanea, vel alternis relapſibus interrupta, ſed in ultimam vitæ periodum perſeverans. Quàm in oppoſito hæſerit olim Auguſtinus, ex ipſomet audiamus: *dicebam*, inquiens, *apud me intus? ecce, modò fiat, modò fiat: & cum verbo jam ibam in placitum: jam penè faciebam, & non faciebam: nec tamen relabebar in priſtina, ſed de proximo ſtabam & reſpirabam. Retinebant me nugæ nugarum, &c. & ſubmurmurabant: dimittisne nos?* Conf. 8. c. 11.

IX. OCTOBRIS.

S. Dionyſius Areopagita M.

ANnos quinque & viginti natus omni doctrinæ genere adeò fuit inſtructus, ut *Athenæ* civitas omni ævô à præſtantia litterarum atque artium famoſiſſima, vix aliô magis tum temporis gloriaretur, quàm ſuô *Dionyſiô*. Reductus ab Apoſtolo Paulo ad unius & veri Numinis agnitionem, ſubindéque etiam Athenienſium Epiſcopus creatus, multa tam voluminibus, quàm differentibus ad diverſos Epiſtolis edidit, atque in commendandâ potiſſimùm cœleſtis patriæ beatitudine tam recondita ſcripſit, ut jure ab omnibus hodiéque audiat princeps Doctor Theologiæ myſticæ. Fidei denique causâ, poſt repetitas verberum & ferrei atque ardentis lecti perpeſſiones, obtusâ ſecuri

curi percuſſus, ſacrum ſuum caput manibus ſublatum duo ferè millia paſſuum ad usque locum ſepulturæ deportavit: animam verò cœlo transmiſit, pretioſis Doctorum & Martyrum Laureis coronandam. O quantæ præſtantiæ res eſt, doctrinâ ſimul & pietate excellere!

SENTENTIA.

SOl non omnibus, quibus lucet, etiam eos calefacit; ſic ſapientia multos quos docet quid ſit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Aliud eſt multas divitias ſcire; aliud eſt poſſidere: nec notitia divitem facit, ſed poſſeſſio. *S. Bernardus ſuper Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UTi in ſcholis variæ ſunt diſcentium claſſes, profectus varii: ſic varii etiam ſunt fines. *Sunt qui ſcire volunt*, inquit S. Bernard. *eò tantùm fine, ut ſciant: & turpis curioſitas eſt.* Et *ſunt qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant: & turpis quæſtus eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi: & turpis vanitas eſt.* Et *ſunt, qui ſcire volunt, ut ædificentur: & prudentia eſt.* Anne vides, in diverſis hiſce claſſibus non ſapere, niſi poſtremos?

II. *Fuerunt quidam Philoſophi* (verba ſunt S. Auguſtini Tract. 45. in Joan.) *de virtutibus & vitiis ſubtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinantes, acutiſſimè concludentes, libros implentes, ſuam ſapientiam buccis concrepantibus*

Digitized by Google

ventilantes: hi tamen aliam insignis suæ scientiæ mercedem non acceperunt, quàm putidissimos hominum plausus. Quòd enim DEUM eô modô, quô cognoverunt, non glorificassent, *evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* ad Rom. 1. Hâc clausulâ finit scientia, charitate DEI destituta.

III. Acriter, qui tales sunt, à Christo perstringuntur apud D. Birgittam l. 1. Revel. c. 19. *Magis peccant*, inquit Salvator, *contra me, qui nunc dicuntur sapientes: ego enim dedi eis sensum & intellectum & sapientiam, ut me diligerent: sed ipsi nihil, nisi ad suam utilitatem temporalem intelligunt.* O, quàm olim præstabit cum *Paulo Simplice* rudem fuisse, quàm cum multis millibus *scientiâ inflatis* præcipitem abiisse *in gehennam ignis!*

X. OCTOBRIS.

S. Serbonius Episcopus.

ODerat hunc *Populoniensium* Antistitem *Totila* Gothorum Rex, more impiis familiari. Et quia perditum cupiebat, urso devorandum objecit. Verùm bestia Regem cum suis feritatem dedoctura, contra spem omnium deflexâ cervice, submissoque humiliter capite, adblandiri venerando Præsuli, illiúsque pedes lambere non destitit; quæ bestiæ humanitate non modò confertissima populi turba, quæ ad spectaculum confluxerat, sed & ipse Rex cum suis aulicis saniora edocti, sanctum deinceps impensè venerari cæperunt. Corpus illius exanime, cùm ab *Helba* insula *Populonium* usque per duodecim milliaria navi deveheretur,

retur, cœlô tum maximè pluviô, adeò tamen siccum permansit, ut nec ipsum, nec navicula ullâ pluviæ guttulâ tactum fuerit. Mira profectò sunt, quæ operatur DEUS in sanctis, & circa sanctos suos.

SENTENTIA.

QUi habuit curam tui antequam esses, quomodo non habebit curam tui, cùm jam hoc es, quod voluit ut esses? *S. August. in Ps. 39.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. METuerunt alii *Serbonio* mortem, & lanienam crudelissimam: ipse verò ad occursum ferocissimæ bestiæ, non magis expavit, quàm catelli. Noverat nimirum, *Providentiam DEI* tam esse pervigilem, ut sine hujus annûtu nec folium ab arbore decidat. Turpe est, credidisse gentiles, quod vix non in dubium vocant Christiani: *ideo*, inquit Seneca, *fortiter omne ferendum, quia non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt.* de Provid. c. 5.

II. Magis DEI Providentiam commendat, quòd noverit mala ab electis non tantùm avertere, sed ex ipsis etiam malis bona elicere. An non enim *Totilæ* propositô, licet pessimô, usus est DEUS, ad docendum Regem, & subjectum illi populum Christianæ humanitatis sensum? an non sceleratis filiorum *Jacob* machinationibus, ipsôque perfidissimæ venditionis actu usus est, ad exaltandum *Josephi*? abjecti itaque est animi, & imbecillitatis fœmineæ, qui de divina Providentia passim diffidens, *ibi trepidat timore, ubi non est timor.*

III. Facit porrò amor, quô ſuos DEUS proſequitur, ut iis tum maximè provideat, ubi humana deſperantur auxilia. *Qui vos tetigerit*, comminatur apud Zachar. c. 2. *tangit pupillam oculi mei.* Graviter ulciſcitur injurias electis ſuis illatas: eô tamen tempore, quô ipſe vult. Interim verò ſuos auri inſtar exerceri patitur in camino afflictionis. O quantùm in virtutibus proficeremus, ſi animo profundè impreſſa hæreret iſthæc doctrina! *ne poſtules*, inquit Epictetus documento verè Chriſtiano, *ea quæ fiunt, arbitratu tuo fieri, ſed, ſi ſapis, ita fieri quæque velis, ut fiunt.* Enchiridii c. 13.

XI. OCTOBRIS.

S. Jacobus Alemannus.

QUàm felix hodie foret *Ulma* Suevorum, ſi poſthabitis, & ejuratis *Lutheri* inſaniis, eam profiteretur fidem, quam tenuit, dum *Jacobum* hunc civem habuit! ſæcularem aliquamdiu militiam ſecutus fuerat, quando ſtatûs inquietiſſimi pertæſus, alia inſtituendæ vitæ agitare conſilia cœpit. Commodùm deliberanti occurrit *D. Dominici* inſtitutum, tum temporis florentiſſimum, cui poſteaquam nomen dedit, nihil prius habuit, quàm, ut egregiis animum virtutibus, & ſanctitate religioso dignâ excoleret, id quod non multô temporis impendiô favente Cœlitum Reginâ, cui addictiſſimus vixit, feliciter eſt conſecutus. Vidit aliquando dæmones inſolitâ lætitiâ geſtientes, quòd alterâ die rixas in urbe ſuſpicarentur, ſine cædibus ac damnis vix deſituras. Sed interrupit

Jaco-

Jacobus multâ precum assiduitate intempestivum hoc gaudium, unáque obtinuit exulceratos civium animos ante fatalis illius diei exortum mutuò sibi reconciliari. Væ illis qui suâ culpâ dæmoni plausum, Angelis luctum faciunt!

SENTENTIA.

COntentiones à principio quidem exiles esse solent, & facilè curantur: at procedente tempore auctæ, insanabiles omnino evadunt. *S. Basilius Orat. 9.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. LIquidum latentis in animo stultitiæ signum est, de facili rixari. *Labia stulti*, inquit Sapiens, *miscent se rixis, & os ejus jurgia provocat.* Prov. 18. Videtur hoc malum initiò tenue: sensim tamen sic invalescit, ut crebrò non verbis tantùm stet pugna, sed ab his ad arma & manus res veniat. Eô casu palmare diabolis gaudium creatur, non aliâ re magis delectari solitis, quàm scissurâ animorum. Cum nemine igitur miscenda jurgia, sed observandum Senecæ pronuntiatum: *cum pare contendere anceps est: cum inferiore sordidum: cum superiore furiosum.* l. 2. de Ira. c. 34.

II. Sed lacessit aliquando adversarius, & velut vi ad rixam trahit? conatur id quidem: nihil tamen efficiet, nisi furoris socium ultrò præstare te volueris. Stolidum est inter Christianos fieri, quod inter bruta: ut, velut latrante unô cane latrant reliqui: sic litigante unô, litiget & alter.

Pun-

Pungat adverſarius quantum vult: quid nocet? *quid ſunt verba, niſi verba? per aërem volant, ſed lapidem non lædunt.* Thom. Kemp. de Imit. l. 3. c. 46.

III. Ut litigioſo efficaciter reſpondeas, omnino tacendum eſt. Hâc viâ, non aliâ, victor eris. *Malum hominem tacendo, & locum dando, meliùs vincis, quàm reſpondendo: quia malitia non inſtruitur ſermonibus, ſed excitatur.* S. Chryſoſt. Homil. 38. in Matth. Et S. Valerianus: *plena victoria eſt, ad clamantem tacere, & non reſpondere provocanti.* Homil. 12. *Infelix* è contra *victoria eſt*, inquit mellifluus, *quâ ſuperans hominem*, pertinaciùs rixando, *vitio ſuccumbis.*

XII. OCTOBRIS.

S. Walfridus Epiſcopus.

UT *Britannos* à veræ & orthodoxæ Religionis via exerrantes ad *Chriſti* ovile reduceret *Walfridus*, agendum miraculis fuit. Totô igitur trienniô tantâ ſiccitate & fame gens illa eſt afflicta, ut jam omnis conſilii expers, nihil tam cuperet, quàm citâ morte mali diuturni compendium, huncque in finem non rarò quinquageni ſimul junctis manibus ex altiſſimis rupibus in mare præcipites irent. Ubi tamen falſorum numinum ejuratô cultu ſalutaribus aquis ablui ſuſtinuerunt, cœlum hactenus velut ære fuſum non modò in largiſſimas reſolutum eſt pluvias, verùm & copioſaſegete dolendam triennii ſterilitatem abundè compenſavit. *Brittanni*, ut tantæ Antiſtitis ſui charitati & curæ vicem rependerent, ex lethali morbo decumbenti,

qua-

Digitized by Google

quatuor annorum inducias exorârunt. Ecce quàm oratio non modò nubes penetret, verùm & eas vel claudat, vel aperiat, pro orantium voto!

SENTENTIA.

QUod ſcriptura ait, aures domini ſemper eſſe in precibus juſtorum, non audientia tantùm DEI, ſed quædam quaſi obedientia DEI deſignatur. Quaſi DEUS adeò promptus ſit, ad audiendas ſuorum preces, ut non modò audire, ſed etiam quod imperant, velle facere videatur. *S. Salvian. l. 2. de provid.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INdubium, tantam eſſe Orationis efficaciam, ut ipſum etiam omnipotentem veluti liget, & homini debitorem faciat. Nimirum *oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum*, ut non modò petitionibus eorum acquieſcat, ſed etiam vota præveniat. Non legitur orâſſe *Joſue*, ſed imperâſſe, ne ſol contra *Gabaon* moveretur, & luna contra vallem *Ajalon: ſteteruntque ſol & luna, obediente DEO voci hominis.* Joſue 12.

II. Ex oppoſito non alia res tam eſt infirma, uti oratio vagô animô deproperata. Incenſo comparatur oratio, ſi ſeria ſit, rectà ad cœlos fumum emittenti. Diſpergitur verò, & fumi inſtar in partes varias obliquatur, ſi vel orantis *intentio* recta non ſit, vel *attentio* nulla. *Loquimur cum DEO*, con-

conqueritur Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus, *& ſtatim ab imaginatione ad alia cogitanda tracti, tergum DEO vertimus:* irreverentia, nullis utique ſuppliciis ſat caſtigandâ.

III. Sic igitur orandum, ut non lingua tantùm, ſed & animus in preces evocetur, ne orantes feriat illa DEI exprobratio: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Odit DEUS ſcenicas ejusmodi preces: odit vitam ab orantis vocibus alienam. Præclarè Auguſtinus: *cum laudatis DEUM, toti laudate. Cantet vox, cantet vita, cantent facta.* Quòdſi talis ſit oratio noſtra, ſponſorem habemus Chriſtum, fore eam non modò non infructuoſam, ſed boni etiam omnis impetrativam. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

XIII. OCTOBRIS.

S. Carpus Conf.

STrenuum D. *Pauli* diſcipulum in eo potiſſimùm ſe *Carpus* probavit, quòd ad magiſtri ſui morem nihil adeò cuperet, quàm omnes *Chriſto* lucrifacere. Et verò ſucceſſit pro voto negotium, quanquam non ita, quin aliquando caſu ſequiore diſturbaretur. Gentilis quidam ad *Chriſti* fidem traductus, paulò poſt alterius hominis ſcelerati ſuaſu denuò defecerat. Ea res *Carpum* ſic in fermentum dedit, ut morbo etiam inde afflictaretur: in quo cum nocte aliquando concubiâ videret duos illos transfugas ad inferorum marginem hærentes, *Chriſtum* verò auxiliarem iis manum ad evitandum

dum periculum porrigere, *Carpus* è contra id unum optabat, ut ſibi liceret ſuâ manu utrùmque in exitium propellere. Cui *Chriſtus*: *ò miſer! huc manum tuam extende, & læde me: ſum enim paratus denuo pro peccatorum ſalute aſpera omnia & ipſam mortem tolerare.* Ad ſalutare hoc monitum tam erubuit *Carpus*, quàm prius zelô intempeſtivô excanduerat. Didicit ex ſeipſo, non omne, quod ſplendet, aurum continuò credi debere.

SENTENTIA.

QUò zelus fervidior, ac vehementior ſpiritus, profuſiorque charitas, eò vigilantiori opus eſt ſcientiâ, quæ zelum ſupprimat, ſpiritum temperet, ordinet charitatem. Diſcretio quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem etiam, & perpetuitatem. *S. Bern. ſerm. 44. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PErrecturus erat Chriſtus ſuis cum diſcipulis in civitatem *Samaritanorum*: verùm hi, tanquam quercubus forent exciſi, aditu illis interdixêre. Ruſticitas ea tam malè habuit *Jacobum* & *Joannem*, ut Chriſto ſupplicarent: *Domine, vis dicimus, ut ignis deſcendat de cælo & conſumat eos?* Lucæ 9. audierunt tamen: *neſcitis cujus ſpiritûs eſtis: filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Errârunt iſti: erravit *Carpus* quòd *officioſam* charitatem cum zelo immodico,

&

& fervore præpoſtero confuderint. An non is idem aliquando apud te error?

II. Habet vera Charitas eam compaſſionem, ut, etſi indignetur proximo peccanti, talis tamen ira vitium petat, non perſonam. Zelô zelati ſunt pro Domino exercituum *Pſaltes Regius*, *Elias*, *Jeremias*, & alii plures; intrà modum tamen ſemper, & ex legibus veræ charitatis. De zelo *Franciſci ſeraphici* hæc habet S. Bonaventura: *cùm cerneret animas pretioſô Chriſti JESU ſanguine redemptas inquinari aliquâ ſorde peccati, tantâ miſerationis teneritudine deplorabat, ut eas, tanquam mater, in Chriſto quotidie parturiret.* c. 8. Vitæ.

III. Zelus ergo immodicus eſt, velle ferrô & flammis vitia exſcindere, dum mitiora media ſuperſunt. Deeſt hîc *diſcretio*: deeſt *ſcientia*, & circumſtantiarum ſolers inſpectio, *zelo ordinato* prorſus neceſſaria: deeſt denique *fructus*, qui ſperari poterat, re magis providè ſuſcepta. *Diſcretio non tam virtus eſt, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrix affectuum, & morum ductrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit.* S. Bern. ſerm. 34. in Cant.

XIV. OCTOBRIS.

S. Dominicus Loricatus.

UT aliquod parentum ſuorum ſcelus in ſeipſo vindicaret *Dominicus*, juvenis eremum petiit, ibidémque rigidiſſimam auſpicatus vitam, quindecim annis integris ferreâ ad carnem loricâ, unde

unde *loricati* nomen illi obtigit, indutus, ſingulis præterea diebus duo recitavit pſalteria, virgis interim acerrimè in ſe animadvertens. Inediæ tam fuit patiens, ut religioni ſibi duceret, ſiccô pane & fœniculô ad ſaturitatem refici: neque deſtitit ab hoc rigore, quousque beatâ morte exarmatus, loricam cum vita deponeret. Sic caſtigare corpus ſolent, quibus decretum eſt in ſervitutem illud redigere.

SENTENTIA.

CÆdimus aëreas poteſtates, ſi nos ipſos noverimus caſtigare; contra verò cædimur ab illis, & vapulamus, ſi nimiùm carni noſtræ blanditi, ejusmodi exercitationibus abſtineamus. *S. Ambroſ. ſerm. 12. in Pſ. 118.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SAncti plerique ſic ſecum agunt, uti ſolertes pædagogi cum pueris. Minimos quosque nœvos caſtigant: imò & ipſum in vitia pruritum. Hinc illis ſemper in promptu ſunt flagella, cilicia, tunicæ ſetoſæ, jejunia rigidiſſima, nuda humus, & alia ſexcenta: quô quidem vivendi genere id demum aſſequuntur, ut caro ſpiritui ſubdatur, non imperet: & in carne præter carnem vivant angelorum more.

II. Caſtigationi tamen corporis præcipuè inſtiterunt, qui aliquod caſtitati metuerunt periculum. Hinc in vepribus ſe volutavit *Benedictus*: inter nives *Franciſcus*: ſtagno gelidiſſimo ſe im-

merſit *Bernardus.* Erras, anime mi! ſi puritatis lilia alicubi tutiora fore credas, quàm inter has mortificationum ſpinas. *Mali hoſpites in ſinu ſunt, mus, vipera, & ignis: nam malam pro hoſpitio relinquunt ſymbolam:* pejor tamen eſt luxuriæ peſtis, quam, ut è ſinu excutias, *hoc opus, hic labor eſt.*

III. Quoniam porrò non omnium eſt, continuò pertingere ad exactiſſimum illud ſui odium, & extremam auſteritatem ſanctis familiarem: à minutioribus incipiendum eſt. *Garrulus* es? inquit P. Hieremias Drexel. *Fræna linguam. Gulosus es? coerce gulam. Libidinoſus es? exteriores ſenſus omnes cohibe. Faſtuoſus es? amputa ſupercilium. Ambitioſus es? ad vilia te demitte. Avarus es? pecuniam ut hoſtis invade. Deſidioſus es? ad labores, ad induſtriam te urge.* His mortificationum compendiis, magnos, tempore non magno, progreſſus facies.

XV. OCTOBRIS.

S. Thereſia de JESU, Carmelitana.

PAucorum annorum adoleſcentula æternitatem tam crebrò, támque attentè volvit animo, ut non aliud frequentiùs loqueretur, quàm *æternitatem.* Ætate paulò provectior, familiares ſibi habuit geminas has voculas: *aut pati, aut mori,* quibus ingens, quô tenebatur, patiendi deſiderium voluit expreſſum; audita etiam aliquando dicere, malle ſe omnes labores ac tormenta, quæ demum excogitari poſſent, ad úsque mundi finem tolerare, ac paulò majorem in cœlo gloriam DEIque

cog-

cognitionem ad eum ampliùs amandum conſequi; quam aliquantò minori potiri, & hanc vitam absque adverſorum tolerantia traducere. Deceſſit non tam morbô confecta, quàm nimiô amoris divini æſtu conflagrans: ejusdemque puriſſima anima in columbæ ſpecie, decem Martyrum millibus eam comitantibus, ad æternam requiem evolavit. His honoribus donatur ſincerus DEI amor.

SENTENTIA.

ROgo te per illa ſalutifera vulnera, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es. Vulnera eam igneô & potentiſſimô telô tuæ nimiæ charitatis, ut ſagitta electa, quæ ſcutum humani cordis penetrare tuâ potentiâ vales. *S. Aug. Medit. c. 37.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VIvit Amor exceſſibus, nec aliquando tam altùm evolat, quin altiùs eluctetur. Cuperet nimirum uniri proximè Amori illi, quô DEUS ex cognitione ſui perfectiſſima perfectiſſimè amat ſeipſum. O quàm felix eſt amantis animæ conditio! quàm propè divina! quàm è contrà ſordidum, nobiliſſimam animam luto & quisquiliis ſic adglutinari, ut præ iſtis DEUM negligat!

II. Vidit B. Thereſia Seraphim ignitô jaculô præcordia ſibi transverberantem: ex qua plaga

frequenter tantis Amoris divini incendiis arsit, ut velut extra se rapta, & à terrenis omnibus abstracta, uni suo Sponso adhæreret. *Bona vulnera charitatis*, exclamat Ambrosius, *quæ non sunt timenda, sed optanda, cùm in illis sit vera salus & vita.* Frigida sunt corda nostra: unde opus iis est ab hoc igne succendi, & incalescere, ne prorsus emortua contabescant. *Corda nostra malè sana sunt, cùm nullo DEI amore sauciantur. Sed sauciantur ut sanentur: quia amoris sui spiculis mentes insensibiles DEUS percutit: moxque eas sensibiles per charitatis ardorem reddit.* S. Greg.

III. Novit Seraphica Theresia, amoris impulsu Christum egisse, quidquid demum egit, & pertulit salutis nostræ causâ. Hinc tantus in illa *Crucifixi* amor & voces illæ: *Domine, aut pati, aut mori.* Huc, huc collimet affectus noster, & tota cordis desideria. Pati non recusemus cum Christo, & pro Christo, ne vitiô nimis inexcusabili sepulta in nobis videatur beneficii tanti memoria. Nostrum porrò firmabit animum S. Chrysostomi sententia: *patiendo emitur cælum. Vis esse beatus? disce priùs esse miser, & in miseriis magnanimus.*

XVI. OCTOBRIS.

S. Gallus Abbas.

MIris dæmonem cladibus affecit, ínque vicem ab illo multis ac variis insidiis est petitus, quas tamen solô Christi nomine invocatô facilè elusit. Ursum cæterà ferocissimum tam cicurem reddidit, ut eô in apportandis lignis velut jumentô uteretur.

Con-

Digitized by Google

Conſtantienſem Epiſcopatum conſtanter recuſavit, eremi, & quietis amantiſſimus. Condito demum monaſterio, cum in illo annis pluribus ſanctiſſimè vixiſſet, iterúmque delata ſibi Luxovienſis Aſceterii gubernacula recusâſſet, nonageſimo quinto ætatis anno in Caſtro Arbonenſi è corporis hujus ergaſtulo ſolutâ animâ cœlos petiit, multis poſt mortem nobilitatus miraculis. Sancti dæmones non timent, ſed rident.

SENTENTIA.

RUgire poteſt (dæmon) ferire non poteſt: rugiat quantùm vult, tantùm non fugiat ovis Chriſti. Non ſimus beſtiæ, ut nos proſternat vacuus ille rugitus. *S. Bern. ſerm. 13. in Pſ. 90.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INnumerus propè ſanctorum illorum eſt numerus, qui dæmones tam non timuerunt, ut riſerint etiam & exſibilarint. Nôrunt nimirum, eorum iram tam eſſe ſine viribus, ut nocere nemini poſſint, niſi incauto & volenti. *Si ille per Chriſtum ligatus non eſt* (ita de Dæmone Rupertus Tuitienſis) *quomodo tam imbecillis jacet! quomodo à tam multis non dico grandævis & ſapientibus viris, ſed à pueris, tenellisque puellis illuſus eſt?*

II. Fingant ergo, qui cauteriatam habent conſcientiam, dæmonem, quantùm volunt, terribilem & metuendum: ſanctis tamen alius non vide-

tur, quàm *canis catenæ innexus*: imò, quàm vilis *muſca*, vel *formica*. Metuunt iſti ſolum DEUM: ſic tamen, ut magis ament, quàm metuant. Metuunt item DEI offenſam: cætera omnia rident, tanquam indigna, quæ metuant. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit.* Eccli. 3.

III. Referunt *Annales Minorum*, puellam nobilem Burgundam, quòd dæmonem gloriosè triumphâſſet, adeò habuiſſe obſequentem, ut eô ad quævis miniſteria citra metum uteretur. *S Julianam* verò aſſerunt Faſti Eccleſiaſtici, judici jamjam præſentandam, traxiſſe ſecum per forum dæmonem, impensè rogantem: *dimitte me, jam ampliùs noli me hominibus ridiculum facere*: tumque contemptim à Virgine in ſterquilinium eſſe abjectum. Vah! quàm nullæ ſunt dæmonis vires: quàm verè S. Greg. *Aliis leo eſt, aliis formica, quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, ſpirituales verò infirmitatem illius pede calcant.* L. 5. moral. c. 17.

XVII. OCTOBRIS.

S. Andreas Cretenſis. M.

INterdixerat, peſſimo mentis errore deceptus *Conſtantinus Copronymus* Orientis Imperator, uſum ſacrarum imaginum, interminatô etiam illarum cultoribus mortis ſuppliciô. Sprevit tamen has minas ab incunabulis ſaniori Eccleſiæ doctrinâ imbutus *Andreas*, ipſummetque Imperatorem conveniens, tam liquidis impium edictum confutavit argumentis, ut jam illi propugnando aliud

non

non ſuppeteret, quàm maleſana ſic ſtatuentis voluntas. Tulit interim *Andreas* optimæ ſuæ eruditionis præmium haud aliud, quàm quod mundus dare conſuevit, odium ſcilicet, contemptum, verbera, carnis lanienam, ipſam denique mortem, quam pugil egregius pro DEI honore, & veritatis catholicæ defenſione alacriter ſubiit. Sacrum illius corpus inter malefactorum cadavera temerè projectum, paucô poſt tempore, DEO Martyris honori ſic conſulente, à duodecim dæmoniacis retectum, eorumque unguibus è terra effoſſum, his, ab inquilinis dæmonibus libertatem; ſibi congruam procuravit venerationem. Plurima DEO eſt cura pro iis, qui ejus causâ laborant.

SENTENTIA.

QUi coronat imaginem Imperatoris, illum utíque honorat, cujus imaginem coronavit. S. *Ambroſ. ſerm. 10. in Pſ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. EThnicis familiare fuit, majorum ſuorum imagines intrà domos ſuas ſtatuere, ut eorum ſpeciè, & illuſtrium factorum memoriâ excitarentur ad audendum ſimilia: & catholicos ſuſpensô nasô rideant hæretici, quòd eôdem fine, Chriſti, divorumque imagines templis ſuis inferant? ſi *imaginem* ab imitatione, velut *imitaginem* dictam velint: quis ſanus prohibeat eam oculis obverſari continuò: indeque mentem extimulari ad rectè factorum imitationem?

II. *Non facies tibi ſculptile*, mandat DEUS, *ut adores illud.* Religioſum eſt nobis catholicis iſthoc præceptum. Retinemus in templis imagines Chriſti, DEIparæ, & ſanctorum, ut debitam illis venerationem exhibeamus: non quòd credamus ineſſe aliquam iis divinitatem, vel virtutem, propter quam ſint colendæ: vel quòd ab eis aliquid ſit petendum: vel fiducia in ipſis imaginibus ſit figenda: ſed, quòd honos, qui eis exhibetur, referatur ad prototypa, quæ illæ repræſentant. Ita ferè *Conſil. Trident.*

III. Tot, tantaque ſunt miracula, quæ per ſacras imagines nullô non tempore operatus eſt DEUS, ut inſani omnino capitis ſit, ampliùs dubitare velle de cultu imaginibus debito. Quoties ad earundem præſentiam ſuis immundi dæmones hoſpitiis pulſi? deſperatiſſimi etiam morbi ſublati? peccatores profligatiſſimi correcti ſunt? præterquam quòd nullus anni menſis ſit, qui non ſuos Martyres habeat, ob propugnatam hanc veritatem crudeliter ab *iconoclaſtis* occiſos. *Omnis honor qui impenditur ſanctis, ſignificatio eſt amoris ac reverentiæ erga communem ipſorum Dominum.* S. Baſil.

XVIII. OCTOBRIS.

S. Lucas Evangeliſta.

INdividuum *S. Paulo* ſe comitem præſtitit, cum eodem ab *Hieroſolymis* ad *Illyricum* usque, & à *Judæa* usque *Romam* Evangelium prædicans, plurimis præfati laboribus, afflictionibus, & curis com-

communicavit. Posteris etiam ut aliquem laborum & eximiæ eruditionis suæ fructum relinqueret, Christi Evangelium, & clarissima apostolorum acta eleganter, ac ordinatè contexuit. Digressus demum ab Apostolo, cum ad Orientem discessisset, totámque *Lybiam* percurrens, *Ægypto* item lætam Evangelii lucem intulisset, aliquantô etiam tempore in inferiore *Thebaide* pontificiam dignitatem maximo cum animarum fructu administrâsset, octogenarius denique, & Virgo, quietâ morte vitæ cursum finiit, recepturus in cœlo mercedem operariô tam indefessô dignam.

SENTENTIA.

SIcut mercator non sentit navigans laborem, spe lucri excitatus: & pugil generosè fert corporis vulnera coronam respiciens; ita & nos cœlestia intendentes bona, quæcúnque inferantur gravia, generosè feremus, bonâ futurorum spe roborati. S. *Chrysost. Homil. 16. ad pop.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. HOminem nasci ad laborem, avem ad volatum, effatum est S. Spiritûs Job. 5. & concors SS. PP. sensus, quorum nomine Præsul Antiochenus, *DEUS*, inquit, *posuit hominem ad laborandum, artusque ejus ad hoc effinxit; idcirco otiosus ab ordine suo & creatione deficit.* Laboris amantissimus fuit S. Lucas, adeò,

ut cum nullo libentiùs illi res esset, quàm cum eo, qui de se inquit: *abundantiùs omnibus laboravi.* 1. Cor. 15. Perpende, an non magis te afficiat *otiosorum*, quàm *laboriosorum* societas?

II. De S. Luca præclare differit Metaphrastes: *Lucas prædicatione illustris, despicit cognationem, despicit & naturæ viscera, abjicit pecunias, possessiones, omnemque substantiam: ita ut nemo adeò facilè pulverem, ac manuum sordes abjiceret: dispectis cunctis inferioribus, superna velociter amplectitur.* En typum insignis operarii! tales sint oportet, qui Evangelii semina spargunt. Abjiciendum iis videlicet est, quidquid mundum sapit, & mundanos affectus. Prodeundum sine *sacculo, pera, & calceamentis:* sine temporalium, puta, rerum adminiculis.

III. S. Paulus Lucam appellavit *charissimum*: inde utique, quòd laboris socium eum habuerit assiduum & impertæsum. Odit DEUS, & qui DEI sunt, homines inertes, cuticulæ tantùm curandæ, & frugibus absumendis natos. Hinc servus nequam, qui talentum sibi concreditum in terram defoderat, ligatis manibus & pedibus ejici jussus est in tenebras exteriores. Laborandum igitur vel ideo, quòd DEUS futurus sit *merces* nostra *magna nimis.*

XIX. OCTOBRIS.

S. Varus Miles, & M.

QUòd hostibus fidei non minùs, quàm imperii, excelsô restitisset animô, ab imperatore *Maximino* pessimè habitus est generosus hic pugil: pri-

primùm enim loris conciſus, tum ungulis excarnificatus, cùm idola venerari, nec velle ſe, neque etiam poſſe conſtanter reſponderet, diſſectô denique ventre crudeliter interemptus cœlos ſubiit. Cujus honori cùm aliquando nobilis matrona inſigne templum extruxiſſet, ſubinde verò caſu inſperatô jacturam unici filii paſſa eſſet, eáque propter ſanctum hunc neglecti velut auxilii incuſaret, habuit eum ſpectabilem cœleſti lumine coruſcantem, unáque Martyris ſinui ſuaviter inſidentem vidit amiſſum nuper filium, pretiosâ coronâ donatum. Martyrem inſuper dicentem audiit, non futurum fuiſſe aliud, quod utiliùs à DEO petere potuiſſet, quàm ipſum hunc præmaturum filii obitum. Sæpè DEUS non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad utilitatem.

SENTENTIA.

SI cui DEUS optionem faciat, dicátque: vis, ut te immunem præſtem ab omnibus & corporis & animi miſeriis, teque paradiſo reſtituam? non aliud reſpondendum, quàm hoc ipſum: Domine, prout vis. *Joan. Taul.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. VEre & ſanctè Severinus Boëtius: *quidquid citra rem videas geri, rebus quidem rectus ordo eſt: opinioni verò tuæ perverſa confuſio.* L. 7. de conſol. Philoſ. Proſ. 6. Aliud indubiè liberalitatis ſuæ præmium ſperârit matrona illa, quàm dolendam chariſſimi filii ſui mortem,

etſi

etsi hanc pro tunc dari conveniebat, non aliud. Novit DEUS quid nobis prosit, novit quid obsit. Denegat aliquando petita, ut aliquid largiatur melius eô, quod imprudenter petitum est. Felix, qui ex corde dicit: *fac mecum, Domine, sicut vis & scis.*

II. Citò multùm proficeremus, si in corde jugiter & ore nobis foret istho c orationis Dominicæ: *fiat voluntas tua.* Et, sanè, non aliud aliquid melius est, quàm DEI voluntas. Vult hæc felicitatem nostram: velimus hanc etiam ipsi. Eô tamen modô velimus, quò DEUS vult. Quodsi patiendo obtinere eam nos velit, non nos eam per delicias quæramus. Bene cecinit sacer Poëta:

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque
Quod vult, quôque modô vult DEUS, & quia vult.

III. Interim Christianis palmam hîc iterum præripiunt gentiles, quos inter Epictetus: *meliùs*, inquit, *illud judico, quod DEUS vult, quàm quod ego. Adhæreo illi ut minister & pedisequus. Cum illo desidero, cum illo expeto Denique quod ille vult, idem & ego volo.* Quid à Christiano sanctiùs exspectâsses? acquiesce igitur divinæ providentiæ, & cœlestem in carne vitam auspicaberis. Atque ut acquiescas, semel adhuc Epictetum audi: *ignavissime homo! num aliud aliquid melius judicas, quàm quod DEO visum fuerit? L. 2. Dissert. c. 7.*

XX.

XX. OCTOBRIS.

S. Fides V. & M.

UNa de geminis triumphavit imperatoribus, quando ſanguinarium *Diocletiani & Maximiani* decretum, quô aut *Dianam* divinò cultu venerari, aut acerbiſſimam ſubire mortem juſſa eſt, conſtanter reſpuit, cujus quidem reſolutionis causâ à *Daciano* præſide in lectum æreum conjecta, & ſubjectis flammis dirè toſta, divinum tum maximè ſenſit auxilium, ubi hominum judiciô conclamatum de illa credi potuit. Columba enim candidiſſima cœlô ſe demittens, rutilantem interlucentibus gemmis coronam capiti martyris impoſuit, alarum deinde remigio, & rore quodam divino flammarum incendia usque adeò ſopiit, ut nec minimam uſtionem virgineum corpus pateretur. Capitis demum damnata Virgo, cum quatuor & quinquaginta aliis gloriosè triumphans ad ſponſum abiit. Vide, quàm ſit adjutor DEUS *in opportunitatibus, in tribulatione.*

SENTENTIA.

STellæ in nocte lucent, in die latent: ſic vera virtus, quæ ſæpe in proſperis non apparet, eminet in adverſis. *S. Bernard. ſerm. 27. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. S. *Capraſius*, *Fidei* Virginis conſtantiâ ad pari alacritate ſubeundum martyrium animatus, cùm teneræ Virginis ætati metue-

tueret, ne hæc ferendis tam diris cruciatibus impar eſſet, ideóque multis cum lacrymis dignam animi fortitudinem è cœlo exorare eidem niteretur, DEUS è contra Virginis exemplô & precibus uſus eſt, ad extrahendum è ſpelunca ſua *Capraſium*. Neſcit pavere animus, quem fortitudinis donô DEI Spiritus inſtruit.

II. Credi poterat, *Fidem* Virginem vix non à DEO eſſe derelictam, quando ad usque illius latera ſubvolârunt flammæ, tanto cum ſpectantium horrore, ut ipſis etiam gentilibus vel invitis defluerent lacrymæ: verùm egregia Martyr DEO nixa, ferreæ crati non ſecus, quàm molli lecto incubuit: jureque de ſe dicere potuit illud Eccleſiaſtici: *liberaſti me ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ à preſſura flammæ quæ circumdedit me, & in medio ignis non ſum æſtuata.* Hac, non aliâ ſpe firmari te oportet, anime mi! nî ad primum tribulationis impulſum labi velis.

III. Traxit alios invicta Virginis patientia ad parem animi magnanimitatem. Virtutis exempla magnam habent efficaciam: his enim potenter trahitur, qui verbis vix movetur. Ut aliis virtutem perſuadeas, ipſe virtutis ſtudioſum te proba. Pulchrum fuit, vidiſſe olim Martyres Martyribus velut genitos, & horum ſanguinem ſementis inſtar in plures ſemper pullulâſſe Martyrii candidatos. Hinc ad tyrannos Tertullianus: *nihil proficit exquiſitior quælibet crudelitas veſtra: plures efficimur, quoties metimur à vobis.*

XXI.

XXI. OCTOBRIS.

S. Urſula cum 11000. VV.

URſula *Dionethi* & *Dariæ* regiorum parentum proles regia, cùm ab *Aſterio* principe itidem regio, ſed pagano, in ſponſam peteretur, eas futuris nuptiis conditiones poſuit, quibus & ſe, & agmen undecim mille Virginum *Chriſto* caſtarum mentium ſponſo, & agno immaculato feliciter deſpondit. Hanc lectiſſimam Virginum turbam, cùm velut pro triennalibus nuptiarum induciis, & læto Virginitatis exercitio, è variis terrarum partibus contraxiſſet, primùm cum illa mare trajiciens, ex Brittannia per *Rhenum* aſcendit, indéque *Baſileâ* pedeſtri itinere *Romam* petens, cùm hinc iteratò *Coloniam* remeáſſet, ab *Hunnorum* exercitu per id tempus urbem oppugnante, cum integro ſociarum Virginum agmine trucidata, ſacrarum in cœlo Virginum amabilem chorum magnô auxit numerô. Hoc demum eſt DEO & Cœlo lucrari animas.

SENTENTIA.

VIrginitas illis, qui rem accuratè perpendunt, magnum quoddam martyrium videtur: ſunt enim crudeles quidam carnifices, corporis voluptates; imò verò carnificibus crudeliores. *S. Chryſoſt. Orat. de S. Thecla.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. POtuiſſet *Urſula*, ſi voluiſſet, evitatô certamine tam laborioſô, cunctis mundi frui deliciis, utpote genere & qualitatibus

tibus verè regia: cùm tamen nôſſet, omnem ponderationem non eſſe dignam continentis animæ, ſprevit peritura, & innocentis animi candorem omnibus mundi vanitatibus prætulit. Formam S. Bernardus vocat, *coloratam carnis putredinem, & purulentiam, flavi, ſanguineique coloris, vitreæ cutis ſuperficiem æqualiter ſuffundentem.* Quis ergo ſanus hanc æſtimet?

II. Puritatem æſtimârunt hæ Virgines ſingulæ, ultra omne, quod poſt DEUM æſtimari jure poteſt. Nôrunt enim, ipſum DEI Filium hujus præſtantiâ captum, abdidiſſe ſe intrà caſtiſſimum Virginis uterum: nôrunt, Angelos, ſpiritus puriſſimos, non aliorum magis, quàm caſtorum, expetere conſortium. Si in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum, quid nondum audis *undecim mille Virgines*, tot linguis pro caſtitate perorantes, quot ſanguinis effuſi guttis?

III. Multâ oratione ſuam DEO pudicitiam commendârunt Virgines iſtæ, nec alteri potuerunt, qui tutaretur efficaciùs. Cùm theſaurum iſtum portemus *in vaſe fictili*, ſumma neceſſitas eſt, efflagitare à DEO gratiam, quam petiit gentium Doctor, cùm illi datus eſſet *ſtimulus carnis, & angelus Sathanæ* colaphizans. Ubi igitur pruritum carnis à tartareis ciniflonibus ſuſcitari advertimus, ſine mora totâ pectoris contentione DEO loquamur: *complaceat tibi Domine ut eruas me: Domine ad adjuvandum me reſpice.* Pſ. 39.

XXII.

XXII. OCTOBRIS.

S. Joannes Bonus ex Ord. Eremit. S. Auguſt.

QUàm non rarò res cum nomine diſcrepent, ſuômet exemplô docuit *Joannes Bonus*. Talem enim *Mantuæ* vitam vixit *Bonus*, ut non tantùm *malus*, ſed & *peſſimus* jure dici potuiſſet; doluit filii vicem mater, matrona pientiſſima, & divam imitata *Monicam*, aſſiduô lacrimarum profluviô veniam illi, & ſalutem exorare à Domino tam diu non deſtitit, dum hic abeuntis in præcipitium animæ miſertus, validô *Bonum* morbô proſterneret, ut deinceps erigeret. Simul enim ac ex morbo *Bonus* convaluit, *D. Auguſtini* Eremitarum inſtitutum ſecutus, tam religiosè vixit, ut aliquando precibus vacans, à DEI Filio ad oſculum ſacrorum vulnerum invitaretur. En! quàm varios DEUS habeat modos reducendi ad frugem, quibus hæreditatem filiorum decernit.

SENTENTIA.

FLagellorum dolor vel cogitatas, vel perpetratas malitias diluit. Quapropter admonendi ſunt ægri, ut eò ſe filios DEI ſentiant, quò illos diſciplinæ flagella caſtigant. Niſi enim correctis hæreditatem dare diſponeret: erudire eos moleſtiis non curaret. *S. Gregor. p. 3. paſtoral.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CUm ſæpiſſimè ſanitatis donô abutamur in creatoris contemptum: il-

le verò ſanos etiam morte ſubitaneâ in æternum pellere exitium, ſi modò vellet, poſſet: clementiùs tamen agere decernit, & morbis aliquando emendat, quos vegetâ valetudine indies fieri pejores videt. Igitur morbus *Virga* DEI eſt, & *baculus*, quibus non cædit ac percutit, ut æternùm abjiciat, ſed paternè caſtigat, ut ad hæreditatem olim poſſidendam idoneos reddat.

II. Hebræi, dum ſani eſſent, *obliti ſunt DEUM qui ſalvavit eos.* Pſ. 106. Verùm, ubi *multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, acceleraverunt.* Nimirùm, *infirmitas gravis ſobriam facit animam.* Eccli 31. Non placent vitia, ubi morborum gravitas mortem in momenta ſingula minitatur. Suſcipitur tum, & relegitur vitæ anteactæ ſeries, ac multis non rarò pœnitentis animi ſuſpiriis inclamatur DEI clementia: ſicque contingit, quod magnus aſſerit Gregorius: *divinâ diſpoſitione agitur, ut prolixiora vitia prolixior ægritudo exurat.* Hom. 16. in Evang.

III. Non deſunt, qui, ſi morbô prolixiore, DEO ſic volente, vexentur, ore vel animo dicant: ô quantò ampliùs exercitio virtutum incumberem ſanus, & viribus valens, quàm æger! verùm iſtiusmodi ſæpiùs falluntur. *Multi*, inquit S. Auguſtinus, *ſcelerati ſani ſunt, qui innocenter ægrotarent.* Tract. 7. in Joan. Morbum ergo, tanquam peculiare DEI amantis donum, ſuſcipiamus & patienter, & hilariter. Ab eodem verò liberati, propoſitorum, vel promiſſorum non continuò obliviſcamur. *Diſplicet DEO ſtulta & infidelis promiſſio.* Eccli. 5.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. OCTOBRIS.

S. Severinus Boëtius M.

QUòd *Theodorico* Regi Arriano, multa impia meditanti contra DEI Eccleſiam, virili reſtitiſſet animô, unà cum *Symmacho* ſocero, perduellionis falsô incuſatus, poſt diutinos carceres, quos *Ticini* ſuſtinuerat, capitis damnatus, vitæ, quàm æquitatis jacturam, facere maluit. Ferunt communiter, capite truncatô *Boëtium* eſſe locutum, percuſſori ſcil. impietatem exprobrâſſe, tum verò ſuismet manibus caput usque ad vicinam Eccleſiam deportâſſe. Fuêre certê *Symmachus* & *Boëtius* facilè orbis Romani Principes, ſive generis nobilitatem quis ſpectet, ſive doctrinam. Mundus in maligno poſitus, è dolis & fallaciis conſutus ſit, & juſtitiam amet?

SENTENTIA.

ESt modeſta quædam in ſancta familiaritate ſeveritas, eſt & juſtitiæ rectitudo, ut nullatenus vitium foveatur, nec pro amico proximus offendatur. *S. Bonavent. in ſpec. diſcipl.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn fuit ex illorum numero *Boëtius*, quibus pro minimo eſt, facere diſpendium gratiæ DEI, modò magnatum favorem ſervent. Poterat eſſe feliciſſimus, ſi Regis intentiones peſſimas fovere voluiſſet. Vetuit tamen iſtud *timor DEI*, & *amor juſtitiæ*, cujus virtutis proprium eſt, *jus ſuum cuique tribuere*, exclu-

ſis penitùs quàm *odiô* partium, tam *amore* præpoſterô.

II. Præſentiſſimum ærumnis ſuis ſubſidium habuit *Boëtius* in ſeria divinæ Providentiæ conſideratione. Hâc leniit fortunæ in ſe ſævientis aſperitatem, quòd nôſſet, in officii ſui adminiſtratione non aliud ſpectâſſe ſe, quàm commune omnium bonum: licet inde accreviſſent ſibi *cum improbis graves*, ut ipſe loquitur, *& inexorabiles diſcordiæ*. Noverat, nunquam ſe à jure ad injuriam à quoquam pertractum. Quòd interim operæ ſuæ pretium aliud non referret, quàm æmulorum calumnias, & potentiorum odium, DEI diſpoſitioni liberrimè relinquendum eſſe cùm ſcriptô docuit, tum exemplô. Utinam idem agant, qui cum ſequiore fortuna luctantur!

III. Et verò ſuggeſſit divinæ Providentiæ conſideratio, ſub ſacratioris *Philoſophiæ* ſchemate, ea *Boëtii* animo ſolatia, ut jam facilè ferret, quod initiò durum videbatur. Monuit primò, mentis libertatem eſſe comparandam, ſopitis omninò paſſionum turbis: *tu quóque ſi vis lumine clarô cernere verum, tramite rectô carpere calbem: gaudia pelle, pelle timorem, ſpemque fugato, nec dolor adſit. Nubila mens eſt, vinctaque frœnis, hæc ubi regnant.* L. 1. de Conſolat. Philoſoph. Proſ. 6. Metrô 7.

XXIV. OCTOBRIS.

S. Martius Anachoreta.

UT ne unquam fœdis imaginationibus aditum in animam concederet, omni fœminarum aſpectu

ctu perpetuò interdictum ſibi voluit, eumque in finem locum ab hominum congreſſibus remotiſſimum ſeligens, catenâ inſuper ferreâ pedem adſtrinxit, alterâ catenæ extremitate, grandi ſaxo immiſsâ, ne longiùs progredi poſſet, quam catenæ longitudo permitteret. Diſplicuit tamen poſtremum hoc *D. Benedicto* in tantum, ut ſerio juberet *Martium* teneri vinculis non ferreis, ſed catenâ *Chriſti*. Paruit anachoreta, ſeque ſine mora exſolvit, eâ tamen lege ſibi dictâ, ne liber pedem unquam promoveret ultra id ſpatium, quod catenatus ſibi præfixerat. Hiſce demum excubiis tuta ſervatur caſtitas.

SENTENTIA.

OCuli raptores ad culpam, prævertendi ſunt rationis imperiô, & maturè, obductis quaſi valvis, ab aſpectu cohibendi. *S. Gregorius.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MOnet Salvator: *ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Et neceſſarium ſanè hoc eſt, niſi conqueri aliquando, & ſerò tortè, velimus: *oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Ferrô interim hîc opus non eſt: *eruit* enim mortificatio, *projicit* continentia. Nôrunt ſancti pretium *cæcitatis voluntariæ;* ubi non ab illicitis modò, verùm & à licitis oculos rigidè cuſtodiêrunt. *Alipium* certè memorat *Auguſtinus* in ſpectaculis ita egiſſe, etſi inconſtanter.

II. Sequior ergo illorum conditio, qui cum Salomone dicunt: *omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis.* Cùm enim objecta moveant sensus, quî fieri potest, ut à sorde mundus persistat animus, cui repræsentantur tot sordida? si, *dum lasciviunt oculi, calescant appetitiones*, ut inquit Clemens Alexandr. quomodo non denique totus homo fœdô conflagrabit incendiô?

III. Quod porrò de cohibenda oculorum petulantia suadetur, idem tenendum est de solerti cæterorum sensuum custodia. Portæ sunt sensus nostrî, quas nisi sedulis excubitoribus tutemur, citò de nobis erit actum. *Ad custodiendam*, inquit Magnus Gregorius, *cordis munditiem, exteriorum sensuum mundities servanda est. Mors per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cùm concupiscentia per sensus corporis habitaculum mentis invadit.* in c. 31. Job. Eadem, sed aliis verbis loquitur Nicetas Serronius: *sensus*, inquiens, *nisi probè regantur, ad vitium faciles sunt viæ, peccatique januæ: per eos enim ad vitia nobis aditus patet, ac per eos in animum influit peccatum.*

XXV. OCTOBRIS.

SS. Chrysanthus & Daria. MM.

FOrtè inciderat *Chrysanthus* in sacros Evangeliorum Codices, & continuò mirabilem illius animo lucem affudit DEI bonitas, adeò quidem, ut spretis modò, quas à puero egregiè imbiberat, profanis scientiis, unam veræ fidei cognitionem ardentissimè sitiret. Voto illius multum subsidii præstitit *Carpophori* sanctitas & eruditio, nec tamen

men pari voluptate eam mutationem reſciit *Polemius*, *Chryſanthi* parens gentilis, qui ut filium à Chriſti amore denuò abſtraheret, nihil non egit: blanditiis tamen potiſſimùm puellarum caſtiſſimum juvenis animum expugnare ſtatuit, quem nihilominus citra omnem ſuam ſpem adeô obfirmatum in bono reperit, ut *Chryſanthus Dariam* quóque, quæ ad illum pervertendum immiſſa fuerat, ad fidem *Chriſti*, unàque firmiſſimum ſervandæ æternùm Virginitatis propoſitum induceret. Fuêre demum poſt multa, eáque acerbiſſima tormenta, virginei conjuges vivi in terram defoſſi, & lapidibus obruti. Fertiliſſima bonorum ſementis eſt ſeria ſpiritualium lectio.

SENTENTIA.

HAuriendus eſt ſæpe de lectionis ſerie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis reſtituat. *S. Bernard. de orando DEO.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. LEctio codicis Apollolici *Auguſtinum* Eccleſiæ reddidit, & ex hujus hoſte jurato, defenſorem effecit ſtrenuum. Lectio ſacra *Chryſanthum* ea docuit, quæ omnis profana ſcientia non poterat. Quid igitur mirum, ſanctos lectionis ſacræ tam amantes fuiſſe? quos inter prima fuit, quæ inter ſanctos ſanctiſſima eſt, Virginea *VERBI* Parens, quam ſic alloquitur Auguſtinus:

ſtinus: *revolve, ô MARIA! propheticam lectionem, quæ ipſam plenitudinem paritura es Prophetarum: recole in libro Iſaiæ Virginem quam legiſti, & gaude, quia tu eſſe meruiſti.* ſerm. 21. de Nativit. Virg.

II. Bonarum inſpirationum ſemina præcipuè fovet ſpiritualium lectio. Hinc cœleſtium contemplatio, & tenerrimus DEI amor. *Lectione, & oratione*, velut alis geminis, ſublevatur mens hominis, ut, per intervalla ſaltem, ad DEUM eluctetur, neque pecudum more humi ſemper repat. *Beatæ vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio invenit, oratio poſtulat, contemplatio deguſtat.* S. Bernard. l. c.

III. Sit ergo lectio ſacra, ſi fieri poſſit, quotidiana: ſit ſeria, ſit cum delectu, ſit ad *praxin* diſponens & animans. *Lectio docet quid facias, diſcernit quid caveas, oſtendit quò tendas: multùm proficis cùm legis, ſi tamen facis ea quæ legis.* S. Bernard. Ut enim nullius valoris ſunt medicinæ ægro non applicatæ; ita fruſtrà eſt lectio ſine ſtudio imitationis. Hinc certè, non aliunde, fructus lectionis. *Quærere debemus potiùs utilitatem in ſcripturis, quàm ſubtilitatem ſermonis. Si vis profectum haurire, lege humiliter, ſimpliciter, & fideliter.* Thom. Kemp.

XXVI. OCTOBRIS.

S. Fulco Epiſcopus Placentinus.

TAm initiò fuit fortunæ tenuis, ut juvenis adhuc ſtipem oſtiatim corrogaret. Studiis benevolentiâ viri boni applicitus, talentum felicis ingenii adeò

adeò non ſegniter defodit, ut primò ob inſignem ſcientiam ad *Canonicatum* promotus, ipſam denique Epiſcopalem infulam, & ſacræ ſedis *Placentinæ* regimen mereretur. In quo tamen faſtigio non modò non altùm ſapuit, verùm etiam ad refricandam priſtinæ ſortis memoriam, quinque ſemper pauperes menſæ ſuæ adhibuit, ac ſeptem præterea tenuioris fortunæ adoleſcentes in ſtudiis aluit. Quàm rara, tam pretioſa eſt humilitas honorata.

SENTENTIA.

ERubeſce, ſuperbe cinis! DEUS ſe humiliat, & tu te exaltas? DEUS ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis auctori? quoties hominibus præeſſe deſidero, toties DEUM meum præire contendo. *S. Bernard. ſerm. 1. ſuper miſſus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUòd *Fulco*, juvenis adhuc, ſuperbè ſe non extulerit, id equidem mirum non eſt: humilior enim fuit ejus conditio, quàm ut ob eam ſe efferret. Quòd autem factus Epiſcopus non ambulaverit in mirabilibus ſuper ſe, id uti rarum; ſic admiratione fuit digniſſimum. *Non magnum eſt*, inquit Bernardus, *eſſe humilem in abjectione: magna prorſus & rara virtus, humilitas honorata.* Homil. 4. ſuper Miſſus.

II. Faſtu tamen præ cæteris immodicô laborant homines viles, & verè *terræ filii*, ſi vel ingenii, vel aliis naturæ donis ſuccollantibus in altum

eos elevari contingat. Pudet tum eos pauperum parentum: pudet natalium, quos ideo vel occultare, vel fictitiis titulis, velut bracteis inauratis conveſtire nituntur. *Videas*, inquit Bernardus, *plerosque de ignobilibus nobiles: de pauperibus divites factos, ſubitò intumeſcere, priſtinæ oblivi ſci abjectionis, genus quoque ſuum erubeſcere, & infimos dedignari parentes.* Ser. 4. ſuper Miſſus.

III. Æternam poſterorum laudem meritus eſt *Agathocles* Siciliæ Rex, quòd natalium obſcuritatem minimè diſſimulans, vaſis aureis teſtea frequenter miſceret, à figulo patre olim confecta. Floret etiamnum ſuis in inſignibus, *rota* videlicet, patre rhedariô natus *Vilegiſus* Archiepiſcopus Moguntinus, dum eâ rotâ hodieque inſignitur ſacra illa ſedes. Surgent olim iſti in judicio, & condemnabunt *thraſones* illos. Neque titillaret eos ſuperbia, ſi audirent Hugonem Cardinalem: *mundus dicit, quemcunque oſculatus fuero dignitatum oſculô, ipſe eſt, tenete eum, & crucifigite.* in c. 26. Prov.

XXVII. OCTOBRIS.

S. Elesbaan Rex.

MAgnas adversùm hoſtes victorias, Dei, & Archangeli *Gabrielis* auxiliô conſecutus, utne ingratus audiret, ſeipſum Deo donare ſtatuit. Quod quidem ut commodiùs exequeretur, religioſam vitam auſpicatus, tantô animi ardore perfectionis culmen ſcandere contendit, ut omnes finitimæ gentes tantam mutationem ſummè mirarentur

tur. Regium diadema postquam Hierosolymam misisset, Regi gloriæ in æternum subjectionis pignus offerendum, pauperis ipse habitu, ciliciôque tectus, ac totâ nocte profugus, ad devoti cujusdam anachoretæ cellulam concessit, ibidemque vitæ reliquum sanctissimè decurrit, non aliâ annonâ, quàm pane pauxillô, crudis radicibus, & frigidâ refici solitus. Hoc demum est, profanis dignitatibus valere jussis, æternas ambire.

SENTENTIA.

LEctum in quo quiescitur, claustra existimo esse & monasteria, in quibus quietè à curis vivitur sæculi, & solicitudinibus vitæ: atque is lectus floridus demonstratur exemplis & institutis Patrum, tanquam quibusdam floribus. S. *Bern. serm. 46. in Cant.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INsignes licet fuerint victoriæ, quibus hostes suos triumphavit sanctissimus hic Æthiopum Rex: clarior tamen ea fuit, quâ semetipsum devicit in re tam difficili. Peperit hic triumphus cœlis plausum, orco luctum. Utinam, subactis similiter cupiditatibus nostris, lauream victores mereamur! referemus, si vicerimus, à supremo *Agonotheta*, apud quem præcipuè *fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia.*

II. Re-

II. Reſpiraturus tantiſper a ſæculi tumultu *Eſesbaan*, eremum petiit, ibidemque ſub cenſura magiſtri ſpiritualis vitam duxit verè religioſam. Videatur obſervantia religioſa inſipientibus crux & martyrium: amantibus DEUM animis quies eſt, quâ ſuaviorem non cuperent, nec alibi reperturos ſe ſperarent. Scilicet, ut alibi paſſim; ſic & in hoc ſuo judicio multùm decipitur mundus, ea non capiens, quæ ſunt ſpiritûs. *Verè clauſtrum eſt paradiſus*, inquit Bernardus: *hîc prata virentia ſcripturarum: præter fluens lacrymarum u.doſitas, quam de puriſſimis affectibus Amor ille cæleſtis eliquat.* Serm. ad Relig.

III. Facilè fuit generoſo Regis animo, regiam dignitatem abjicere, quòd nôſſet *pauperibus voluntariis* parari *meliorem & manentem ſubſtantiam.* Omnis mundi gloria, quòd fluxa ſit & inſtabilis, jure deſpicabilem ſe reddit. Quàm ergo miſer religioſus, qui olim in ſæculo vilitatis umbrâ involutus, in religione ſupra alios geſtit eminere: ſicque culpâ ſuâ, dum vanam quærendo gloriam, impellente ſuperbiâ, in præceps abit, perdit ſuaviſſimum illud DEI regnum, quod eſt *regnum omnium ſæculorum.*

XXVIII. OCTOBRIS.

SS. Simon & Judas.

FRatres germani *Alphæô* patre, matre *Mariâ* geniti, unà in *Perſide* Martyrium ſubiêre. Fidem Chriſti in *Ægypto Simon*, in *Meſopotamia Thadæus* tantô animi fervore prædicârunt, ut multam gen-

gentilium partem ab idololatriæ & ſuperſtitionum tenebris ad Evangelicæ veritatis lucem traducerent. Scripſit *Judas* Epiſtolam, ſpiritu, & ſuccô plenam, quâ hodieque pro magno fidelium bono utitur Eccleſia. Singulari enituerunt patientiâ in fortiter perferendis, ac diſſimulandis invidorum calumniis, quâ etiam virtute martyrum honore & titulô digniſſimos ſe probârunt. *Sæpenumerò, qui corporis cruciamenta toleravit, non paſſus eſt verba.* Orig. in c. 19. Job.

SENTENTIA.

IN adverſis infideles maledicunt, Chriſtiani gratias agunt. Vide quanta ſit hæc *Philoſophia:* cùm DEUM lætificas, diabolum pudefacis, quod malè factum eſt, nihil eſſe facis. *s. Chryſoſt. Hom. 8. in c. 3. Epiſt. ad Coloſs.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MEmorant Faſti ſanctorum, laudatiſſimam Fratrum iſtorum vitam invidis fuiſſe tam odioſam, ut jam paſſim ab improba plebe crederentur *hypocritæ*, ſub larva ſanctitatis hominum oculis imponentes. Generosè interim diſſimulârunt Apoſtoli dirum hoc vulnus, utne degenerarent à Co-Apoſtolorum more, quos referunt ſacræ paginæ gaudentes iviſſe à conſpectu Concilii, *quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati.* Actor. 5.

II. Calumniis, convitiis, detractionibus, animum hominis probi offendi, dubium non eſt. Tolera-

ferabilius creditur facultatum, quàm honoris dispendium. Verùm & malo isti mederi novit *generosus contemptus*. Pulchrè Epictetus: *Adsta lapidi, & convitiare: quid proficies? si quis ergo ut lapis audierit, quam è suis maledictis capiet utilitatem convitiator?* L. 1. Dissert. c. 25. S. Augustino familiare fuit dicere: *senti de Augustino quod libet: sola me conscientia in oculis DEI non accuset.*

III. Contrà nihil sic proritat convitiatorum petulantiam, uti mutua læsi in lædentem maledicta. Verè Tacitus: *convitia contempta exolescunt: si irascaris, agnita videntur.* Et Epictetus: *si convitiator ejus, cui maledicit, imbecillitatem, tanquam scalas, prehenderit, tunc aliquid proficiet.* Quantumvis etiam vel DEI causa, vel charitas proximi, vel demum ipsa calumniis impetiti virtus taciturnitatem solvi aliquando velint: pauciſſimis tamen, intra decorum, ac pro Christi more faciendum id est. Dixerant Judæi: *dæmonium habes.* quid ille? *ego dæmonium non habeo.* Joan. 8.

XXIX. OCTOBRIS.

B. Richwera, Canonissa Præmonstratensis.

NObilissima Matrona, contemptô sæculi fastu, prima sui sexûs habitum Præmonstratensem ex ipsis *S. Norberti* manibus suscepit, inque eo instituto tantâ virtute & sanctitate resplenduit, ut ad solam ejus præsentiam dæmones in fugam agerentur. Flammas Xenodochio, cui præerat, illatas, quanquam extremum jam minitarentur exitium,

tium, unô crucis signô sopiit. Continuâ ministrandi curâ licet esset occupatissima, mente tamen indesinenter ad cœlestia rapta, divinorum contemplatione mirè recreabatur. Diutinâ tandem Vigiliarum, jejuniorum, & austeritatum rigore consumpta, pietatis verò & charitatis admirandæ meritis plurimùm cumulata, lentâ febre decessit, sepultáque est *Præmonstrati* in pauperum Cæmeterio, ut ipsa voluerat. Sepulchrum ejus etiamnum venerabile reddunt rosæ pulcherrimæ, miraculosè ac continuò ibidem succrescentes. Charitas DEI & proximi unica est ad perfectionem via.

SENTENTIA.

PRoximum suum diligere propter DEUM, magis est meritorium, quàm DEUM solum sine proximo amare. S. *Thom. 2. 2. q. 27. a. 8.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. POtiorem vitæ partem decurrit *Richwera*, charitatem miseris impendendo: à qua occupatione nec splendor natalium, nec ministerii hujus molestiæ deterrere illam aliquando potuerunt. Charitas nimirum ibi tantùm laborem sentit, ubi pro DEI gloria laborandum nihil occurrit. Eadem, dum agitur de miseriis proximi, novit, quàm verè dixerit Apostolus: *si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* 1. Cor. 12.

II. Proximè DEUM imitantur, quibus charitas erga proximum in pretio est, & usu. Suum in homines

mines amorem potiſſimùm oſtendit DEUS in mirabili conjunctione illa divinæ ſuæ naturæ cum humana: quem amorem, quomodo perfectiùs exprimet homo, quàm per charitativam ſui communicationem? ob quam *hominem miſericordem* Clemens Alexandrinus vocat *imaginem DEI.* Felix qui verè cum Jobo dicere poteſt: *ab infantia mea crevit mecum miſeratio.* c. 31.

III. In decretorio judicii die rigidum de miſericordiæ operibus examen futurum eſſe, ſacræ paſſim teſtantur paginæ. Patebit tum, quàm verè dixerit Chryſoſtomus: *nullus miſer eſt, niſi qui noluerit miſereri.* Fulminabitur in ſordidos Eucliones dira damnationis ſententia, quâ æternùm exeſſe jubebuntur è miſericordis DEI conſpectu. *Richweræ* verò, & reliquo miſericordium cœtui debitorem ſe DEUS fatebitur: atque in præſtitæ charitatis mercedem, beatitudinem retribuet, nullis ſæculis deſituram. Obſequamur igitur Auguſtino monenti: *da buccellam, ut impetres peccatorum veniam.*

XXX. OCTOBRIS.

SS. Zenobius & Zenobia MM.

POſtquam omnem ferè vitam in charitatis operibus decurriſſet, ad extremum à *Lyſia* præfecto, ipsóque Imperatore *Diocletiano* ad ejurandam Chriſti fidem ſollicitatus, omnia prius experiri tormenta, quàm impiis juſſis acquieſcere decrevit. Extenſus ergo in cataſta & dirè tortus, cùm in confeſſione Chriſti perſiſteret immotus,

unà

unà cum sorore *Zenobia*, quòd hæc palàm judicis crudelitatem argueret, in ferreum atque candentem lectum conjectus est, ubi cùm non modò non læderentur, sed & cœlesti rore perfusi tyranno insultarent, in lebetes æneos pariter ab igne vehementissimè succensos immissi, cum nec hic ullum à bulliente liquore paterentur incommodum, capitis damnati, ad capienda laborum suorum præmia felici triumpho cœlos petierunt. O quàm præstabit, ad parvum hîc tempus uri tribulationum ignibus, quàm alibi æternis torreri incendiis!

SENTENTIA.

PONe, si libet, ignem, ferrum, & bestias, & siquid his difficiliùs: attamen nec umbra quidem sunt hæc ad illa tormenta. Hom. 49. ad Pop.

REFLEXIO.

PUNCT. I. VIx non magna nobis ea videntur, quæ patimur, etsi minuta prorsus sint, & plectendis debitè delictis nostris imparia. Hujus verò æstimationis erroneæ faber est *amor proprius*, nimiùm partialis rerum æstimator. Quis modò tam excelsi est animi, ut pro purgandis, quos commisit, excessibus (nihil dicam de DEI causa) in lecto candenti cum *Zenobio*; cum *Laurentio* super craticulam assari; cum *Carolo Spinola*, cum *Sebastiano Chimura*, & aliis è Societate JESU heroibus, lentô igne conflagrare velit, vel ausit?

II. Esto interim hæc supplicia talia sint, ut etiam mille mortes meritis duriora videantur: quòd

tamen modicas etiam afflictiones, quas paterna DEI immittit dextera, tam iniquô ſuſtineamus animô, res eſt profectò non excuſanda. Conſpirant cum Laurentio Juſtiniano Patres communiter: *tribulationem Amoris divini eſſe indicium, futuræ beatitudinis præſagium, prædeſtinationis teſtimonium*: attamen illam refugimus, tanquam plùs timeamus temporarias cruces, quàm æterna inferorum incendia.

III. Quærit magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus: *quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* quam momentaneum videretur, quidquid eſt tribulationum in hoc mundo, ſi frequenter animô volveremus incendia ſempiterna! quàm impensè precaremur cum Auguſtino: *hîc ure, hîc ſeca, ut in æternum parcas*! ubi ergo propinatus à DEO tribulationum calix amarior nobis videtur: veniat in mentem illud Iſaiæ quæſitum: *quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante?* c. 33.

XXXI. OCTOBRIS.

S. Wolfgangus Ratisponenſis Epiſcopus.

CUm à teneris optimis animum diſciplinis imbuiſſet, refuſurus denuo in aliorum utilitatem, quod didicerat, ubi primùm per ætatem licuit, repudiatis etiam honoribus, ad juveniles animos optimis moribus & doctrinis informandos totum ſe contulit, & adoleſcentes quòsque gratis inſtruendos ſuſcepit, quibus affectu tam paterno, ac humanitate præfuit, ut eos, qui tenuioris fortu-

næ

næ fuerant, & humanis deſtituti ſubſidiis, non litteris tantùm, ſed corporeis etiam alimentis juvaret. Digna fuit ea charitas Infulâ Epiſcopali, quam dum geſtaret, non modò *Ratisponam*, ſed totum orbem Chriſtianum in virtutum ſuarum admirationem traxit. Cerea eſt juventus: laudem meretur æternam & amplum in cœlo præmium, qui ad bonum priùs illam inflectit, quàm vitiorum æſtu diffluat.

SENTENTIA.

PArentes noſtri, quando nos ad ſcholam mittebant, non hoc nobis dicebant: diſcite litteras, ut habeatis, unde legere poſſitis codices dominicos: diſcite litteras ut ſitis utiles Eccleſiæ, utiles reipublicæ: nec ipſi Chriſtiani filiis ſuis hoc dicunt. Sed quid dicunt? diſce litteras, mi fili! ut ſis homo; quid enim, modò pecus ſum? non quidem hoc dico, ſed ut ſis homo, hoc eſt, eminens inter homines, illuſtris, & conſpicuus. *S. Aug. l. de diſcipl. Chriſt. c. 11.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. TAbulæ raſæ, ceræ molliori, teſtæ recenti, comparantur juvenum animi: poteſt enim illis infundi vel fragrans virtutum liquor, vel fœtida vitiorum peſtis: poteſt in illorum animi tela depingi vel DEUS, vel dæmon: ut moderatoribus omnino neceſſe ſit, optima vir-

tutum ſemina huic glebæ committere, cùm etiam cum omni eorum ſolertia zizania defutura non ſint, olim *in medio tritici* ſuâ ſponte pullulatura.

II. Magnum moderatoribus ſolatium accedere poteſt ex verbis divini Dionyſii, quibus ait: *omnium divinorum operum diviniſſimum eſt, cooperari in ſalutem animarum.* de cœleſti Hierarch. c. 3. Planè enim ſic cooperantur moderatores, dum plantas haſce teneras in rectum erigere ſtatum, prohibitâ omni vitiorum curvitate, totis viribus adlaborant. Plurimorum enim adoleſcentium interitum ſempiternum à negligenti inſtitutione promanâſſe, nimis quàm certum eſt. Huc enim reſpicit namque effatum Spiritûs ſancti: *adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Prov. 22.

III. Fatetur Auguſtinus, ampliùs timuiſſe ſe facere *ſolœcismum* contra leges *Grammaticæ*, quàm errare contra præcepta DEI. Acciderit hoc non aliorum vitiô, quàm eorum, qui ætatem ejus moderari debeant. Multi moderatorum ſolicitè curant quàm tersè loquantur diſcipuli, quàm caſtigatè ſcribant: pauci, quantùm gratiâ apud DEUM proficiant. Imò veteranis enim potior eſt mundi ſtylus, quàm lex DEI. Mundant ſcilicet, *quod deforis eſt calicis & paropſidis*, cùm interiora plena ſint immunditiâ.

Matth. 23.

FE-

FESTA NOVEMBRIS.

I. NOVEMBRIS.

Festum SS. Omnium.

HAc die *Sanctorum Omnium* merita sub una celebritate largissimis perfusa gaudiis recolit *Ecclesia.* Nec profectò exigua illi gaudii causa est, & occasio, dum novit, tot habere se pervigiles, potentissimósque apud DEUM patronos, quot hæredes numerantur felicitatis illius æternæ, & æternitatis felicissimæ: quâ demum ut potirentur, adversitates innumeras, probra, persecutiones, contemptus, injurias, mortem denique non patienter modò, verùm & hilariter tolerárunt, ipsis etiam vitæ & facultatum dispendiis vix partem centesimam infinitæ illius gloriæ promeritos se arbitrati. Parùm nimis eam gloriam æstimat, quisquis non vel ad primam illius memoriam & mentionem paratissimus est *per multas tribulationes* viam sibi complanare, quâ ad metam & bravium pertingat.

SENTENTIA.

PRæstolatur nos Ecclesia illa primitivorum, & negligimus: desiderant nos sancti, & parvi pendimus: expectant nos justi, & dissimulamus? *S. Bern.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NEmo noſtrum eſt, qui neſciat, eſſe ſe creatum ad finem nobiliſſimum, DEUM videlicet finaliter olim poſſidendum. Et tamen, ô quàm pauci conſequendo fini iſti ſeriò laborant! quàm pauci conantur non ad beatitudinem qualemcunque, ſed eximios *gratiæ* & *gloriæ* gradus eniti! ſanè *non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*: neque tamen certamen hoc leve eſt, vel riſu dignum, cùm DEUM & Angelos habeat ſpectatores, ut loquitur S. Ephrem.

II. Quæcunque ſenſualium hominum oblectamenta ſancti arbitrati ſunt *ut ſtercora*: crucem verò, confuſionem, paupertatem, contemptum, ambabus ulnis ſtrinxerunt, *ut Chriſtum lucrifacerent.* An non alius iterum ſæculi ſtylus? faſcinant animum pudendæ voluptates: negliguntur verò *delectationes*, quæ *in dextera DEI* ſunt *usque in finem.* Anne hoc aliud ſit, quàm, ſpretô vitæ fonte, *fodere ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas?*

III. In *bivo* ſtamus. Una viarum *lata* eſt & *ſpatioſa*: alia difficilis & *anguſta*: hæc tamen ad *vitam* ducit, illa *ad interitum.* Laſſantur in illa perditionis filii, & trudentibus malorum cumulis, non jam ipſi peccata deſerunt, ſed ab his deſeruntur: juſti verò inter arduas *pœnitentiæ* vias modicùm laborantes, multam denique ſibi inveniunt requiem. O utne deinceps negligamus illos, protensô velut digitô nos vocantes: *hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Iſa. 30. *An quia præceſſerunt,*

pudet

pudet sequi? & non pudet nec saltem sequi? S. Augustin. in Confess.

II. NOVEMBRIS.

Commemoratio fidelium defunctorum.

MAnium purgantium bono & utili lucem hanc voluit sacram pia Mater Ecclesia, ut de generalibus suffragiis prospiceret, quibus particularia desiunt. O quàm suspirant per totius anni curriculum ad hanc diem piaculares animæ! quàm hodie ingeminant luctuosum illud: *miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei!* quòd si parentalibus hisce comitiis partes tuas negligas, adéque tam funestas ex igneo illo carcere subsidia flagitantium voces obsurdescant aures tuæ, quî te probabis animarum pretiosô filii DEI sanguine redemptarum amantem?. qui non formidabis eâdem aliquando mensurâ & talione luiturum te tam parùm condolentis animi duritiem? cùm aliunde certum, nec te, nec alium quemcúmque remeaturum ex ergastulo illo pœnali, nisi redditô ultimô quadrante. Cùm ergo tam sancta & salubris sit cogitatio pro defunctis exorare, piis manibus, *fac tibi quæ patiens facta fuisse voles.*

SENTENTIA.

MAllet quilibet viventium ùsque ad finem mundi omnibus excruciari pœnis ab Adam ùsque adhuc, quàm unô die in purgatorio morari. *S. Cyrill. Alexandrin. l. 10. in c. 14. Jobi.*

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. EA demum perfecta charitas eſt, quæ non profectui vivorum tantùm intendit, ſed ad ipſos usque mortuos exporrigitur. Magnam hinc apud purgantes animas gratiam inierit *Jacobus Lainius*, alter à S. Ignatio Societatis JESU præpoſitus Generalis, quòd dictam Societatem ſpecialiſſimam habere voluerit defunctorum curam. Expende, quantùm vel profeceris vel defeceris in hoc exercitio charitatis.

II. Plures doctorum ſentiunt, non alias preces eſſe DEO gratiores, quàm quæ fiunt pro defunctis. DEO placere cupis? animas ama, quæ tantum amantur á DEO: & tuâ operâ liberatæ, æternùm DEUM amabunt amore beatificô. Animas ama, illas potiſſimùm, à quibus in cœlo major numini honor accreſcet. Animas ama, eas præcipuè, quas DEUS chariores habet, & audies olim: *infirmus fui, & in carcere, & viſitaſtis me. Amen dico vobis, quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matth. 25.

III. Non erunt alii è mortalium cœtu, quibus gratiores futuræ ſunt animæ, è piacularibus flammis eductæ, quàm à quibus opem acceperunt. Offerent pro his *primas DEO preces*, quas ægrè poterit non exaudire DEUS. Flagrabis & tu olim, anima mea! in ea flamma, quam modò ſuccendunt negligentiæ tuæ, & exigua pro tot commiſſis peccatis, etiam gravibus, de te ipſo ſumpta ultio. Quàm tum deſiderabis piorum ſuffragia! fiet porrò idem tibi, quod aliis feceris. Certum enim eſt æternæ veritatis

ritatis effatum: *quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis.*

III. NOVEMBRIS.

S. Wenefrida V. & M.

OPerâ & consiliô *Benvoci*, viri sanctitatis famâ tum temporis clarissimi, æternùm Christo victuram se Virginem sacramentô edixit *Wenefrida*. Votum id displicuit & orco, & orci mancipio *Cadoco* Regis *Alani* filio. Tentavit ergo datam cœlo fidem, cùm virgo solitaria domi degeret. Verecundata illa tanquam incultior, quàm vellet, deprehensa fuisset, in cubile secessit, velut mundum muliebrem petitura, revera tamen in templum diffugitura. Piam fraudem advertit impurus ganeo, & rejecti probri dolore stimulatus, sacrum fugitivæ virginis caput unô ictu demessuit; sed non impunè: raptus enim ad tartarum non animâ tantùm, sed ipsô etiam corpore fœdum illud *Hædile* subiit. *Wenefrida* verò fervidissimis magistri sui precibus ad vitam resuscitata, quam castitatem DEO nuncupaverat, non ipsa tantùm servavit intaminatissimam, sed ut idem facerent etiam virgines aliæ, quibus Abbatissa præsedit, auctor fuit. Magna sunt castitatis amittendæ pericula, nec tamen minora, quæ cœlum parat, præsidia.

SENTENTIA.

FAcit occasio, ut maximè velimus, quæ minimè ante voluimus, & resiliamus à pro-

posito, ad quod pertinacissimè ante obstinati eramus. *Didacus Nyssen. in vita Abrahæ l. 7. c. 5.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ACtum fuisset de *Wenefridæ* castitate, si cum *Cadoco* licitari potiùs, quàm præcipiti fugâ consulere sibi maluisset. Sæpè nimiùm jactura fit thesauri illius inæstimabilis, non alia de causa, quàm quòd perniciosâ securitate malum non antea metuatur, quàm illô implicari aliquem contingat. Notandum hîc, si uspiam aliàs, & alibi, melliflui Doctoris effatum: *facilius est, stare in igne, & non aduri, quàm in occasione peccandi esse, & non peccare.*

II. Habet *castitas* periculum ab hostibus tam extraneis, quàm domesticis: imò majus non rarò ab his, quàm ab illis. Nunquam insidias suspicari desinunt sancti, sive, soli sint, sive cum aliis: æmuli hoc in passu viri illius sancti, cujus extat hoc de seipso testimonium: *verebar omnia opera mea, sciens quòd* tu DEUS! *non parceres delinquenti.* Pugnandum, ac in excubiis standum tamdiu, dum positâ mortalitate, & *corruptibili* hôc incorruptione donatô, fiamus *sicut Angeli DEI in cælo.*

III. *Cadocum* rapuit orcus, dignam focô tali victimam. Inter omnia vitia nullum tantum papuli subministrat inferis illis ignibus, uti *Luxuria.* Corruperat initiò statim nascentis mundi *omnis caro viam suam*, neque vel Cataclysmô tantum elui potuit, vel sulphureis imbribus expurgari fœdum hoc incendium, quin hodiéque serpat per plurimo-

morum mortalium corda. Scis Chriſtum in decretorio judicii die ſeparaturum *oves ab hædis*: & quare non modò ab iis te ſequeſtras? *laſcivia incontinentium & petulantia demergentur in barathri carcere.* Laur. Juſt.

IV. NOVEMBRIS.

S. Carolus Borromæus.

PUer adhuc, tam tenerô DEIparam amore deperiit, ut dum alii ludos, ipſe Virginis templa obiret. Sacris ordinibus initiatus, præter horas canonicas, etiam Marianas quotidie dixit, paritérque à domeſticis dici voluit. Archi-Epiſcopus *Mediolanenſis*, & S. R. E. Cardinalis, veri paſtoris officiô tam gnaviter functus eſt, ut ipſe parochorum vitam & mores inſpicere, ipſe morbidas oviculas curare, ipſe pro ſuggeſtu dicere, ipſe ſacramenta diſpenſare, ipſe denique dirâ peſte laborantibus, omni mortis metu ſecluſô, præſens aſſiſtere neutiquam horreret. Auctoritatem Eccleſiæ cùm pro officii ſui ratione tueretur acerrimè, ſclopô petitus, præſentiſſimam expertus eſt numinis opem, globô ad pedes à tergo innocuè decidente. Sacram DEIparentis ſtatuam ante omnium templorum portas publicæ veherationi proſtare voluit. Meritis denique dives, paſtorum Principem adiit *Paſtor bonus*, & gregis & paſtorum exemplar nobile.

SENTENTIA.

O Si conſideraremus quis ſit DEUS iſte, qui nos dignatur aſpicere, cui tam gratum

tum

tum eſt, quidquid pro ſalute animarum fit: quàm avidè & promptè curreremus omnes dicentes: Domine, ecce ego, mitte me! *S. Carolus Borrom. Conc. 4. in Syn. 11. habitâ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UT Clerum ſibi ſubditum ad veræ honeſtatis formam effingeret *Carolus*, in eorum Seminariis libros *S. Ambroſii de moribus cleri*, frequenter prælegi fecit. Corrigendis Ordinis Eccleſiaſtici defectibus, medium (præter monita Sanctorum) potentius non eſt, quàm viva Epiſcoporum exempla. Malè habent, quos tangit illud Chriſti ad diſcipulos: *quæ dixerint vobis, facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Felices è contra, quibus cordi eſt illud D. Pauli monitum ad Titum: *in omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.*

II. Sævitiæ damnantur matres, quæ citra rationabilem cauſam liberos aliis tradunt nutriendos. Similes hiſce matribus ſunt Præſules illi, qui quamvis gregem ſuum probè deglubere nôrint, in adminiſtrando tamen verbi divini pabulo *vicariâ* tantùm utuntur operâ. Metuendum, ne ad tales pertineat illud argumentum, quod concionatori de futuro diſcurſu dubio, ater ex orco genius ſuggeſſit in hæc verba: *principes infernalium tenebrarum Principes Eccleſiæ ſalutant. Læti omnes nos gratias eisdem referemus, quia cum ipſis eorum nobis ſubditi, & per eorum negligentiam ad*

nos

s devolvitur totus ferè orbis. Theophil. Rayn. ex Cantiprat.

III. Major igitur Episcopis cura sit de *Ovibus*, quàm de *lana*, ne audiant illud Zachariæ: *O Pastor! ô Idolum!* vitabunt tum denique acerbam hanc exprobrationem, si per exemplum vitæ inculpatæ, juxta monitum Principis Apostolorum, *facti* fuerint *forma gregis ex animo.* 1. Petr. 5.

V. NOVEMBRIS.

S. Malachias Episcopus Hyberniæ,

MUltùm debacchatæ sunt maledicæ calumniatorum linguæ in innocuum *Malachiæ* caput, sed maximô suô malô. Cœlum enim, cum ii, ad quos pertinuerat, segniùs agerent, densùm excussis fulminibus usque adeò ultum est eam petulantiam, ut laceros hostium quorundam artus hinc inde stipitibus arborum ad æternam tentati parricidii notam affigeret: mulierculæ verô procacem linguam, impiè in divum armatam: intra os computrescere faceret: alios denique vel ferrô, vel ignibus, vel ipsius inquilini dæmonis torturâ & furiis perderet: tantis verò periculis cautè subductum Præsulem intra *Claram vallem* velut in portu securitatis statueret, moriturum ibidem sub curâ & manibus mellei parentis *Bernardi.* Vide quàm sit periculosum tangere *Christos* Dei, & in hujus pupillam temerè digitos impingere!

SENTENTIA.

INfernus utilior est, quàm lingua nequam, id est, minùs nocens. Infernus enim non

tutum ſemina huic glebæ committere, cùm etiam cum omni eorum ſolertia zizania defutura non ſint, olim *in medio tritici* ſuâ ſponte pullulatura.

II. Magnum moderatoribus ſolatium accedere poteſt ex verbis divini Dionyſii, quibus ait: *omnium divinorum operum diviniſſimum eſt, cooperari in ſalutem animarum.* de cœleſti Hierarch. c. 3. Planè enim ſic cooperantur moderatores, dum plantas haſce teneras in rectum erigere ſtatum, prohibitâ omni vitiorum curvitate, totis viribus adlaborant. Plurimorum enim adoleſcentium interitum ſempiternum à negligenti inſtitutione promanâſſe, nimis quàm certum eſt. Huc enim reſpicit namque effatum Spiritûs ſancti: *adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Prov. 22.

III. Fatetur Auguſtinus, ampliùs timuiſſe ſe facere *ſolœcismum* contra leges *Grammaticæ*, quàm errare contra præcepta DEI. Acciderit hoc non aliorum vitiô, quàm eorum, qui ætatem ejus moderari debeant. Multi moderatorum ſolicitè curant quàm terſè loquantur diſcipuli, quàm caſtigatè ſcribant: pauci, quantùm gratiâ apud DEUM proficiant. Imò veteranis enim potior eſt mundi ſtylus, quàm lex DEI. Mundant ſcilicet, *quod deforis eſt calicis & paropſidis*, cùm interiora plena ſint immunditiâ.

Matth. 23.

FE-

FESTA NOVEMBRIS.

I. NOVEMBRIS.

Festum SS. Omnium.

HAc die *Sanctorum Omnium* merita sub una celebritate largissimis perfusa gaudiis recolit *Ecclesia.* Nec profectò exigua illi gaudii causa est, & occasio, dum novit, tot habere se pervigiles, potentissimósque apud DEUM patronos, quot hæredes numerantur felicitatis illius æternæ, & æternitatis felicissimæ: quâ demum ut potirentur, adversitates innumeras, probra, persecutiones, contemptus, injurias, mortem denique non patienter modò, verùm & hilariter tolerárunt, ipsis etiam vitæ & facultatum dispendiis vix partem centesimam infinitæ illius gloriæ promeritos se arbitrati. Parùm nimis eam gloriam æstimat, quisquis non vel ad primam illius memoriam & mentionem paratissimus est *per multas tribulationes* viam sibi complanare, quâ ad metam & bravium pertingat.

SENTENTIA.

PRæstolatur nos Ecclesia illa primitivorum, & negligimus: desiderant nos sancti, & parvi pendimus: expectant nos justi, & dissimulamus? *S. Bern.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NEmo noſtrum eſt, qui neſciat, eſſe ſe creatum ad finem nobiliſſimum, DEUM videlicet finaliter olim poſſidendum. Et tamen, ô quàm pauci conſequendo fini iſti ſeriò laborant! quàm pauci conantur non ad beatitudinem qualemcunque, ſed eximios *gratiæ* & *gloriæ* gradus eniti! ſanè *non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*: neque tamen certamen hoc levo eſt, vel riſu dignum, cùm DEUM & Angelos habeat ſpectatores, ut loquitur S. Ephrem.

II. Quæcunque ſenſualium hominum oblectamenta ſancti arbitrati ſunt *ut ſtercora*: crucem verò, confuſionem, paupertatem, contemptum, ambabus ulnis ſtrinxerunt, *ut Chriſtum lucrifacerent.* An non alius iterum ſæculi ſtylus? faſcinant animum pudendæ voluptates: negliguntur verò *delectationes*, quæ *in dextera DEI* ſunt *usque in finem.* Anne hoc aliud ſit, quàm, ſpretô vitæ fonte, *fodere ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas?*

III. In *bivo* ſtamus. Una viarum *lata* eſt & *ſpatioſa*: alia difficilis & *anguſta*: hæc tamen ad *vitam* ducit, illa *ad interitum.* Laſſantur in illa perditionis filii, & trudentibus malorum cumulis, non jam ipſi peccata deſerunt, ſed ab his deſeruntur: juſti verò inter arduas *pœnitentiæ* vias modicùm laborantes, multam denique ſibi inveniunt requiem. O utne deinceps negligamus illos, protensô velut digitô nos vocantes: *hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Iſa. 30. *An quia præceſſerunt,*

pudet

pudet sequi? & non pudet nec saltem sequi? S. Augustin. in Confess.

II. NOVEMBRIS.

Commemoratio fidelium defunctorum.

MAnium purgantium bono & utili lucem hanc voluit sacram pia Mater Ecclesia, ut de generalibus suffragiis prospiceret, quibus particularia desiunt. O quàm suspirant per totius anni curriculum ad hanc diem piaculares animæ! quàm hodie ingeminant luctuosum illud: *miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei!* quòd si parentalibus hisce comitiis partes tuas negligas, adéque tam funestas ex igneo illo carcere subsidia flagitantium voces obsurdescant aures tuæ, quî te probabis animarum pretiosô filii DEI sanguine redemptarum amantem? qui non formidabis eâdem aliquando mensurâ & talione luiturum te tam parùm condolentis animi duritiem? cùm aliunde certum, nec te, nec alium quemcúmque remeaturum ex ergastulo illo pœnali, nisi redditô ultimô quadrante. Cùm ergo tam sancta & salubris sit cogitatio pro defunctis exorare, piis manibus, *fac tibi quæ patiens facta fuisse voles.*

SENTENTIA.

MAllet quilibet viventium ùsque ad finem mundi omnibus excruciari pœnis ab Adam ùsque adhuc, quàm unô die in purgatorio morari. *S. Cyrill. Alexandrin. l. 10. in c. 14. Jobi.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. EA demum perfecta charitas eſt, quæ non profectui vivorum tantùm intendit, ſed ad ipſos usque mortuos exporrigitur. Magnam hinc apud purgantes animas gratiam inierit *Jacobus Lainius*, alter à S. Ignatio Societatis JESU præpoſitus Generalis, quòd dictam Societatem ſpecialiſſimam habere voluerit defunctorum curam. Expende, quantùm vel profeceris vel deſeceris in hoc exercitio charitatis.

II. Plures doctorum ſentiunt, non alias preces eſſe DEO gratiores, quàm quæ fiunt pro defunctis. DEO placere cupis? animas ama, quæ tantum amantur á DEO: & tuâ operâ liberatæ, æternùm DEUM amabunt amore beatificô. Animas ama, illas potiſſimùm, à quibus in cœlo major numini honor accreſcet. Animas ama, eas præcipuè, quas DEUS chariores habet, & audies olim: *infirmus fui, & in carcere, & viſitaſtis me. Amen dico vobis, quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matth. 25.

III. Non erunt alii è mortalium cœtu, quibus gratiores futuræ ſunt animæ, è piacularibus flammis eductæ, quàm à quibus opem acceperunt. Offerent pro his *primas DEO preces*, quas ægrè poterit non exaudire DEUS. Flagrabis & tu olim, anima mea! in ea flamma, quam modò ſuccendunt negligentiæ tuæ, & exigua pro tot commiſſis peccatis, etiam gravibus, de te ipſo ſumpta ultio. Quàm tum deſiderabis piorum ſuffragia! fiet porrò idem tibi, quod aliis feceris. Certum enim eſt æternæ veritatis

ritatis effatum: *quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis.*

III. NOVEMBRIS.

S. Wenefrida V. & M.

OPerâ & consiliô *Benvoci*, viri sanctitatis famâ tum temporis clarissimi, æternùm Christo victuram se Virginem sacramentô edixit *Wenefrida*. Votum id displicuit & orco, & orci mancipio *Cadoco* Regis *Alani* filio. Tentavit ergo datam cœlo fidem, cùm virgo solitaria domi degeret. Verecundata illa tanquam incultior, quàm vellet, deprehensa fuisset, in cubile secessit, velut mundum muliebrem petitura, revera tamen in templum diffugitura. Piam fraudem advertit impurus ganeo, & rejecti probri dolore stimulatus, sacrum fugitivæ virginis caput unô ictu demessuit, sed non impunè: raptus enim ad tartarum non animâ tantùm, sed ipsô etiam corpore fœdum illud *Hædile* subiit. *Wenefrida* verò fervidissimis magistri sui precibus ad vitam resuscitata, quam castitatem DEO nuncupaverat, non ipsa tantùm servavit intaminatissimam, sed ut idem facerent etiam virgines aliæ, quibus Abbatissa præsedit, auctor fuit. Magna sunt castitatis amittendæ pericula, nec tamen minora, quæ cœlum parat, præsidia.

SENTENTIA.

FAcit occasio, ut maximè velimus, quæ minimè ante voluimus, & resiliamus à pro-

posito, ad quod pertinacissimè ante obstinati eramus. *Didacus Nyssen. in vita Abrahæ l. 7. c. 5.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ACtum fuisset de *Wenefridæ* castitate, si cum *Cadoco* licitari potiùs, quàm præcipiti fugâ consulere sibi maluisset. Sæpè nimiùm jactura fit thesauri illius inæstimabilis, non alia de causa, quàm quòd perniciosâ securitate malum non antea metuatur, quàm illô implicari aliquem contingat. Notandum hîc, si uspiam aliàs, & alibi, melliflui Doctoris effatum: *facilius est, stare in igne, & non aduri, quàm in occasione peccandi esse, & non peccare.*

II. Habet *castitas* periculum ab hostibus tam extraneis, quàm domesticis: imò majus non rarò ab his, quàm ab illis. Nunquam insidias suspicari desinunt sancti, sive, soli sint, sive cum aliis: æmuli hoc in passu viri illius sancti, cujus extat hoc de seipso testimonium: *verebar omnia opera mea, sciens quòd* tu DEUS! *non parceres delinquenti.* Pugnandum, ac in excubiis standum tamdiu, dum positâ mortalitate, & *corruptibili* hôc incorruptione donatô, fiamus *sicut Angeli DEI in cœlo.*

III. *Cadocum* rapuit orcus, dignam focô tali victimam. Inter omnia vitia nullum tantum papuli subministrat inferis illis ignibus, uti *Luxuria.* Corruperat initiò statim nascentis mundi *omnis caro viam suam*, neque vel Cataclysmô tantum elui potuit, vel sulphureis imbribus expurgari fœdum hoc incendium, quin hodiéque serpat per plurimo-

morum mortalium corda. Scis Chriſtum in decretorio judicii die ſeparaturum *oves ab hædis*: & quare non modò ab iis te ſequeſtras? *laſcivia incontinentium & petulantia demergentur in barathri carcere.* Laur. Juſt.

IV. NOVEMBRIS.

S. Carolus Borromæus.

PUer adhuc, tam tenerô DEIparam amore deperiit, ut dum alii ludos, ipſe Virginis templa obiret. Sacris ordinibus initiatus, præter horas canonicas, etiam Marianas quotidie dixit, paritérque à domeſticis dici voluit. Archi-Epiſcopus *Mediolanenſis*, & S. R. E. Cardinalis, veri paſtoris officiô tam gnaviter functus eſt, ut ipſe parochorum vitam & mores inſpicere, ipſe morbidas oviculas curare, ipſe pro ſuggeſtu dicere, ipſe ſacramenta diſpenſare, ipſe denique dirâ peſte laborantibus, omni mortis metu ſecluſô, præſens aſſiſtere neutiquam horreret. Auctoritatem Eccleſiæ cùm pro officii ſui ratione tueretur acerrimè, ſclopô petitus, præſentiſſimam expertus eſt numinis opem, globô ad pedes à tergo innocuè decidente. Sacram DEIparentis ſtatuam ante omnium templorum portas publicæ veherationi proſtare voluit. Meritis denique dives, paſtorum Principem adiit *Paſtor bonus*, & gregis & paſtorum exemplar nobile.

SENTENTIA.

O Si conſideraremus quis ſit DEUS iſte, qui nos dignatur aſpicere, cui tam gratum

tum

tum eſt, quidquid pro ſalute animarum fit: quàm avidè & promptè curreremus omnes dicentes: Domine, ecce ego, mitte me! *S. Carolus Borrom. Conc. 4. in Syn. 11. habitâ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UT Clerum ſibi ſubditum ad veræ honeſtatis formam effingeret *Carolus*, in eorum Seminariis libros *S. Ambroſii de moribus cleri*, frequenter prælegi fecit. Corrigendis Ordinis Eccleſiaſtici defectibus, medium (præter monita Sanctorum) potentius non eſt, quàm viva Epiſcoporum exempla. Malè habent, quos tangit illud Chriſti ad diſcipulos: *quæ dixerint vobis, facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Felices è contra, quibus cordi eſt illud D. Pauli monitum ad Titum: *in omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.*

II. Sævitiæ damnantur matres, quæ citra rationabilem cauſam liberos aliis tradunt nutriendos. Similes hiſce matribus ſunt Præſules illi, qui quamvis gregem ſuum probè deglubere nôrint, in adminiſtrando tamen verbi divini pabulo *vicariâ* tantùm utuntur operâ. Metuendum, ne ad tales pertineat illud argumentum, quod concionatori de futuro diſcurſu dubio, ater ex orco genius ſuggeſſit in hæc verba: *principes infernalium tenebrarum Principes Eccleſiæ ſalutant. Læti omnes nos gratias eisdem referemus, quia cum ipſis eorum nobis ſubditi, & per eorum negligentiam ad*

nos

Digitized by Google

nos devolvitur totus ferè orbis. Theophil. Rayn. ex Cantiprat.

III. Major igitur Episcopis cura sit de *Ovibus*, quàm de *lana*, ne audiant illud Zachariæ: *O Pastor! ô Idolum!* vitabunt tum denique acerbam hanc exprobrationem, si per exemplum vitæ inculpatæ, juxta monitum Principis Apostolorum, *facti* fuerint *forma gregis ex animo.* 1. Petr. 5.

V. NOVEMBRIS.

S. Malachias Episcopus Hyberniæ,

MUltùm debacchatæ sunt maledicæ calumniatorum linguæ in innocuum *Malachiæ* caput, sed maximô suô malô. Cœlum enim, cum ii, ad quos pertinuerat, segniùs agerent, densùm excussis fulminibus usque adeò ultum est eam petulantiam, ut laceros hostium quorundam artus hinc inde stipitibus arborum ad æternam tentati parricidii notam affigeret: mulierculæ verô procacem linguam, impiè in divum armatam: intra os computrescere faceret: alios denique vel ferrô, vel ignibus, vel ipsius inquilini dæmonis torturâ & furiis perderet: tantis verò periculis cautè subductum Præsulem intra *Claram vallem* velut in portu securitatis statueret, moriturum ibidem sub curâ & manibus mellei parentis *Bernardi.* Vide quàm sit periculosum tangere *Christos* Dei, & in hujus pupillam temerè digitos impingere!

SENTENTIA.

INfernus utilior est, quàm lingua nequam, id est, minùs nocens. Infernus enim non

non nocet nisi malis ; lingua verò nequam nocet & bonis, & malis. *Hugo Cardin. in c. 28. Eccli.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MOnet Paulus Galatos suos: *quod si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* c. 5. v. 15. Morsus sunt *calumniæ*, quibus proborum vitæ impetuntur & facta. Malum istud cùm velut scabies ipsos etiam audientes frequenter inficiat, & ad similiter calumniandum inducat, spinis primùm aures sunt sepiendæ: imitandus deinde Job ita inquiens: *tacui, nec egressus sum ostium.* c. 31. in quem locum Greg. M. *Quidnam hoc in loco ostium, nisi os debemus accipere?* l. 22. Moral. c. 16.

II. Talionis pœnâ non rarò ibi famæ dispendia patiuntur calumniatores, ubi metuebant minimè. Nimirum, *qui dicit quæ non debet, audit quæ non vult.* Specialiùs tamen pœnam à tergo secum ferunt eæ calumniæ, quæ in personas DEO sacras jaciuntur. Harum injuriam suam DEUS reputat, & eam in infamatores, vel hîc, vel alibi, potenti manu retorquet. Lex fuerat olim lata: *qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum: sicut fecit, sic fiet ei.* Levit. 24.

III. Calumniæ tam non moverunt *Malachiam*, ut ne verbulô quidem innocentiæ suæ consulere vellet. *Dissimulatio* videlicet optimum medium est, elidendi & eludendi hos ictus. Ego, inquit Bernardus, *plagis conscientiæ meæ nullum judico accommodatius medicamentum, probris & calumniis*, in Epistol. Item Epictetus: *si quis nuntiârit*

tiârit quendam tibi maledicere, nec refuta quæ dicta sunt: sed respondè, eum nescîsse cætera tua vitia, nam alioqui non illa sola fuisse dicturum. Enchir. c. 48.

VI. NOVEMBRIS.

S. Leonardus Conf.

CLodovæo Galliarum Regi sanguine junctus, regiis animum virtutibus excoluit; quas inter non postrema fuit singularis erga captivos pietas, quos, ut ubicúnque demum catenis innexos deprehendisset, liberos dimitteret, à Rege impetravit. Monasticum institutum amplexus, tantis in brevi à DEO gratiis donatus est, ut Reginam aliquando ex partu laborantem, & ferè desperatam fervidis precibus & sanam faceret & regiæ sobolis prolem. Puteum in sicco fodit, non vivis modò, sed salubribus etiam aquis úsque hodie scaturientem. Sanctitatis fuit tam eximiæ, ut quicúnque carcere concluſi illum invocâssent seu vivum, seu mortuum, mox ruptis vinculis nullô prohibente liberi abirent, secúmque ferrent vincula, receptæ per ipsum libertatis testimonia, suæque deinceps in illum devotionis anathemata. O ut ejusdem meritis hodiéque solvantur, quotquot captivitate omnium aliarum miserrimâ, funibus scelerum constringuntur!

SENTENTIA.

PEccatum est perversæ ac propriæ voluntatis impletio, rationis seductio, infectio animæ, vulneratio virium ejus, turpitudo

tudo mentis, peremptio gratiæ, ablatio charitatis infuſæ. *Dionyſ. Carthuſ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PRo Chriſto, & Chriſti captivum eſſe, res fuit magno gentium doctori tam pretioſa, ut ad *Philemonem* ſcribens, ipſe ſe *vinctum Chriſti* appellaret. Eſſe verò per peccatum dæmonis captivum, res eſt longè miſerrima: eſtque par *Samſonis* & peccatoris in eo conditio, quod ſicut ille caput novaculâ raſus, ſicque fortitudinis donô ſpoliatus, Philiſtæis ludibrio fuit: ita & hic *gratiæ* bonô per peccatum orbatus, dæmoni ludus fit, & æterni carceris reus. O ut ſimiles quique captivi per DEI clementiam dicant: *dirupiſti*, Domine, *vincula mea*. Pſal. 115.

II. Carcere concluduntur, qui tanta congerunt debita, ut iis ſolvendis ampliùs non ſint. Peccatum DEO debitores nos facit. *Quilibet peccator DEI eſt debitor*, inquit S. Chryſoſt. in c. 13. Luc. Ergo ſolvi oportet hoc debitum, ſive hîc *in ære* per ſeriam pœnitentiam; ſive ibi *in cute* per acerbiſſima ſupplicia vel temporaria, vel æterna.

III. Captivis aliquando, vel ad veritatem eruendam, vel ad ſenſibiliùs caſtiganda ſcelera, *torturæ* adhibentur. Peccator lictorem nimis quàm crudum ream habet conſcientiam. *Quaſi carnificem*, inquit iterum Chryſoſt. Homil. 20. in Geneſ. *conſcientiam circumgeſtat, ſed lancinantem & flagellantem continuò.* Carceris denique, in quem ſuâ culpâ compingitur peccator, cuſtodes ſunt, *affectus perverſi, ſocii nequam, peccandi*

di consuetudo: ut meritò incurrisse videatur supplicium à DEO Ægypto intentatum: *tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & Rex fortis dominabitur eorum.* Isa. 19. v. 4.

VII. NOVEMBRIS.

S. Willibrordus Episcopus.

F*Risiæ* Apostolus dictus est, debitô ejus labori, quô gentilitatis errore detentos *Frisios* in Evangelicæ veritatis semitam reducere adlaboravit, honoris titulô. Strict pugione ab idololatra petitus, ipse quidem cœlô protegente illæsus abiit; at non æque sicarius: correptus enim à dæmone, tertiô post die funesta morte dignas temeritatis suæ pœnas dedit. Aspersis aqua lustrali Parthenonis sacri parietibus, pesti pessulum obduxit *Willibrordus*, & ejusdem salutaris undæ potu varios passim morbos fugavit. Moriens nobiles ad cœlum veredos habere visus est densos Angelorum exercitus. Turpe est, & planè inexcusabile, despici ab hominibus eos, quibus angelici spiritus alacres famulantur.

SENTENTIA.

SAcerdotes Christi Vicarii sunt; & qui honorat sacerdotem Christi, honorat Christum: & qui injuriat sacerdotem Christi, injuriat Christum, cujus Vicarius est sacerdos. *S. Chrysost. Homil. 17. in Matth.*

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. PAvendô fulmine ſacerdotum contemptores percellit Chriſtus: *qui vos ſpernit, me ſpernit.* Lucæ 10. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zachar. 2. Quid ita? utique, quia ſacerdotes ſic Chriſtum repræſentant, uti legati ſuum principalem. Uti igitur capitale eſt legato Cæſareo injuriam irrogare; ita culpabile magis eſt, hos DEI ſummi *legatos* vilipendere.

II. Servitus duriſſima, quâ ſub *Sedecia* Rege in Babylonem ducti, preſſi ſunt Hebræi, ſupplicium fuit eorum delicto prorſus commenſuratum. Fuit verò illud delictum parva, & ferè nulla Prophetarum & DEI ſervorum æſtimatio. Textum inſpiciamus: *mittebat Dominus DEUS Patrum ſuorum ad illos per manus nuntiorum ſuorum*, &c. *at illi ſubſannabant nuntios DEI, & parvi pendebant ſermones eorum, illudebántque Prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum ejus*, &c. 2. Paralip. ult.

III. David cæterà manſuetiſſimus, adeò tamen ultus eſt injuriam legatis ſuis ab Ammonitarum Rege illatam, ut repetitô conflictu Ammonitarum 95000. occiderit. Caveant contemptores ſacerdotum, ne numerum in inferis augeant ſibi ſimilium contemptorum. Caveant item ſacerdotes, ne contemptibiles ſeſe reddendo, impingant in illud S. Ambroſii: *qui debuerant eſſe Vicarii Apoſtolorum, & filii Petri, facti ſunt ſocii Judæ, & præambuli Anti-Chriſti.* in quod ſerm.

VIII.

VIII. NOVEMBRIS.

S. Godefridus Abbas, & Episcopus.

UT Leprosorum fami prospiceret, piscem unicum, qui supererat, cibum illorum esse voluit. Succensenti verò liberalitati tam (uti videbatur) importunæ œconomo, paucis respondit Godefridus: *etiam atque etiam videret, illene abundaret, an pauper Christus esuriret, rectiùs?* tredecim quotidie pauperes commensales habuit, quorum pedes, priusquam accumberent, mirâ humanitate abluit, secutus exemplum Pontificis Magni, JESU Filii DEI. Aliàs pauperculo seminudo summô hiemis frigore propriam togam cessit, charitate satis se tectum ratus. Ambianensibus, quorum fuit Episcopus, ad salutaria monita penitùs jam induratis, vindicem DEI manum, & casuros cœlô ignes, ut olim ad Pentapolis excidium, prædixit, auguriúmque paulò post eventus comprobavit. Multæ gratiæ à munifica DEI manu iis conferuntur, qui hujus amore pauperibus, quantùm, & ubi possunt, benefacere student.

SENTENTIA.

DIcit tibi Christus: da mihi ex eo quod dedi tibi, de meo quæro: da, & redde: habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fæneratorem: temporalia mihi das, æterna tibi restituam: teipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. *S. August. de verb. Dom.*

Digitized by Google

REFLEXIO.

PUNCT. I. ELeemosynam artem esse, aliarum omnium quæstuosissimam, optimè nôrunt ipsi misericordes. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*, inquit Spiritus S. Prov. 19. Esto nihil tuum sit eorum omnium quæ possides: quæ tamen pauperibus erogas, sic à te DEUS accipit, velut tua fuissent. *Licet DEUS quæ sua sunt* (in persona pauperis) *accipiat, tamen perinde, ac si à te beneficiô affectus fuisset, integra persolvit.* S. Basil.

II. Habere obstrictum sibi Monarcham aliquem mundi, res est quàm pretiosa, tam insolens: quotidianum tamen hoc est apud DEUM, qui tibi misericordi & promptè se obligat, & fideliter. Fuerunt qui cum DEO sponsione velut certárunt, ipsine liberaliores in dando forent, an iste in reddendo: nunquam tamen non palmam cedere DEO debuerunt. Aude paria, si id patiantur tuus status & conditio: ditaberis perinde dispердendo, quàm depauperantur alii immodicè colligendo.

III. Quærit S. August. *Si dares libram argenti, & acciperes libram auri, quantô capereris gaudiô?* serm. 419. de temp. Et quid demum sit aurum omne totius mundi ad unum *gratiæ* gradum, quem misericordi largitur DEUS? in vita *centuplum* accipis, & post illam vitam æternam. Quid, si avarissimus etiam sis, ampliùs exigas? quàm denique dispar sit à mundi stylo DEI agendi modus, audi: *usura mundi centum ad unum*: (ita erant prisci census) *DEUS accipit unum ad centum.*

tum. Verè! *beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Pſal. 40. v. 1.

IX. NOVEMBRIS.

S. Theodorus Martyr.

Mlles acre dæmonibus bellum indixit, quando *Cybeles* deorum matris redactô in cineres delubrô, ſedibus ſuis illos migrare compulit. Raptus eà propter in carcerem, ibidémque diriſſimè cœſus, non jam tyronem, ſed veteranum ſe probavit: maximè, ubi & geniorum cœleſtium, & ipſius Chriſti præſentia robur ei ſuffecit, à quo etiam duce ſuo audiit: *confide, Theodore, ego enim tecum ſum: erit tibi vita ab interitu aliena, & æterna mecum in cœlis.* Uncis ferreis excarnificatus, cùm, defluentibus fruſtatim carnibus, coſtas ſuas peniſſimè nudas ſpectaret, cygnæô more cecinit: *benedicam Dominum in omni tempore*: oculísque ſubinde, fronte, ac pectore ſalutiferæ crucis ſignô munitis, capitolium cœleſte victor, totô applaudente cœlô, ingreſſus eſt. Sic dimicant, ſic vincunt, qui Chriſto ſacramentô ſe mancipârunt.

SENTENTIA.

CArmen in nocte, lætitia eſt in tribulatione: quia etſi preſſuris affligimur, ipſe jam de æternitate gaudemus. *S. Gregor. l. 26. in Jobi c. 11.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MUltæ licet ſint *tribulationes juſtorum*, his tamen iſti non contur-

bantur, cùm noverint omnes tyrannorum furias in unum corpus, non in animam desævire. Hinc prodigiosa illa sanctorum Christi pugilum lætitia, & in mediis non rarò cruciatibus innocentissimi risus & joca. Æterna nimirum dum sperant, *momentaneum* hoc *& leve tribulationis* non metuunt. *Fortes ac strenui, etiam contra fortunam insistunt spei.* Tacitus l. 2.

II. Qui sub *crucis* labaro decertant, oculos suos assiduè reflectunt in ducem & archistrategum suum. Credunt in perforatis ejusdem manibus sua se nomina legere, *amoris charactere* descripta: indéque turpe judicant eò nolle sequi, quò invitantur exemplô tam nobili: præsertim, quòd is, qui pugnari ab ipsis strenuè vult, etiam vires suppeditet vincendi. *DEO autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum JESUM Christum.* 1. Cor. 15.

III. Agere DEO gratias secundis rerum successibus, res est, quam certi debiti, tam notæ non singularis. Rarum verò, ibi stare erectum, & effundi in DEI laudes, ubi sequiora, & siniſtra omnia. Pretiosum fuit illud Jobi: *sit nomen Domini benedictum.* Unde verò? quia eôdem tonô insonuit, cùm Dominus dedit, & cùm abstulit. Si justum omnino sit, ut viarum nescius gratias dicat nonnemini fido duci: conjice, quid facere par sit Christianum, à DEO per adversa insigniter probatum & exercitum: asserit enim Gregorius M. *solùm per poculum laboris, & calicem amaritudinis pertingitur ad summitatem divinæ celsitudinis.*

X. NO-

X. NOVEMBRIS.

S. Tiberius M.

VErè! non rarò *inimici hominis domeſtici ejus.* Expertus hoc eſt *Tiberius*, ævi ſui adoleſcens integerrimus, quando potiorem ſuæ ſalutis hoſtem, præter genitorem proprium, habuit neminem. Omnem enim hic lapidem movit, ut filium idololatram efficeret, ſed in caſſum. *Tiberius* enim verò lubricos primùm innocentiæ ſcopulos, ſcorta ſcilicet, à patre ſubornata, tum verò etiam inſultus magis maſculos feliciter eluſit, cataſtas nimirum, leonum rictus, clibanos, ſcuticas & flagra, ibi ab Angelo tutelari ereptus, & peregrè abductus, ubi diſcrimen erat maximum. Sacrô ejusdem capite, ceu theſaurô inæſtimabili, jure ſibi gratulantur *Marchtallum*, quando divi iſtius meritis ab omni clade liberantur, quotquot ex toto corde quærunt illum. Omnis in *Tiberio* profectûs princeps cauſa fuit, ſeria innocentiæ cura, conſtansque à teneris peccatorum fuga.

SENTENTIA.

PEriculoſæ ſunt jam robuſtæ cupiditates, & difficulter adulta quæque perimuntur. *S. Hilar.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUod in mari *ſyrtes* & *brevia*, hoc in adoleſcentia paſſionum æſtus: eô tantùm diſcrimine, quòd harum furor nocentior ſit, quàm illorum: præſertim ubi vel ſuperficia-

lis ſolùm cura, vel nulla, cursûs debitè, atque ad recti normam inſtituendi. Principiô enim ubi exerratum eſt, totum deinceps progreſſum obliquari oportet. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.*

II. Quàm proinde ob frequentia adoleſcentiæ vitia verum eſt S. Chryſoſtomi effatum, Homil 12. in 1. ad Tim. *Adoleſcentia ex præſumpta opinione ferè communi contemptibilis exiſtimatur:* tam ex oppoſito pulchrum eſt in ea ætate excellere. Meminit ſcriptura ad æternam *Tobiæ* memoriam, eum, licet eſſe junior omnibus contribulibus ſuis, nihil tamen puerile geſſiſſe in opere. *Si ætatis defectum indolis magnitudine, morúmque maturitate ſuppleveris, nullus jam te adoleſcentiæ causâ contemnet, verùm admirabitur magis.* S. Chryſoſt. l. c.

III. Ut ut alibi ſcriptura nos velit *ablactatos à lacte, avulſos ab ubere:* ubi tamen primô ætatis flore fruimur, præſtat, quaſi modò genitos infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcere. Et quodnam lac iſtud, niſi *adoleſcentis Chriſti*, & ſanctorum adoleſcentûm exempla? audis adoleſcens de JESU juvene: *puer autem creſcebat & confortabatur, plenus ſapientiâ, & gratia DEI erat in illo.* Luc. 2. v. 40. ad idem enitere, ac, ſine temporis diſpendio: nullum enim hîc à feſtinatione periculum: maximum à mora. *Spes perfectionis eſt, honeſta in adoleſcente inchoatio.* Ennodius.

XI. NO-

XI. NOVEMBRIS.

S. Martinus Episcopus Turonensis.

DImidiô *totum* consecutus est *Martinus*, quando pro chlamydis parte totum sibi Christum vectigalem fecit. Novit nimirum in paupere Christum, quem in purpurata orci simia, Christum mentita, non novit. Quàm sub tremendo Missæ sacrificio totus esset secum, igneus ostendit globus, qui supra sacrificantis caput emicuit. In Episcopatu, quem ægerrimè suscepit, iis refulsit virtutum radiis, ut hodiéque audiat Præsulum & sacerdotum gemma. Morti vicinus dæmonem risit, & facessere jussit, innocentiæ nobili scutô nixus ac tectus. Anima de corpore migrans, genios cœlestes comites habuit & choraulas. Vide, quàm inculpata vita suavem post se mortem trahat!

SENTENTIA.

MUnditiam cordis ejus illud vel maximè indicat, quòd non est confusus inimico loquens in porta: nihil in me, funeste, reperies, Abrahæ me sinus recipiet. S. *Bernardus serm. de S. Martino.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SIngularissimô indubiè DEI favore factum est, *militiam* in *Martino* cum *malitia* tam nihil habuisse commune. Hanc nimirum dum à teneris impugnavit, ubique vim sibi faciendo, meritus est tam constans DEI adjutorium, ut in arduis fidenter diceret cum Jeremia:

Dominus mecum eſt, quaſi bellator fortis. c. 20. Ut ultimæ illi luctæ cum fructu præludas, præliare modò prælia Domini. Tecum dimica: hoſtem enim te nocentiorem non habes.

II. Ex armamentario virtutum triplicem ſibi lanceam *Martinus* elegit: *humilitatem* videlicet, *Eleemoſynam, orationem.* His armis & cœlum expugnavit, & orcum. Hunc, quia veteratori ſtygio nec locum, quô conflicturus pedem figeret, reliquit. *Quid hîc adſtas, cruenta beſtia?* illud, dum *oratio humiliantis ſe*, Eleemoſynæ præſertim ſociatâ, *penetrat nubes.* Eadem arma tibi non deerunt, ſi adſit idem dimicandi animus & ardor.

III. Gloriosè triumphavit in morte *Martinus*, quia dextrè pugnavit in vita. Teſtimonium conſcientiæ bonæ, nec commiſſi aliquando in hoc bello erroris, ſecuram victoriæ ſpem fecit. Quid mirum in pugna graviore nos ſuccumbere, quando in faciliore conflictu, expugnanda videlicet levi paſſione, *lepores* fuimus? *ſi, qui hanc vitam agunt militarem, omnibus ſubjiciuntur, & quò bellum vocaverit, illic adſunt, & iter ineunt, & alacri animò omnia tolerant: multò magis nos, qui ſumus Chriſti milites, ita paratos & inſtructos eſſe oportet, & aciem ſtruere adverſus bellum vitiorum.* S. Chryſoſtomus.

XII. NOVEMBRIS.

S. Didacus Conf.

UT pauperum fami proſpiceret, panes ſuomet ſubduxit ori, illisque ceſſit. Sed poterat of-

fen-

fendere hæc liberalitas apud ſuperiorem, fortè ſupervenientem, ni cœlum innocenti furto patrocinatum eſſet, momentô converſis in flores panibus. Ab extaſi & cœleſtibus deliciis ſibi reſtitutus aliquando, exclamabat: ô quàm ſuaves ſunt illi flores paradiſi! morituri denique, poſteaquam ligneam Salvatoris è cruce ſuffixi iconem utraque manu apprehenderat, ſuſpiria fuerunt: dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera; quæ ſola fuiſti digna portare Regem cœlorum & Dominum. Cygnea hæc eſt cantio, animum arguens ad excipiendam mortis falcem impavidum.

SENTENTIA.

REcolimus modò illud, quod in omni preſſura & afflictione ſecuritatis portum præbet, paſſionem Chriſti, quam ultrò pro nobis ſubiit, ut ex filiis iræ nos ſuæ gloriæ redderet comparticipes. *S. Elzearius Comes.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. BEne & piè fatalem luctam ſub Crucifixi auſpiciis iniit *Didacus.* Ad illos, qui in articulo mortis ſunt, *deſcendit diabolus, habens iram magnam, ſciens, quòd modicum tempus habet.* Neque tamen hic illius furor & inſidiæ omnes illi nocebunt, cui pendens è cruce diaboli victor opitulabitur. S. Bonaventura fidenter aſſerit, in ſolo etiam Crucifixi aſpectu reperturum te, *quô vel provoceris ad imitandum eum, vel afficiaris ad eundem amandum.*

II. Do-

Digitized by Google

II. Doctori mellifluo repanda Salvatoris vulnera idem fuerunt, quod *firma ſtatio*, & manſio ſecuriſſima. *S. Elzearius Delphinæ* virgineæ conjugi per nuntium quærenti, quî valeret, & ubi moraretur, reſpondit: *ſanus ſum corpore, & ſoſpes: ſi autem videre me deſideras, quære in latere Corporis Chriſti: illic habito, ibi me invenies, fruſtra alibi quæſitura.* O, ut idem tibi ſit ſenſus! & dum per vitæ potiſſimam partem vagaris extra te, in illa ſaltem peremptoria periodo, certum, ubi reperiri poſſis, locum tibi ſtatuas.

III. Legit *Didacus* in imagine Crucifixi, veluti in libro ſcripto *intùs & foris*, grandem Dei-hominis amorem: grande item hominum ſcelus, amori iſti tam parùm reſpondentium. Paria & plura tu leges, etiam tum, quando *in fatalem claudentur lumina ſomnum*, ſi, dum vegetus es, ejusmodi lectioni ſæpiùs aſſueveris. Ne dubita, verum dixiſſe Auguſtinum, quando expendens illam Chriſti morientis pro matre ſua curam, aſſeruit, *ipſum illud lignum, ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedram* fuiſſe *Magiſtri docentis.* Tract. 119. in Joan.

XIII. NOVEMBRIS.

B. Siardus, Ord. Præmonſtratenſium Abbas.

QUintus à *B. Friderico* cœnobium *Horti Mariani* in Friſia, territorii Halumenſis, verbô rexit & exemplô. Generis nobilitatem virtutis additamentô plurimùm auxit. Vitæ communis verus cultor extitit & promotor, dum à ſuis nec minimùm vel in victu, vel in veſtitu diſcrepare voluit.

voluit. Imò, quò magis esset inter suos tanquam unus ex illis, ipse sæpiùs eorum labores, in messe potissimùm, suâ sublevare operâ non erubuit. Denique dierum & meritorum plenus, cùm Abbatiali dignitate triginta sex annis optimè perfunctus esset, fidelium pastorum mercedem à pastorum principe recepturus, cœlum petiit, frequentibus in vita, innumeris propè post mortem nobilitatus miraculis. Credi non potest, quantùm ejuscemodi dignitatum splendorem vel intendat, vel obnubilet exempli vel præsentia, vel defectus.

SENTENTIA.

AD virtutem sequendam is, qui bonâ & generosâ mente præditus est, exemplô eorum, qui rectè se gesserunt, adducitur: is verò, cui mala mens, eorum exemplô, qui virtutis munia non objerunt. *S. Joan. Chrysost. Homil. 8. in Ep. ad Philipp.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUamvis in eo etiam cuique de proximo suo mandaverit DEUS, ne alter alteri fiat *lapis offensionis*, & occasio peccati: obligationem tamen *exempli boni* superioribus sic propriam esse voluit, ut in hujus defectu non aliis meliùs comparentur, quàm scribis & Pharisæis super cathedram Moysis sedentibus, optimis verbô, pessimis factô. Sapienter Quintilianus: *hæc conditio superiorum est, ut, quidquid faciunt, præcipere videantur: & pernicioſissimus est malæ rei maximus quisque auctor.* Declam. 3. §. 14.

II. In

II. In bello quid mirum ordines disjici, dum primi fugâ dilabuntur? ſicca ſunt ſine exemplis verba, tamque parùm terebrant, quàm bruta fulmina. Quando verò cum defectibus exempli boni, mali etiam peſtis ſeſe inſinuat, tum verò dici poteſt *piſcis fœtere à capite.* Continuò enim patebit, quàm in tabem abitura ſint membra infirmiora. Facilè fuit totum Iſraëlem diffluere in *apoſtaſiam* à DEO, quando hunc manuduxit idololatræ *Jeroboami* Regis exemplum.

III. S. Gregorius Nazianzenus profligatiſſimos gentilium mores in eorum radice intuitus, exclamat: *quis tandem his, ut placidi & moderati ſint, perſuaſerit, cùm Deos* (nota bene) *vitioſarum affectionum patronos habeant?* optimè ad rem Poëta:

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cùm judex alios, quod monet, ipſe facit.

Non alii ſuperiores charactere ſuô digniores ſunt, quàm qui cum Chriſto verè dicunt: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

XIV. NOVEMBRIS.

S. Albertus Magnus Conf. & Epiſc.

MAgiſtram habuit DEIparam Virginem: diſcipulum verò, *Thomam Aquinatem*, Doctorem Angelicum. Doctrinam ſuam illi ſapientiæ ſedi & Virgini prudentiſſimæ, à qua eandem hauſerat, tam retulit in acceptis, ut auditô duntaxat ejus nomine, ſuaviſſimis diffluëret lacrymis. Ultimô tamen vitæ trienniô omnium repente oblitus,

tus, ibi *Philoſophus* eſſe cæpit, ubi & Theologus, & Philoſophus eſſe deſiit. Ut enim mortem meditaretur ſeriò, ſepulchrum indies adiit, fructu ſpeculationum iſtiusmodi non pœnitendo: amoris ſcilicet DEI, & contemptûs ſui. Non inflarent aliquando ſcientiæ reliquæ, ſi *Philoſophiam* hanc ſubſtructionis & fundamenti locò haberent.

SENTENTIA.

CUm ad intellectum hominis expoliendum multæ excogitatæ ſint artes & ſcientiæ, illisque homines diligenter incumbant; ad bonam tamen voluntatem comparandam, vel comparatam conſervandam, heu! negligentiſſimi ſumus. *Alphonſus Salmeron. Tom. 3. tr. 35.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. COntingit indies, earum rerum, quæ in ſe optimæ ſunt, uſum eſſe peſſimum, non aliô tamen, quàm utentium vitiô. Quid *ſcientiâ* præſtantiùs? hæc tamen ipſa quàm non paucis occaſio fuit perniciei perpetuæ? quis illius ſcientiæ, quâ claruerunt veteres Philoſophi, fructus? Apoſtolum audiamus: *cùm cognoviſſent DEUM, non ſicut DEum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* ad Rom. 1. v. 12.

II. Certum, eum qui plurima ſcit, etiam ignorare plurima: ac eorum non rarò, quæ obvia ſunt. Cùm enim DEUS ſuperbis reſiſtat, cùm præ-

præcipua abſcondat à ſapientibus & prudentibus, & revelet ea parvulis : nunquam patitur ſolidi aliquid ſtare in animis ſcientiâ inflatis, charitate vacuis. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1. v. 4.

III. Horrendum eſt, fuiſſe non è fœce vulgi ſolùm; non è ſimplici Clero, ſed Epiſcoporum ordine, imò purpuratorum patrum Collegio transfugas ab orthodoxa fide. Ruinæ occaſio fuit, nimia de ſcientia præſtanti præſumptio, quâ factum, ut errores ſuos protervè tueri mallent, quàm captivare intellectum *in obſequium fidei.* Hæreſes omnes (ut hiſtoriam volventi perſpicuum fiet) non aliô prodierunt uterô, quàm ſuperbiæ: *mali* videlicet *corvi*, *malum ovum.* Felix, cui primùm curæ & cordi eſt, *ſui cognitio*: hâc ſalvâ, nullum erit elationis periculum : obſervabitur enim Apoſtolicum illud: *non plùs ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.*

XV. NOVEMBRIS.

S. Leopoldus.

A *Uſtriæ Marchio* pietatem à teneris impenſiſſimè coluit. Liberalitatis quàm in DEUM, tam in pauperes fuit omnino profuſæ, quando neceſſitatibus horum per Eleemoſynas ſublevandis: illius honori per templorum erectionem propagando, plurimam divitiarum partem impendit, expenditque, cœlô devotionem hujusmodi ſic ratam habente, quòd luculentô lumine locus etiam ab eo fuerit oſtenſus, ædificandæ in DEIparæ honorem

rem Basilicæ peropportunus. Mortuum Deus stupendâ miraculorum multitudine orbi toti conspicuum fecit. Non tantus est auro à gemmis splendor, quantus animo nobili à pietate.

SENTENTIA.

Pletate nihil utiliùs atque conducibiliùs. Nam ea laureatis quoque imperatoribus sartam, tectamque subditorum obedientiam servat. *S. Isidorus Pelusiota L. 2. Ep. 136.*

REFLEXIO.

Punct. I. IN morem jam abiit, eos, in aulis præsertim, qui seriam pietatis curam habent, rideri, vilipendi; & vel hypocritas audire, vel fatuos. Deficiunt nimirum hoc tempore majorum exempla: deficiunt *Constantini*, *Theodosii*, *Ludovici &c.* fitque non rarò locus trito illi: *exeat ex aula, qui volet esse pius*: dum de prioribus dici poterat: *has aulas adeat, qui volet esse pius.* Tanti nimirum refert, principem ipsum vel virtutis esse cultorem, vel vitiorum mancipium.

II. Novit *S. Xaverius*, Indiarum Apostolus, quanti interfit, principem sui curam in primis habere. Hinc *Joanni III. Lusitaniæ* Regi auctor fuit, ut diebus singulis per unum saltem horæ quadrantem expenderet illa Christi verba: *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. sanè, quotusquisque principum germanam effati hujus intelligentiam à Deo obtinuit advertet

continuô, quantùm in fine discrepatura sint, studiosum fuisse vel finium ampliandorum, vel animæ salvandæ.

III. Affectuum regimen viris principibus tantò magis est necessarium, quantò illorum vita ab aliorum censura plùs est exempta. Magnum enim verò est, se vicisse, & sibimet, ubi opus fuit, vera dixisse. Celari possunt consilia principum: non item acriores animorum affectus, qui, si in morem indomitæ feræ erumpant, non possunt non ansam præbere sinistris hominum judiciis & sermonibus. *Fili! in vita tua tenta animam tuam: & si fuerit nequam, ne des illi potestatem.* Eccli. 37. v. 30.

XVI. NOVEMBRIS.

S. Edmundus Episcopus.

UT, etiamnum adolescens, DEIparam cordi jugiter & oculis obversantem haberet, duas has voculas, *AVE MARIA*, annulo insculptas circumtulit. JESUM in scholis sæpiùs sibi proximum vidit, ab eodemque edoctus est antidotum morti subitaneæ cavendæ utilissimum, triumphalem videlicet crucis titulum. Firmandæ castimoniæ præsidii locô esse voluit flagella & cilicinas vestes. Dæmonem aliquando percontatus, quibus demum armis enervari & confici facillimè posset, responsum tulit: *per virtutem passionis Christi, & aspersionem sanguinis ejus.* Ad extrema perductus, inter mille ad Christum & Virgineam hujus parentem alpiria, sic, suffragiis bonæ conscientiæ, protestatus est: *mi JESU! te testem*

ha-

habeo, nihil me unquam expetiviſſe præter te. Hoc demum eſt bene cæpiſſe, progreſſum eſſe, & conſummâſſe.

SENTENTIA.

QUemadmodum coitus animalium diverſi generis, de quo eſt in fabulis, monſtroia genuit corpora, *Minotaurum* neſcio quem, & *Centauros*; ita etiam improbiſſimorum hominum conſuetudo, abſurdos, atque monſtroſos mores parit, & parùm abeſt, quin *Centaurorum* facinora audaciſſima æmulentur. *S. Iſidorus Peluſiota L. 4. Ep. 35.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PRincipium profectûs *Edmundo* fuit familiariter à teneris aſſueviſſe JESU & MARIÆ: nec enim niſi ſanctum parere potuit neceſſitudo tam ſancta. Primò circumſpiciendum adoleſcenti, quibuscum converſetur: hinc enim vitæ reliquæ omnis ſumma pendet. *Neceſſe eſt, aut imiteris, aut oderis,* inquit Seneca Epiſt. 7. ad Lucil. eorum videlicet mores, qui tecum aſſidui ſunt: qui mores, ſi à recto exerrent, quomodò adoleſcentiam, per ſe in pejus pronam, non ad ſimile trahant?

II. Quid lucri ex contubernio malorum accreverit Auguſtino, ex ipſomet audiamus. *Fingebam,* inquit, *me feciſſe, quod non feceram, ne viderer abjectior, quò eram innocentior: & ne vilior haberer, quò eram caſtior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, &*

volutabar in cæno ejus, tanquam in cinamomis & unguentis pretioſis. L. 2. Conf. c. 3. Vide, quàm verum ſit, eos, qui picem tangunt, inquinari, & cum perverſis agenti, proximum eſſe perverti.

III. Adoleſcentûm, quos inopina mors in primo flore demetit, veſpillones ordinariè ſunt, *Gaſtrimargia, Libido, Iracundia, Contumacia, Societas prava, & otium*: atque ab his poſtremis peſtes illas priores, velut ab aëre infecto afflari rem ſeriò inſpicienti certum eſt. O ut *Elephantum* imitaretur juventus, dum Pierius refert, eum *capri* conſpectum adeò non ferre, ut indilatè fugiat. *Quis unquam mortalium juxta viperam ſecurus ſomnum capit? quæ etſi non percutiat, certè ſolicitat.* S. Hieron. L. 2. Epiſt. 10.

XVII. NOVEMBRIS.

S. Gregorius Thaumaturgus.

HOc illi nomen à ſtupendis miraculis, quæ DEO nixus patravit. Primùm enim templo condendo locum paraturus, montem ex uno in alium tranſtulit locum. Dæmoni ſilentium non modò impoſuit, ſed & alicujus ſuæ Epiſtolæ bajulum eſſe juſſit. Lyco fines baculo fixit, ne exundando damnum faceret. Jurgium inter duos ſublaturus, ſtagnum, litis materiem, orando pumice ſiccius effecit. Magiſtrum in Theologicis habuit Divum Joannem Evangeliſtam, à Virgine matre ſubmiſſum. Mirabilis ſanctorum in DEUM fiducia, facit DEUM eſſe mirabilem in ſanctis ſuis.

SEN-

SENTENTIA.

SIbi ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est, nec confidentiæ, sed diffidentiæ, magis in semetipso habere fiduciam. Is verè fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum. S. *Bernard. serm. 5. in Vigil. Nativit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SCimus ex Joannis c. 20. Christum in carne longè plura patrâsse miracula, quàm recenseat codex Evangelicus. Scimus itidem ex ejusdem Evangelistæ c. 14. item Luçæ c. 17. habentibus fidem debitam promissam esse virtutem efficiendi majora, quàm fecerit Christus. Scimus denique ex Marci c. 9. *omnia* esse *possibilia credenti.* Unde ergo tam rara hodie miracula? utique ex defectu fidei.

II. Miracula tamen nec semper fiunt, nec semper fieri convenit. Initiô cæptæ *fidei* opus iis fuit, dicente Augustinô, *necessaria fuisse, priùs quàm crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus.* l. 22. de Civit. DEI c. 8. nec hodie desiunt, ubi pro confirmanda & propaganda fide orthodoxa res agitur. Interim verò præter miracula quotidiana, quæ assiduitate suâ viluerunt, miraculi locô tibi sit infinita DEI erga ingratos liberalitas, & erga peccantes patientia: quibus si non movearis, ipse etiam miraculum eris, sed *naturæ* rationalis *deturpativum.*

III. Miraculorum gratia, quòd gratis data esset, sanctos tam non extulit, ut ignorari ea,

quàm ſupra tecta prædicari mallent. Fuitque hoc ipſum miraculum ſanè magnum, in tanta captandæ vanæ gloriæ occaſione ſeipſum viciſſe. *Plurimum miror*, inquit S. Bernard. de miraculis à ſe factis, *quidnam ſibi hæc miracula velint, aut quî DEO viſum ſit talia actitare per talem. Nihil mihi videor in ſacris paginis legiſſe ſuper hoc genere ſignorum. Siquidem facta ſunt aliquando ſigna ſuper ſanctos homines & perfectos: facta ſunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conſcius ſum, nec fictionis.* Auct. vitæ L. 3. c. 6.

XVIII. NOVEMBRIS.

S. Odo Conf.

S. Martino, Turonenſium Antiſtiti, devotiſſimus extitit *Odo*, hujusque precibus tranſitûs ſui dilationem obtinuit, quò & ſibi amplioris meriti, & aliis promovendæ ſalutis eſſet occaſio. Patri ut virorum; matri ut Virginum cœtibus religioſis ſe devoverent, auctor fuit. Unum in eo diſplicere DEO viſum, nimius nimirum librorum prophanorum amor, cui emendando vas aliquando cœlitus *Odoni* oſtenſum eſt ſerpentibus ſcatens, ut conjiceret, qualis foret voluminum quorundam lectio. Viſus inſuper eſt S. Gregorius dubio porrigere calamum, hortarique ad tempus in ſcriptionibus ſacris elocandum. Cibis mortale hoc corpus ſaginamus, animum lectione: hôc utrinque diſcrimine, quòd diligentior ibi delectus ſit, quàm iſthic, cùm tamen oppoſitum fieri oporteret.

SENTENTIA.

UTiſtis (gentilium Philoſophorum ſcriptis) occuperis, immunis & liber: ut Chriſtum, hoc eſt, ſapientiam DEI diſcas, tributarius, & occupatus es: vacat tibi ut Philoſophus ſis, non vacat ut Chriſtianus ſis. Verte potius ſententiam: ſis DEI Philoſophus, eſto Peripatericus DEO. S. *Paulinus Epiſt. 36. ad Jovium tributarium.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ETſi veriſſimè dixerit Plato, *libros libris tantò chariores eſſe debere, quantò filii mentis præſtant filiis corporis:* permagni tamen refert, noſſe, quinam ſcriptores legendi ſint, & quomodo. Fuerunt ſecta *gentiles*, ſcriptione *Chriſtiani*, quibus una cura fuit inſectari vitia, commendare virtutem. Meritò iſti leguntur, cùm virtutem ſequi debitum ſit, unde demum hæc obligatio inculcetur.

II. Alii ſcorpionum more, dum blandiuntur, pungunt. Aculeum nimirum heterodoxi dogmatis figunt ſub eloquentiæ floſculis. Fugiendi hi ſunt, ne quis cum polita dictione hæreſeos venenum incautus ſorbeat. Vidit Cyriacus Presbyter, ut refert Baron. ad An. Chr. 429. *Chriſtum* aliquando cum Virgine matre cellæ ſuæ proximum: cùmque hoſpites iſtos, quâ poterat ſubmiſſione invitâſſet, DEIparam dicentem audiit: *habes intrà cellam tuam inimicum noſtrum, & vis, ut ingrediamur?* parvulus erat libellus à Neſtorio editus.

III. Tertiæ ſortis ſunt, quibus in charta & calamo meræ ſordes & lutum. Doluit *L. 1. Conf. c. 16.* tales legiſſe ſe Auguſtinus. Et ſanè, dici non poteſt, quantùm ejusmodi ſpurcitiis corrumpantur vegetiores memoriæ. Perniciei plurimùm continent, utilitatis nihil: & craſsè deſipit, qui toxicum ideo bibere paratus eſt, quia in aureo calice propinatur. *Aptiſſima obſcœnorum librorum Bibliotheca, caminus.* Theophyl. Raynaud.

XIX. NOVEMBRIS.

S. Eliſabeth, Landgravia Haſſiæ.

REgiæ mentis non minùs, quàm ſanguinis fuit, quando, ne ſub ſpinoſo capite membrum videretur delicatum, ad intuitum ſpinis coronati Salvatoris ſui auream capiti coronam detraxit. Audiit paulò poſt ab illo ſuo dilecto: *ſi tu vis eſſe mecum, ego volo eſſe tecum, & nunquam volo à te ſeparari.* Mundum deceptorem deceptura invicem, aſperô carnem ciliciô domuit, cùm foris uteretur mundô muliebri. Somni inimica, noctes integras ad magiſtri ſui exemplum in oratione pervigiles egit. Matrimonii denique legibus per mariti obitum ſoluta, filia eſſe cæpit inſtitutô & habitu pauperis Franciſci: inque eo ſtatu pauperum ſe matrem, omnium, etiam viliſſimorum obſequiorum exercitiô impertæsô tam præſtitit, ut digna tandem fuerit habita inter canentium angelorum voces etiam audire à Chriſto hanc invitatoriam: *veni, dilecta mea, in præparata tibi habitacula ab æterno.* Hoc demum eſt, quod Apoſtolus dicit, mundô ſic uti aliquem, tanquam eô non utatur.

SEN-

SENTENTIA.

NOli amare ſæculum hoc præſens, nam ſupplantat amatores ſuos: & dum ad horam delectat, nudos eos hinc in æternum illud ſæculum emittit. *S. Ephrem Tom. 1. de Compunct. animi.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. BEati ſunt beatorum oculi, quia vident non extimam tantùm rerum ſuperficiem, ſed intimum illarum eſſe. Hinc nauſea, quâ deſipit illis, quidquid DEUS non eſt, vel ad DEUM ducit. *Quàm ſordet mihi terra*, exclamabat Ignatius, *dum cælum aſpicio!* & quidni ſorderet, quando tota in maligno poſita vitiorum cœno innatat? *ô munde proditor, quàm multos decipis, quàm multos fallis! cuncta bona promittis, & cuncta mala profers.* S. Auguſt.

II. Nativam mundi faciem, detractâ illi larvâ, ſic exhibet concionator nonnemo: *mundi mel eſt fel: ejus munera, funera: pax fax: arriſus irriſus: culmen fulmen: jocus focus: oculi ſcopuli: cumuli tumuli: ſors mors: lætitia triſtitia: bonos onus: prudentia dementia: boli doli: amplexus nexus: blanditia ſævitia: copia inopia: bamat dum amat: fallit dum pſallit.* Expende, niſi pigeat, ſingula: dices, rem acu tactam.

III. Quod *Eliſabethæ* ſuæ; idem mundi contemptoribus dicit Chriſtus: *ſi tu vis eſſe mecum, ego volo eſſe tecum.* Suggerit tibi & aliis DEUS: *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt*, 1. Joan. 2. quid obſequi dubitas? an fortè

credis, quòd mundum tibi DEUS invideat? minimè id ſanè. Fruêris illô, ſi voles: audies tamen aliquando: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Hoc ne fiat, cordi nobis ſit magni Auguſtini monitum: *intendite fratres mei! Chriſtianos oculos habete: nolite decipi viſibilibus.* In Pſal. 56.

XX. NOVEMBRIS.

S. Daſius M.

MOs fuit *Doroſtorenſibus*, paganiſmi tenebris adhucdum involutis, unum quotannis juvenem è primo nobilitatis flore ſeligere, ac triginta dierum deliciis probè ſaginatum, auróque redimitum, *Saturno* ſacrificare. Doluit *Daſius* & illorum, & ſuam vicem: ac ne deinceps crudeli hâc ſtultitiâ offenderetur DEUS, ipſe, capite cæsô, victima Chriſti fieri, quàm deaſtro illi ſacrificari maluit. Agit diabolus quod gentiles iſti: deliciis ſaginat eos, quos macello deſtinat: nec in ſingulos tantùm annos, ſed in dies, & in momenta ſapiunt, quibus fames præ ejuscemodi gula ſapit.

SENTENTIA.

ATtendite, quæ ſævitia, quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus: paſcuntur cadaveribus, putredine ſaginantur, deliciantur fœtore, quibus tota voluptas eſt homines interire. *S. Chryſologus ſerm.* 16.

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. ANte Lucem Evangelii orbi novo illatam locum habuit Davidicum illud: *immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis.* Pſ. 105. v. 37. Conſtat in una Urbe *Mexico* unâ aliquando die dæmoni in victimam ceſſiſſe capitum ſeptuaginta ſex millia. Adeò verùm eſt quod S. Joannes inquit: *ille* (diabolus) *homicida erat ab initio.* Quanta tua felicitas, quòd poſt ea tempora natus ſis, & fide didiceris, cui, & qualiter ſacrificandum!

II. Pudendâ nimis ambitione dæmon adorari aliquando à Chriſto voluit: *hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Age, quisquis ambulando poſt concupiſcentias tuas dæmoni famularis, videamus, an non à te fiat, quod dæmon hîc fieri voluit. Quando approbas quæ dæmon ſuggerit, & opere ea exequeris, an non voluntatem tuam, *filium tuum quem diligis Iſaac*, eidem litas? an non, religione nimis quàm præpoſterâ, hoſtiam & oblationem teipſum facis?

III. Siliquis porcorum, ut filius prodigus, ſaturari volunt voluptatum mancipia, ut infero lanioni victima fiant tantò gratior, quantò pinguior. Deficit in iſtis fides: credunt, quæ falſa: negant, quæ vera. Novit ipſe dæmon, non tales eſſe voluptates, quales videntur: & tamen qui ſe dæmoni dedunt, aliud à dæmone credunt. Illis ergo rem oculis intuere, quibus meretur. *Offert diabolus oculis formas allicientes, & faciles voluptates, ut viſu deſtruat caſtitatem: oſtentat falſa, ut ſurripiat vera.* S. Cyprian.

XXI.

XXI. NOVEMBRIS.

Præsentatio B. V. MARIÆ.

ANnua hodie feliciſſimæ illius dies memoria, quâ prodigioſus *Joachim* & *Annæ* partus, poli ſolique delicium, trimula Virgo, in ſanctis ſanctorum deinceps victura, non tam à parentibus, quàm à ſe ipſa uni DEO devota eſt, ſacrata, & conſecrata. Munus non aliud tam pretioſum ab omni retro tempore, quàm iſtud, vidit templum illud. Et verè fuit *templum in templo*: templum videlicet individuæ triadis in templo materiali. A principiis tam pretioſis non potuit non prodire progreſſus nobiliſſimus, qui fuit vita in ſanctitate & juſtitia coram DEO in ea menſura perfectionis traducta, ad quam nec pertigit aliquando, nec deinceps pertinget alia pura creatura. Sacrificium & oblationem, qualia ex pecudum cædibus habuit familiaria vetus religio, noluit tum DEUS, quando eam coram intuitus eſt, quæ, ſuô in ſenſu, fuit *offerens* & *oblatio*. Quid tricaris anime DEIparæ amans ad ſimile quid conniti? imò non ſimile, ſed inferius? ne dubita, DEUM ad magnatûm morem agere, quibus in pretio aliquando quæ vilia ſunt, & à vili: non quia à vili & vilia, ſed quia ſincera & ſincerè oblata.

SENTENTIA.

TOta pulchra es, ô *MARIA!* pulchra es intùs, pulchra es foris: intùs in corde, foris in corpore: intùs rubicunda, foris candida,

dida, utrobique compoſita: in toto places, in nullo diſplices: pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima per gloriam. *B. Amedéus Homil. 7. de Laud. Virg.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Templum in templo*, dixi DEIparam, & verè. Obſtupuit ad ſpirituale iſtud, materiale illud, novam hinc ſanctitatem conſecutum. In hoc verò ſpirituali lapides vivi præſtantiſſimarum virtutum, quæ jam tum ſedem fixerunt in corculo illo tenello. *Altare* hîc *aureum* Amoris DEI, fumans à thymiamate devotionis ſinceriſſimæ. O quâm odoratus hîc DEUS fuerit odorem ſuavitatis! quidnam anima tua? an templum DEI vivi? an *ſpelunca latronum?*

II. Notat *S. Auguſt. ſerm. 256. de Temp.* neminem unum materiale aliquod templum intraturum, ſi ligna & lapides non certô ordine ſibi cohærerent. In trimulæ Virginis *Corculo* ſingula fuerunt ordinatiſſima, ſymmetria incomparabilis, diſpoſitio rerum ſtupenda. Amor DEI omninò intenſiſſimus: charitas proximi ſuis numeris abſoluta: atque ex gemina hac radice omnis reliquarum virtutum apparatus. Hæc tibi ſubſtructio neceſſaria eſt, nec prodeſt alia quæcunque. *Ipſum DEUM amemus propter ipſum, & nos in ipſo: tamen propter ipſum.* S. Auguſt.

III. Aula ſunt DEI, templa DEO ſacra, & hinc pulchra eſſe opus eſt: ſecus enim *aulam* inter & *caulam* nihil diſcriminis erit. Aſpice *templum in tem-*

templo, Virginem tenellam : advertes totum eſſe pulchrum hoc templum, *intùs*, videlicet, & *foris*. Enitere, cum DEO, ad inſignem aliquem pulchritudinis hujus gradum, habendo ſeriam *gratiæ DEI* curam. Hæc enim una venuſtam facit animam, & ſedem efficit DEO dignam : ab oppoſito certa tibi ſit Gregorii Nazianzeni ſententia : *gratia DEI minimè influit in malum, ac nulla ex parte concors organum.* Orat. 7.

XXII. NOVEMBRIS.

S. Cæcilia V. & M.

CAntantibus organis voce & votô admodulata eſt *Cæcilia* : fuitque textus : *fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Cantui planctum aliquando interpoſuit : licet enim angelum haberet virginitatis cuſtodem, ciliciô tamen, triduanis jejuniis, lacrymis & oratione, lectione demum frequenti ſervare illam ſartam & tectam ſtudioſiſſimè adlaboravit, neque ſe priùs credidit extra teli jactum poſitam, quàm trinô vulnere proſtrata theſaurum illum tumulo intuliſſet. Apis argumentoſa, *Tiburtio* etiam & *Valeriano* puritatis amorem, quem ſeminator caſti conſilii *JESUS* pectori Virginis implantarat, efficaciter perſuaſit, Martyr ipſa & martyrum virgo parens. Triduanas obitûs ſui inducias à DEO petiit, & obtinuit, aptandæ tum domui ſuæ cultui divino, tum verò firmandis etiam in fidei profeſſione chriſtianis. Ingenioſus eſt caſtitatis amor : adinvenit facilè, quô & ſemet tutetur, & aliis blandè ſe inſinuet.

SEN-

SENTENTIA.

SI ex abundantia cordis os tuum laudem Domini moduletur, ſi ſpiritù pſallis & mente, pſallis denique ſapienter, etiam citra articulatæ vocis intelligentiam: rectiſſimam modeſtiæ regulam tenes, & non tam vocis, quàm mentis jubilô aures mulces altiſſimi, & indignationem ejus prudenter avertis. *Joan. Sarisberienſis.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MUltùm valet ad movendos efficaciter animos *Laus DEI vocalis*, ſive cantu muſicô, ſive ſimplici decantata. *Quantum flevi*, inquit Aug. l. 9. Conf. c. 6. *in Hymnis & canticis tuis ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter! voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Vides uberem fructum quem parit *concentus ordinatus*? ſi enim talis non ſit, riſum pariet, vel tædium.

II. Modus igitur in modulis ſit oportet. *Pſallite DEO noſtro*, inquit David, *pſallite Regi noſtro*: nec qualitercunque: ſed *pſallite ſapienter*. Deſipiunt ergo, qui aurium magis applauſum, quàm animorum nundinantur: ac, quemadmodum cadaveroſus Leo, quem *Samſon* interfecit, favum mellis non ſibi, ſed alteri præbuit: ſic iſti,

dum

dum vanitate alios pascere satagunt, ipsi jejuni permanent. Meritò his, dicas: *seminastis multùm, & intulistis parùm: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.*

111. Musicam in terris ejus esse æmulam, quæ citra pausam & suspiria in cœlis personat, asseverat Joannes Sarisberiensis, unaque docet rectum musicæ usum, dum, ubi de *cytharædis cytharizantibus in citharis suis*, quorum meminit apocalypsis, disseruit, ita pergit: *quòd si illos nondum audisti, Regem audias exultantem. Ait enim: sumite psalmum, date tympanum, psalterium jucundum cum cythara. Ad quid, inquis? ut laudetis Dominum in tympano & choro, in chordis & organo. Hic est enim usus musicæ aut solus, aut præcipuus.*

XXIII. NOVEMBRIS.

S. Trudo Presbyter.

VItam egit *Trudo* ad sanctitatis & innocentiæ leges tam exactè factam, ut jure habitus sit sacerdotum temporis sui ornamentum & idea. Cùm somni juratum aliàs hostem hic aliquando præoccupâsset, tutelarem genium sibi dicentem audiit: *Pax tibi servorum DEI devotissime, inter cœlestis curiæ senatores civis jam designate. Ne deseras, quod cæpisti, propositum.* Cœlicâ non rarò luce coruscus apparuit: precibus fontem elicuit: eferum verrem cicuravit: vitæ scriptori jam ad extrema devoluto vitæ telam prolongari obtinuit: eos, qui seriam corporis castigationem mitigari tantisper suaserant, amicos non verè misericordes,

des, consolatores onerosos appellavit: mortem denique vitæ exæquo respondentem oppetiit, sanctam nimirum, quali moriuntur, qui in Domino moriuntur. Nihil omittas, atque in primis, ne, obsecro! perseverantiam in bene cœptis, ut par tibi obtingat felicitas.

SENTENTIA.

PLus operis est in eo, ut proposita custodias, quàm ut honesta proponas: ideo perseverandum est, & assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est. *Seneca* Epist. *116.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ILli demum rectâ lineâ collimant ad præfixum sibi scopum, quibus cum *Trudone* & *Jobo* fixum: *donec supereſt halitus in me: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Job. c. 27. *Currebatis bene, quis vos impedivit?* ita ad instabiles suos Galatas *Paulus c.* 5. Vult nimirum piger, & non vult, cùm è contra volendum valde sit, quod boni aliquis vult. *Bonum inchoare, quid aliud est, quàm monstrosas res conficere; illa enim actio quasi chimæra est, quæ initium habet à ratione, sed finem à sensualitate.* S. Augustt.

II. Hæc inconstantibus jactura obvenit, quòd labori aliquando plurimo fructus respondeat nullus. Hîc nempe suos etiam diabolus *martyres*

habet: eos videlicet, qui cùm ſpiritu ceperint, carne denique finiunt. *Miſerabile ſpectaculum! poſt jejunia multa, poſt durum vitæ genus, poſt longas ad DEUM preces, poſt uberes lacrymas, denique poſt viginti aut triginta annorum abſtinentiam, ſimilem fieri mercatori cuidam diviti, qui in portu naufragium fecit.* S. Baſil.

III. Amor bravii perſeverantibus promiſſi facit tranſitoria diſſimulanter; manſura fixis aſpici oculis, præſertim dum in conſiderationem venit *modicum* illud laboris, quô æternæ gloriæ pondus comparatur. Hi ſtimuli ſanctos incitarunt, ut non antea currere deſinerent, quàm meta eſſet in oculis & manu. Periit *Nabuchodonoſoris* ſtatua, quòd cùm ab auro cæpiſſet, in luto deſierit. *Inſiſtendum eſt, ut cujuslibet ardui propoſiti terminus attingatur: nam neque lapis unus eſt tota turris fabrica, neque unum propoſitum ducit ad animæ perfectionem.* Nyſſen. apud S. Thom. in Lucæ c. 14.

XXIV. NOVEMBRIS.

S. Firmina V. & M.

QUòd caſtitatem impenſiſſimè coleret *Firmina*, quòd ab hujus amore nullis vel blanditiis vel minis divelli ſe pateretur, cœli & ſuperum plauſus tulit, copiosâ primùm luce, quæ veſtis & tutelæ locô fuit, centum deinde & quinquaginta animarum converſione. Fuit inter lenones, qui Virginem amplexu non caſtò ſtricturus, utrumque brachium continuò ſtupidum ſenſit & enerve. Reſtitutus tamen à Virgine & ſanitati & menti, ante

mar-

martyrem martyr occubuit. E capillis ſuſpenſa, cùm flagra, lanienas, laterum aduſtiones latiſſimè tolerâſſet, ſpiritum innocentem, corporis laceri pertæſum, fide & conſtantiâ integerrimum, in ſponſi manus tradidit ſapiens virgo, & una de numero prudentûm.

SENTENTIA.

SI quis quemlibet amat, ſed propter DEUM non amat, charitatem non habet, ſed habere ſe putat: charitas autem verâ eſt, cùm & in DEO diligitur amicus, & propter DEUM diligitur inimicus: ille ergo ſecurus amat, qui propter DEUM tantùm amat. S. *Gregor. Homil. 38 in Evang.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. HOminum vitiô fit, confundi *charitatem* & *carnalitatem.* Habenda quidem eſt charitas ad omnes: hæc tamen niſi *ordinata* ſit, in *carnalitatem* degenerat. Hinc orandum cum vate regio: *emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Pſ. 42. Hæc *Lux* ſi deſit, facilè impingetur in illud alterum extremorum, quod in amatore *Firminæ* ſuæ tam graviter ultus eſt DEUS.

II. Celebre eſt illud D. Hieronymi ad ſuorum aliquem: *mulieres omnes aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige.* Remotiores à periculo ſunt qui prius eligunt: poſterius enim eligere volentibus, ô, quàm *luce* opus, ut ſeparent pretioſum

à vili! fuit qui diceret (fidentiùs fortè, quàm veriùs) ſe ad occurſum ſpecioſorum vultuum uſurpare Davidicum illud: *delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata ſunt opera tua!* &c. monuit alter, ut adderet etiam verſum proximè ſequentem: *vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Verè & ad hominem.

III. Omnium optimè ſapiunt, quibus ſenſus ſub *camo & fræno*: oculi præcipuè, judices nimiùm partiarii. Noluit S. Auguſtinus in fœminas figi oculos, quôd noſſet, etiam obiter miſſos, ſæpiùs nocuiſſe plurimùm. Quid *Dinæ* tam obfuit, quàm vidiſſe, & viſam eſſe? omiſiſſet tamen prius, non impegiſſet in poſterius Hinc S. Bernard. *ô Dina! quid neceſſe eſt, ut videas mulieres alienigenas? quâ utilitate? an ſolâ curioſitate? otiosè vides, non tamen otiosè videris.* de 12. grad.

XXV. NOVEMBRIS.

S. Catharina V. & M.

REgiis Alexandriæ natalibus orta, à prima ætate ſtudiis animum ſic excoluit, ut paſſim *Græciæ gemma* diceretur. Eremicolæ, quem DEÔ diſponente fortè convenerat, exemplo & monitis *gentiliſſimum* dedocta, ac ſalutaribus undis tincta, ſalutem duntaxat animarum in pretio habuit, quarum inſigne lucrum fecit octodecennis, cùm Philoſophos quinquaginta, *Fauſtinam* Maximini conjugem, *Porphyrium* belli ducem, milites ducen-

Digitized by Google

centos ab idolorum cultu ad christiana sacra & martyrium traduxit. Scorpionibus, plumbatisque concisa ac contusa, dierum undecim fame torta, rotæ demum crudeli addicta, cùm hanc precibus igne cœlesti pessumdari obtinuisset, gladio caput subdidit, lac pro sanguine reddens, sicque facta sine sanguine Martyr. Angelos in *Sina* Arabiæ vespillones habuit, ubi hodieque corpus glorioſum salutaris olei destillat liquorem. Digna fuit scientiarum tam præstantium cultrix & arca his honoribus & obsequiis.

SENTENTIA.

INfelix homo, qui scit illa omnia, te autem nescit: beatus autem, qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui verò & te & illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solùm beatus est, si cognoscens te sicut DEUM glorificet, & gratias agat, & non evanescat in cogitationibus suis. *S. Augusti. l. 5. Conf. c. 4.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. INsigne DEI, nec satis æstimatum aliquando beneficium est, quòd hominis animum creaverit scientiarum quàm divinarum, tam prophanarum capacem. Hôc enim unô maximè talentô à brutis discrepat homo. Nimis igitur quàm turpe: nolle aliquem intelligere ut bene agat: nimis quàm indignum talentum hoc sudario involutum, neglectim abjicere. *Non*

curare ſcire & ſapere, inquit doctiſſimus noſtri temporis ſcriptor, *idem foret, quod renunciare eſſentiæ hominis, & declarare ſe eſſe è grege jumentorum, quorum totus labor eſt corporis, & circa corpus.*

II. Primùm verò cognitum DEUS ſit oportet. *Ideo naſcimur*, inquit Lactantius Firmianus: *ut agnoſcamus factorem mundi ac noſtrum DEUM; ideo cognoſcimus, ut colamus: ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus.* L. 7. c. 6. Alterum cognitum ſit homo ſibi ipſi. Amuſus enim nimiùm eſt, qui ſe ipſum ignorat: pretium ſcilicet animæ ſuæ tam vili venditæ, tam carò redemptæ. *Quàm pretioſus ſis, ô homo! ſi forte creatori non credis, interroga Redemptorem.* S. Eucherius.

III. Ubi hæc DEI, ſuique cognitio, ibi ſpes ſolida & multa profectûs eximii: præſertim ſi non deſit labor ſerius & conſtans: hâc enim & non aliâ monetâ ſcientiæ væneunt. Rogatus Plato, quomodo ſapientiam tantam ſibi comparaſſet, falsè reſpondit: *quia plùs olei conſumpſi in lampade, quàm vini in calice.* Denique ſic juvandus eſt proximus, ut teipſum tamen non negligas: hîc enim vel maximè *Amor incepit à ſe ipſo.*

XXVI. NOVEMBRIS.

S. Conradus Epiſc.

ILluſtriſſimi Comitis Altorfii filius, rudimenta virtutis & emendatioris vitæ, ſeptennis, apud *Notbingum*, Conſtantienſem Epiſcopum, virum

ſan-

ſanctitate non minus, quàm doctrina celebrem, eò ſucceſſu poſuit, ut adoleſcens etiamnum, præpoſituram primùm: tum verò vivis exemptô moderatore ſuo, locum hujus & ſedem, Epiſcopus Conſtantienſis electus, obtinuerit, virtute, meritis, & ſcientiâ potiſſimum ſuffragantibus, quæ pretioſa in *Conrado* habuit S. *Udalricus* Epiſcopus Auguſtanus, auctor etiam eidem & ſuaſor, ad ſubdendos oneri paſtorali humeros. Aſſiduus in oratione, jejuniis, vigiliis, prædicationi verbi DEI, trinam etiam peregrinationem addidit in terram ſanctam. Prophetiæ donô claruit. Annis denique duobus & quadraginta in officio illo exantlatis, *Epiſcopus*, ad divi Pauli præſcriptum, *irreprehenſibilis*, à paſtorum Principe ad æterna præmia evocatus, placidâ morte deceſſit. Notâ in eô ſingulari dignum, quòd amantiſſimus eſſet colloquiorum ſpiritualium, quæ frequentia illi & protracta fuerunt cum dicto Præſule Auguſtano. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava:* firmant & ſolidant, quæ de DEO & divinis ſunt.

SENTENTIA.

GRata mihi piorum & bonorum familiaritas: quia ab his eruditio & pietas, non ſecus, ac ab aromatibus odor. *S. Ludovicus Epiſcopus Tholoſanus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurimùm *Conrado* profuit à puero virtutis amantem fuiſſe, animô nimirùm tum adhuc cereô, & formæ meliori natô,

factôque. Corrivales ſunt *virtus* & *vitium*: cui primùm in tenera mente ſedes obtigerit, eam mordicus defendet. *Difficulter eraditur, quod rudes animi imbiberunt*, inquit S. Hieron. Epiſt. 7. ad Lætam: & Job: *implebuntur oſſa vitiis adoleſcentiæ ſuæ, & cum eo in pulvere dormient.* c. 20. v. 22.

II. *Bonitatem*, & *diſciplinam*, & *ſcientiam* doceri petiit David. Amplioris momenti ſcientiæ ſunt, quæ tradùntur à piis. Robuſtæ hæ ſunt, cum aliæ ex improborum ore prodeuntes tinniant tantùm. Unde ſicuti *Nothingum* ſuum *Conradus*; ſic maximi faciunt, qui melioris ſunt indolis, præceptores pariter probos & eruditos. Veriſſimè igitur & chriſtianè aſſeruit Epictetus: *non eſt cujuslibet præceptorem eſſe, ſed divinitùs ad id legi oportet.*

III. Colloquia pia ſemina ſunt à benefica illa numinis manu in nos ſparſa, nec minorem centuplô factura fructum, ſi terra reſpondeat. Collationes Eremitarum veterum, ô quàm fuere præſtantes! docuit alium alius quæ agenda: nec verbô tantùm, ſed factô: indeque ſolitudines illæ cœlo, quàm terræ ſimiliores erant. Indignum, homines quôcunque titulô DEO devotos rariſſimum de divinis miſcere ſermonem: nec indignum tantùm, ſed nota etiam mentis modicùm æſtimantis divina. *Imago animi ſermo eſt: qualis vir, talis oratio.* Seneca in Proverb.

XXVII.

XXVII. NOVEMBRIS.

S. Jacobus interciſus M.

UT Regis Perſarum, primarius in aula miniſter, affectum ſibi faceret amplius vectigalem ac firmum, regis regum gratiam vili habuit, delertor fidei orthodoxæ, & idololatra. Scelus hoc in eo ſic deteſtatæ ſunt mater & uxor, ut omni neceſſitudinis arctiſſimæ jure deſtitutum, privatumque vellent putre membrum. Doluit tum primum vicem ſuam *Jacobus*, & pro recuperando non tam ſuorum, quam DEI favore, correcturus quod perperam egerat, regem adiit, apoſtaſiæ ſeſe damnavit, ac Chriſtum eoúsque confeſſus eſt, dum tyranni juſſu articulatim diſſectus, & jam truncus meriſſimus, caput & vitam denique poneret, nobiliſſimus ſalutarium retractationum doctor. Novit DEUS figmentum noſtrum, novit erroribus eſſe obnoxios, eô ipſo, quòd homines ſimus, non angeli: nec tantum errantibus indignatur, quantum in errore perſeverantibus.

SENTENTIA.

UBi ſemel emerſeris, noli denuo mergi quotidie peccando, ædificando, diruendo, texendo, diſſolvendo, puerorum inſtar, qui frequenter domus, quas erexerunt, reverſi iterum deſtruunt. Fuge ſcorpionem, cujus noviſti ſtimulum. Qui ſecundò in eundem lapidem impegerit, cœcus eſt,

aut mente captus. *S. Ephrem ſerm. in quotid. peccant. Tom. 1.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SI foret ab hominum conditione alienum *errare*, & *errâſſe*, foret & alia rerum facies. *Ego dixi, dii eſtis*, elogium eſt *comprehenſorum* potiùs, quàm *viatorum*. Cognatum his labendi periculum, a quo non etiam eximit ſanctitas quantacunque. *Quantâlibet quis excellentiâ ſanctitatis emineat, non eſt ſic de ſua perfectione ſecurus, ut non debeat eſſe de caſu ſollicitus.* S. Proſp. de vit. contemplat. c. 9. Non ergo malum eſt, malè agere poſſe, ſed bonum etiam eſt, in malo non perſtitiſſe. *Nihil peccare ſolius eſt DEI: peccatum autem corrigere & èmendare, ſapientis.* S. Amb. Epiſt. ad Simpl.

II. Fuit in ſanctis, ſeriò per DEI gratiam aliquando converſis, maximus ſemper *recidivationis* horror, quòd crederent, deplorata alternè & repetita denuo peccata eſſe *rudentes* illos, qui ad tartarum trahunt, cùm tandem ſic invaleſcant, ut omnis eorum corrigendorum cura diſpareat, diſpereátque. *Primùm tibi importabile videtur peccatum: proceſſu temporis, ſi aſſueſcas, judicabis non adeò grave: paulò poſt etiam delectabit: ita paulatim in cordis duritiem itur.* S. Bern. L. 1. ad Eugen. c. 2.

III. *Davidis* adulterium, infidelitas *Thomæ*, *Jacobi* hujus apoſtaſia, *Magdalenæ* vanitas & ſordes, minimùm his nocuerunt, quia feciſſe pœnituit. Non opus ut pro præteritis ſanguinem fun-

das:

das: una lacrymula, unum compuncti cordis aſpirium, unum *peccavi*, per ſeriam confeſſionem DEO, & ſacerdoti Vicario dictum, priſtinæ te reſtituet ſanitati. *Deliquit David: ſed per regiam & publicam pœnitentiam peccata ſua ita annihilavit, ut peccâſſe non videatur.* S. Auguſt.

XXVIII. NOVEMBRIS.

S. Stephanus M.

BEneficiô DEIparæ Virginis in lucem editus, omni vitæ tempore devotiſſimus illi vixit. Stupri accuſatus, DEO cauſam ſuam commiſit: & ultus hic eſt famuli ſui innocentiam, quando geminæ proles ſcortum impudens usque ad ſceleris confeſſionem, & impactæ calumniæ palinodiam, torſerunt, & lacerârunt. Illuſtrior *Stephanus* ab innocentia tam robuſtè cœlitus propugnata; tutorem & ipſe deinceps egit ſacrarum imaginum, quorum honorem denique & cultum contra iconoclaſtas ſuomet ſanguine aſſeruit glorioſus martyr. Privata ſe vindicandi libido non debilem tantùm animum, ſed diffidentem etiam DEO prodit. Cur enim aliàs non crederet iſti dicenti? *mihi vindicta, & ego retribuam.*

SENTENTIA.

NOn vides in ædibus, quando è regione, ac directè duæ januæ oppoſitæ ſunt, & flatus vehemens irruerit, ſi alteram clauſeris, & reſpiratio prohibita fuerit, qnomodo nihil

nihil efficere valeat flatus, ſed plurimùm de illius robore præcidatur? ita & hîc. Duæ ſunt januæ: os tuum, & os illius, qui te vituperat, & probrô afficit. Si tuum occluſeris, & ſpirationem non dederis, omnem flatum iſtum extingues. Si verò aperueris, effrænis reddetur. *S. Joan. Chryſoſt. homil. 11. in 1. ad Theſſalon.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. ETſi non liceat tantùm, ſed expediat etiam aliquando, crimen falsè impactum, veri à criminatore commiſi retorſione elidere, ut nimirum conſulatur indemnitati propriæ, ibi, ubi ab hac aliorum etiam honor dependet: propiùs tamen ad Chriſtianam perfectionem accedunt, Chriſtum imitati, qui, *cùm pateretur, non comminabatur.* Dudum evanuit lex illa veterum: *oculum pro oculo*, &c. Ejus verò loco ſubſtituta eſt hæc alia: *diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.*

II. Dicent aliqui: *hôc ipsô, quòd ferientem me non repercutiam, reddam illum pejorem.* Frivolum hoc eſt imperfectionis tegmen, iis potiſſimùm familiare, qui immodicis *amoris proprii* febribus æſtuant. Nullus apud hos retorſionis modus, cùm toti ſint dens, toti ſibilus ſerpentinus. Nec enim niſi veriſſimè dictum à nonnemine: *judicium mentis vox eſt & ſermo loquentis.*

III. San-

III. Sanctis facilè fuit dissimulare calumnias, quando DEUM noverunt esse potentissimum causæ suæ vindicem. *Susannam* adulterii falsò ab olidis senibus incusatam, flevisse legimus, quod fuit justi doloris: legimus cœlum respexisse, quod fuit fiduciæ: non legimus crimen in nequam auctorum capita regessisse. *Susannæ* silentium præjudicium fuit certò sperati è cœlo adjutorii. *Erat enim cor ejus fiduciam habens. Non dolendum est si malè audiamus, sed si jure malè audiamus.* S. Joannes Chrysost.

XXIX. NOVEMBRIS.

S. Radbodus Episcopus.

MUltùm perfectionis in se studium promovit lectione codicum sacrorum, eorum præcipuè, qui sanctorum vitas tractabant, quos etiam *specula sua* nuncupare solitus est. Aquam in vinum convertit: hujus tamen usu, uti & carnium, ne insolesceret caro, perpetuò interdictum sibi voluit. Pauperum ministrum egit quotidie: nec in subministrando victu tantùm, sed & in abluendis pedum sordibus. Concionatus aliquando, cum Danos obstipos sibi haberet & rebelles, illos paulò post vidit pestilentiâ à vindice DEO esse castigatos. Meritis denique dives præsentibus JESU & MARIA, sanctis *Agnete* & *Thecla*, *Martino* item *Willibrordo* & *Bonifacio* viam æternitatis iniit, felicissimus ab hoc conductu non tam funerali, quàm sponsalitio. Quàm bonus Israël DEUS his, qui recto sunt corde! quàm justam, & supereffluentem cultoribus suis vicem reddunt cœlites!

SEN-

SENTENTIA.

QUi in carne posuerit delicias, temulentiam concupiscentiam absurdam, quæ hinc proveniunt, metet. Quæ autem sunt ista? supplicium, ultio, probrum, risus, corruptio. Quæ verò sunt spiritûs, non sunt ejusmodi, sed his omnino diversa. Seminasti eleemosynam? manent te thesauri cœlestes, gloriáque sempiterna. Seminasti pudicitiam? excipiet te honor & bravium, & ab Angelis gratulationes, & ab Agonotetha coronæ. *S. Joan. Chrysost. in Epist. ad Galat. c. 6.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PUlchrè de speculis Annæus Seneca: *inventa sunt specula, ut homo sese nosceret. Multa ex hoc consecuta. Primò sui notitia: deinde ad quædam consilium. Formosus, ut vitaret infamiam: deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: juvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, ut indecora canis deponeret.* Vide, an non vitæ sanctorum, quas *Radbodus* specula dixit, eosdem omninò præstent effectus?

II. Legit Augustinus Epistolas Pauli, atque ad conspectum illud: *non in commessationibus & ebrietatibus &c.* unô velut obtutu vidit omnem obligationis suæ seriem. Legerunt & alii sancto-

rum

rum gesta, nec minore cum fructu: ut adeò prudenter crediderint, sanctorum dicta, factaque *specula* sibi esse, decori vultûs animæ vel servando, vel instaurando maximè commoda. Illis igitur, quibus nullus ejusmodi speculorum usus, reliquum nihil, quàm ut infelices sibi vaticinentur: *tot judicibus inops adstabo, quot me præcesserunt in opere bono.* S. August. in Ps. 49.

III. Carnem spiritui subdidit *Radbodus:* inque pauperibus Christum considerans, quod capiti nequiit, membris præstitit. Etiam hæc sine dubio legerit in Sanctorum vitis. Hos imitemur, ne nobis accidat quod Judæis, quibus dixit Christus: *est Moyses qui accusat vos, in quo speratis.* Joan. 5. Idem, inquam, occinetur tepidis Christianis, Christi, & Sanctorum tam nullis imitatoribus. *Honorare Sanctos, & non imitari, nihil est, quàm mendaciter adulari.* S. August. serm. 39. de SS.

XXX. NOVEMBRIS.

S. Andreas Apostolus.

PRimùm *Joannis*, postea Christi discipulus, utrique in omnibus plurimùm se probavit: amore præsertim crucis, qui in illo mirabilis omnino fuit. Hanc enim, in eam suffigendus, sic salutavit: *Salve Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata! securus & gaudens venio ad te: ita & tu exultans suscipias me, discipulum ejus, qui pependit in te. O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sinè inter-*

termissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe me ab hominibus & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. Biduò vivens, cruce pro cathedra usus est, multúmque gentilium numerum fidelium albo intulit. Cœlicô demum splendore coruscus, paradisum regiá Crucis clave sibi reservavit. Falleris, si, præter hanc, aliam somnies januæ illi aptam.

SENTENTIA.

CEleberrimam Christi crucem meritò liceat appellare non solùm terræ, sed & cœli fulcrum & fulgorem. Nam creaturam omnem sustentavit, supramundanis quidem gaudium, terrestribus autem libertatem concilians, & diffidentia invicem sibi connectens. *S. Isidorus Pelusiota L. 4. Epist. 32.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. SIngulari DEI beneficiô contingit, justos raro degere sine cruce: hanc enim iis tantùm impertitur, quos, uti modò passionum; sic olim gloriæ consortes est habiturus. Alios verò permittit ducere in bonis dies suos, dum denique *in puncto* ad inferna descendant. Erras, anime mi, si cruce quácunque pressus, de hoc DEI in te affectu dubites: imo ipsi Christo injurius es, dum aliam tibi viam ad cœlum fingis, quàm suis ille vestigiis signaverit.

II. Maximi fiunt dominicæ *Crucis* particulæ, quòd pars sint *ligni vitæ*, in quo salus nostra pe-

pen-

Digitized by Google

pendit. Interim tamen nullum etiam dubium, ſpirituali *Cruci* magnam à DEO virtutem eſſe inditam: eſſe clavem cœli: participare de paſſione dominica: eſſe ſignum, quô diſcernuntur electi à reprobis. Ubi tamen honor illi debitus? ubi digna æſtimatio? ubi illæ Apoſtoli voces: *Salve Crux pretioſa?*

III. Dolet auctor libelli de imitatione Chriſti pudendam noſtram ſegnitiem, ita inquiens: *durus multis videtur hic ſermo: abnega temetipſum, tolle crucem tuam, & ſequere JESUM: ſed multò duriùs erit audire extremum illud verbum: diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* l. 2. c. 12. Ab hac auditione mala non timebit, quisquis amicum Cruci cor geſſerit. Inſuetum DEO punire bis inidipſum: etſi immiſſio tribulationum, ubi purus à peccatis eſt animus, punitio non ſit, ſed dilectio DEI longè maxima. Crucem tuam amamus & adoramus Domine! eam verò, quàm noſtram facis, eſſe credimus *jugum* illud tuum *ſuave & onus leve.*

FESTA DECEMBRIS.

I. DECEMBRIS.

S. Philaretus Conf.

FUit *Philaretus* è ruſticorum tribu, extrà tamen illorum vitia. Nemo iſtô humanior in pauperes, quorum causâ ſedulitatem ordinariâ majorem, colendis, adque fertilitatem eximiam di-

ſponendis agris impendit, ut copioſiùs ſubinde meterent inopum multæ manus, quod à paucis *Philareti* non parce ſeminatum fuerat. Retulit DEUS tam exactæ charitati temporariam quoque vicem, quando *Neptem* coloni hujus in *Conſtantini* imperatoris thalamum; *Avunculum* ad dignitatem conſularem evexit, quam tamen ipſam dignitatem occaſionem *Philaretus* ſibi voluit, fecitque largioris in pauperes beneficentiæ, quibus demum hæredibus ex aſſe ſcriptis *gnomen* illam, ut liberalitatis auctarium, addidit: *eſtote miſericordes.* Nil tam deperit, quàm id, quod avarè pauperum uſibus ſubtrahitur.

SENTENTIA.

MAgnum opus eſt eleemoſyna, ut faciat homo, quod facit DEUS. S. *Auguſt. lib. 50. Homil. 39.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. IN tanto virtutum numero vix alia eſt, quæ tantùm ad ſublime gratiæ & gloriæ provehat alumnum ſuum, ut provehit pia in pauperes charitas. Parùm eſt, in hoc etiam ſæculo centuplum reddi, quando *Eleemoſynarii* ſuô etiam modô *deificantur.* S. Gregorium Nyſs. audiamus: *ſi miſericordis appellatio DEUM decet, ad quid aliud te ſermo hortatur, niſi ut DEUS fias, tanquam formatus & inſignitus propriâ notâ deitatis?* in c. 5. Matth.

II. DEUM imitatur, *qui intelligit ſuper egenum & pauperem:* qui nimirum eleemoſynas erogat non rogatus, & velut intellectu ſubodorans pau-

pauperum indigentias. En DEI morem & uſum! *veniet tibi pluvia antequam roges: deſcendet uber-tas nocte dum ſtertis, dum adhuc in lecto es. Ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus te neſciente effunduntur.* S. Auguſt. Homil. 39. Pauperi pannoſo ſtipem porrigere, natura jubet: eorum miſereri, qui videri erubeſcunt, praxis eſt ingenioſæ charitatis.

III. DEUM imitatur, qui exactè obſervat illud *Chriſto DEO Homini* tam familiare: *vide nemini dixeris.* Tubâ canere priùs quàm eleemoſynam eroges, hypocriticum eſt, non aliâ mercede, quàm vaniſſimô populi plauſu donandum. Vide, quæſo! quàm *ſuperbia* bonis etiam operibus inſidietur ut pereant. Fermentum eſt phariſaicum, totam bene cæterà geſtorum maſſam commaculans. *Quid opus arrogantiâ vultûs?* quærit Seneca: *quid tumore verborum? ipſa res ſe extollit. Detrabenda eſt inanis jactatio, res loquentur nobis tacentibus.* Lib. 2. de Benef. c. 11.

II. DECEMBRIS.

S. Bibiana V. & M.

FOrtitudo & *decor* indumentum fuêre Virginis iſtius, quando, etſi nobiliſſimam, non ſervilia vincula, non bonorum direptio, non utriusque parentis cædes, non denique promiſſiones ampliſſimæ omnium, quæ ſuis amatoribus mundus dare conſuevit, vel minimùm dimovere potuerunt à charitate DEI: quá ut ne ſola arderet, ipſum quóque Præſidem *Fauſtum* tam validè ſuccendit, ut is palàm abjuratô falſorum Numinum cultu, *Chriſto*

nomen daret. Præsidi substituta est nequam mulier, quæ ut *Bibianam* à proposito abstraheret, nullum non movit lapidem, incassùm tamen. Quàm enim in *Agatha* oleum & operam perdidit *Aphrodisia*, tam in *Bibiana Ruffina*. Hæc sanctæ Martyris constantia tyrannum adeo in fermentum dedit, ut teneram virginem plumbatis ad mortem contundi præciperet. Sic cecidit *Bibiana*, ut æternum staret in gloria, *Flaviani & Dafrosæ* Martyrum, Martyr filia.

SENTENTIA.

QUid miramini fratres, si amatores DEI Martyres tanta pertulerunt, ut acquirerent DEUM? amatores auri, videte, quanta patiantur. *S. August. serm. 100. de divers.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MUltùm exercitata est *Bibianæ* patientia: quia tamen fidelem sese probavit, facile accidit, quidquid mortalibus reliquis durum videtur. Dolere poterat funestam charissimorum parentum cædem, & enatam hinc suam orbitatem: quòd tamen illi Martyres occubuissent, gaudendum, non flendum censuit. *Hoc pro certo habet*, inquit Sara, junioris Tobiæ sponsa, *omnis qui te colit*, ô DEUS! *quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.* Tob. 3.

II. Aliud gaudium non minus animum *Bibianæ* recreavit, quando *Faustum* judicem vidit omine fausto, desertis idolis, ad Christi castra transîsse. Nimirum non aliud est, quod tantâ justos

afficiat

afficiat lætitiâ, quàm ſi videant exemplô ſuô & monitis unicum etiam ſe peccatum impediviſſe: certi ſunt enim, ex tali charitatis opere proximum ſibi jus accedere ad æternam felicitatem. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte.* Jac. 5. non dubium, quin & propriam.

III. *Usque in tempus*, ait Eccleſiaſticus, *ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jucunditatis.* c. 1. Laborum ſuorum ampliſſimô præmiô nunc perfruitur *Bibiana*, ad quod videt condignas planè non fuiſſe paſſiones præteriti temporis. O, ut præmium illud indeſinenter cogitaremus! quantò fortior foret patientia noſtra! ſuſtineamus viriliter, quidquid moleſtum accidit, indubii, futurum parvô poſt tempore, quod pro Deo ſpondet Iſaias Propheta: *dabit coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Iſa. c. 62.

III. DECEMBRIS.

S. Franciſcus Xaverius Indiarum Apoſtolus.

NObilis Navarræus, dum *Pariſiis* operam ſtudiis daret, *S. Ignatio* Societatis Jesu auctori, ſocium ſe adjunxit. Miſſus ab illo in *Indias*, *Goam* primùm appulit: tum verò vicina regna & provincias percurrens, *Oram* præſertim *Piſcariam*, *Travancoridem*, *Ceilam*, *Meliaporem*, *Malacam*, inque ipſam denique *Japoniam* penetrans, tantô animorum lucrô potitus eſt, ut facilè ultra decies centena millia ad unum & verum *Chriſti* ovile adduxerit. Sui ipſius victoriâ fuit celeberrimus,

cujus palmare argumentum eſt actus generoſiſſimus, quô in Xenodochio morbidis miniſtrans, ulceroſi hominis, & ſupra modum fœtidi, plagæ, quam brachio geſtabat, ore applicitô, ſaniem exſuxit, ut obortum in ſe ex ejus ægroti conſuetudine faſtidium triumpharet. Ampliſſimum, & ad id tempus omnibus impervium *Sinarum* regnum Evangelici laboris causâ ingreſſurus, in ipſo portu *Sanciani* inſulæ ad oram æternæ quietis appulit, ut, quòd ſeminaſſet in benedictionibus, de benedictionibus & meteret.

SENTENTIA.

SI formarentur tot cœli empyrei, quot ſunt aquarum guttæ, quot ſunt grana arenæ maris, omnis pulchritudo eorum ſimul ſumpta non poſſet æquari pulchritudini unius animæ. *S. Bernardinus, ſerm. 21. de dignit. anim. a. 1. c. 3.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. O *Anima!* dolenter exclamat Thomas Villa-Nov. *ſi videres te ipſam! ô ſi agnoſceres tuam excellentiam & pulchritudinem, non ita te dejiceres ad amorem vilium terrenorum.* Conc. in Domin. 19. poſt Pentec. Quantum *animarum* amore fecerit & tulerit æternus DEI Filius, neminem verè Chriſtianum latere poteſt. Hunc, ut pro virili *Xaverius* imitaretur, *quatriduum* etiam & *ſeptiduum* (teſte Turſellinô, in vita) jejunus perſtitit: aliàs verò panis emendicati cruſtulis, & frigidæ pauxillô, lautè ſe vi-

vivere credidit. An ſimile quid habent abſtinentiæ tuæ?

II. Potuit veraciter dicere *Xaverius* cum Apoſtolo: *quotidie morior propter veſtram ſalutem, fratres* 1. Cor. 15. quando inter fulgurantes frementium barbarorum ſicas, inter ipſorummet dæmonum ictus manſit intrepidus: quando *Amanguccii*, *Meaci*, & in una ex *Mauricis Inſulis* lapidum imbre petitus: quando in ora *Travancoridis* bis vulneratus: alibi fuſtibus cæſus: bis in *Japonia* à furente populo ad ſupplicium raptus: à *Saracenis* denique & *Badagis* in tractu *Piſcariæ* ad necem quæſitus, in ſingulis hiſce caſibus ſuô etiam ſanguine Chriſto probare ſe cupiit.

III. Utinam in operariis Evangelicis duplex fiat hic *Xaverii* ſpiritus, ut difficultates quasque non infractô tantùm, ſed etiam hilari tolerent animô: ut in functionibus ſuis omnibus veraciter dicant cum Apoſtolo: *Charitas Chriſti urget nos.* 2. Cor. 5. ut denique ſuum hoc munus affectu tam ab omni quæſtu depuratô, & tam cautè exequantur, ut dum aliis prædicant, *non ipſi reprobi efficiantur!*

IV. DECEMBRIS.

S. Barbara V. & M.

UT aliquâ diviniſſimæ Trinitatis imagine recrearet animum, tertiam feneſtram duabus, quæ turrim, quâ clauſa tenebatur, illuminabant, adjici curavit. *A Dioſcoro* parente, homine beſtiis quibúsque crudeliore, *Martiano* præſidi prodita, iſtiúsque ſuaſionibus ad *Chriſto* renuntiandum ſollici-

licitata, cùm non modò non assentiretur, verùm & ipsum judicem audacter reprehenderet, flagellis & boum nervis atrociter cæsa, ferreis unguibus laniata, lampadibus ad latera applicitis usta, demum præcisis uberibus capite obtruncata, triste carnificis ministerium explente ipsômet patre, consummatô feliciter cursu, ad sponsum abiit *Barbara*, mitiori nomine digna. Ferream genitoris crudelitatem cœlum impunem non tulit: jactis enim fulminibus eo in loco, quô filiæ cædem patrarat, ambustum, ad perpetuos inferorum rogos pessimum nequam transmisit; dignissimâ in contemptorem divinæ justitiæ pœnâ.

SENTENTIA.

MAgnam difficultatem habet anima in exitu è corpore, ubi veniunt dæmones, eam expectantes: propter quod datur communio infirmis, & datur viaticum: nam tunc dæmones, sentientes Christi præsentiam, fugiunt. S. *Vincent. Ferrer. serm. in octava Corporis Christi.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurimùm, ad profitendam intrepidè fidem, roborata fuit *Barbara* continuâ divinissimæ triadis memoriâ. *Fide, Spe, & Charitate* colenda est sanctissima *Trinitas*, corque illi omninô consecrandum, quòd huic impressam voluerit suam imaginem. *Lapsum naturæ nostræ reparavit illa beata Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Hæc Trinitas aliam in*

nobis

nobis Trinitatem effecit, Fidem, Spem, & Charitatem. Pater Fidem, Filius Spem, Spiritus S. Charitatem. Hugo Victorin.

II. Obtinuit *S. Barbara* cultoribus ſuis gratiam, non diſcedendi ex hac vita, niſi poſt ſacro ſancta Eccleſiæ Sacramenta dignè ſuſcepta. Anime mi! ſi curæ tibi non ſit beneficii tanti memoria, oſtendis te & tepidum, & futurorum vel incurium, vel ignarum. Ibis, ſeriùs, citius, *in domum æternitatis.* Niſi *viaticô* ſis inſtructus, deficies in via. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

III. Frigida, & panis ſubcinericius *Eliam*, fame & triſtitiâ ferè mortuum, adeò roborarunt, ut in fortitudine cibi illius alacris pergeret *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem DEI Horeb.* 3. Reg. 19. Umbram confer cum veritate: videbis, infinities plùs exſpectandum à carne Filii DEI, quàm à pane illo ſubcinericio, qui fugientem *Eliæ* ſpiritum ad tempus ſolùm retinuit, cùm è contrà *panis* noſter *ſuperſtantialis* pignus ſit vitæ, nullô temporum tractu deſituræ. Verbô, ubi ad terminum res noſtræ venerint, omnium locô erit nobis unum *Euchariſtiæ* epulum. *Erit Caro Chriſti viaticum, ſpiritus vehiculum, ipſe currus & auriga ejus.* Guerric. Abb.

V. DECEMBRIS.

S. Sabas Abbas.

TAnti à puero candoris fuit & innocentiæ, ut ardentiſſimum aliquando clibanum ingreſſus, nec unô capitis pilô amburetur. Inter feras ſe-

eurius degit, quàm inter homines: leonem enim, è cujus pede vulnerato grandem paliurum exemerat, non ſecus atque catellum viæ comitem habuit, & corporis cuſtodem. Angelo tutelari familiariſſimus vixit, crebris illius colloquiis recreatus, & aureâ inſuper donatus coronâ. Convenerat aliquando *Juſtinianum* imperatorem, res maximi momenti cum eodem transacturus, cùm, negotiô vixdum cæptô, hora audita eſt, quam *Tertiæ* recitandæ communis religioſorum mos ſtatuit; interrupit eô momentô ſuum cum imperatore colloquium Abbas, à majore Domino vocari ſe dictitans. O quam diſpar illius ætatis, & modernæ ſtylus!

SENTENTIA.

ANgelos, ad noſtram cuſtodiam deputatos, quotidie multipliciter offendimus, & offenſam negligentiâ cumulamus: iſti autem licet frequenter à nobis injurias patiantur, ſuſtinent tamen, & compatiuntur, ſuſtinent tamen, & compatiuntur peccatoribus, nec minor illorum circa nos cuſtodia: imò major ſollicitudò, cùm boni cuſtodis ſit, infirmis magis, quàm ſanis operam exhibere. *Petrus Damiani, ſerm. de exalt. S. Crucis.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurimô ſemper apud DEUM in pretio fuit vitæ & morum *Innocentia.*

Hanc

Hanc in parvulis ſic amavit Chriſtus, ut eos exemplum vellet fidelium ſuorum, & quoquô modô ſcandalizari ſeveriſſimè prohiberet, ratione adjecta: *quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui eſt in cœlis.* Matth. 18. Et quid mirum *Innocentiam* tam DEO charam eſſe? rara enim adeò eſt, ut de ea dici poſſit, quod de Virginitate aſſertum ab Hieronymo: *audacter loquar, cùm omnia poſſit DEUS, ſuſcitare Virginèm non poteſt poſt ruinam.* ad Euſtoch. de cuſtod. Virgin.

II. Cultus, quô tutelarem ſuum proſecutus eſt *Sabas*, illum invicem obligavit clienti. Cuſtodia Angelica beneficium eſt longè maximum. *Mira dignatio*, inquit Melliſluus, & *verè magna dilectio charitatis*, digniſſima omni noſtrô affectu, & ſtudioſiſſimâ ejus executione, quod ſuggerit idem Claræ-Vallis Abbas: *in quovis diverſorio, in quovis angulo, Angèlo tuo reverentiam habe.* in Pſal. 90.

III. Hanc cuſtodiam non eſſe otioſam, nôrunt potiſſimùm illi, qui pericula mille, quibus indies objicimur, non ſegniter expendunt. Sanè, tutelares genii naſcentes nos in ſuam recipiunt fidem, pro nobis vigiles excubant, ſolantur mæſtos, dæmonum technas detegunt, prohibent inſultus, pericula removent, in vita fratrum more nos amant, in mortis lucta tuentur, ac ad vitam demum perducunt æternam. Benedicamus ergo DEUM, ut obſequamur Angelo momenti, & coram omnibus viventibus confiteamur illi, *quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.*

VI. DE-

Digitized by Google

VI. DECEMBRIS.

S. Nicolaus, Myræ Epiſcopus.

VIrtutem cum lacte nutricis ſuxiſſe *Nicolaum*, argumentô illud eſt, quòd feriis quartâ & ſextâ tenerrimus infans ſemel tantùm in die, idque circa veſperum id qualequale nutrimentum admitteret, eandémque conſuetudinem per totam deinceps vitam, quæ aliud non fuit, quàm juge ſelectiſſimarum virtutum exercitium, religioſiſſimè obſervaret. Inſigniter, & ſuadâ, ut ſolet melleâ, in Antiſtitis hujus laudem perorat *Bernardus: tot & tanta miracula Nicolai meritis cumulantur, ut omnes literatorum argutiæ ad ſcribendum vix ſufficiant, nos ad legendum; & licet ſcholarium numerus in incude rhetorica, ſub Quintiliani vel Ciceronis malleis tenuiſſimas orationum laminas extendat, ſuperat tamen gloria Confeſſoris vocem & mentem, linguam & conſcientiam. Glorificatur in mari, laudatur in terra, in omnibus periculis invocatur: denique qui deſcendunt mare in navibus, ipſi viderunt opera Domini, & Nicolai per Dominum mirabilia in profundo.* Serm. 2. de S. Nicol. Vide quanti ſit lucri, à puero virtuti fuiſſe deditum.

SENTENTIA.

VIvamus DEO paululûm, qui ſæculo viximus totum; dedimus corpori annum, demus ánimæ pauculos dies, tempus eſt, aliquando domui tuæ bene provideas. *Petrus Chryſolog. ſerm. 12.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. UT felici potiamur rerum ſucceſſu, ſolidis iſtæ nitantur principiis opus eſt. Errores vitæ perperam actæ ab *adoleſcentia* quærendi ſunt, quæ, ſi inter ætatis illius petulantias diffluat, quid mirum ſit, nihil *rectum* ſequi, ſed *diſtorta & curva* omnia? ô quàm hîc alius fuit *Nicolaus!* qui, ut inſigniter de eo Leonardus Juſtinianus, Patritius Venetus S. Laurentii Patriarchæ frater germanus, *non priùs vivere, quàm DEUM venerari; non priùs comedere, quàm jejunare cœpit.*

II. Suam â *jejunio* ſanctitatem auſpicatus eſt *Nicolaus*, more ſanctis admodùm familiari. Novere iſti, & eorum nomine poſteris omnibus notum voluit magnus Eccleſiæ Pontifex *Leo*, non aliud ſic emundare nos *ab omni inquinamento carnis ac ſpiritûs*, uti *jejunium.* Colluctationes quotidianæ, *quæ ſunt inter utramque ſubſtantiam*, non faciliùs ſopiuntur, quàm *jejunii* ope, per quod etiam *animæ* ſalvum ſtat ſuum in corpus regimen. Uti enim *Venus* pediſſequa eſt ſatietatis; ſic *ſine Cerere & Bacho* illa non modò friget, ſed planè emoritur.

III. Studio mortificationis orationem; huic piam in pauperes charitatem junxit *Nicolaus.* Hâc viam præcluſit enormi flagitio, quod in tres filias meditabatur impudica parentis inopia. Fixum eſt ſanctis, ire tamdiu *de virtute in virtutem*, donec videant *DEUM deorum in Sion.* Ita ſanè egit *Nicolaus.* Ita etiam agendum tibi, quamdiu fluctuas in hoc mari magno & ſpatioſo: è quo ut in portum denique felicitatis excurras, *Nicolaus* ar-

architalassus esto, *cujus meritis ab omni clade liberantur, qui ex toto corde quærunt illum.*

VII. DECEMBRIS.

S. Ambrosius Mediolanensium Episc.

APûm examen, quod in ore infantis *Ambrosii* melificâsse visum est, indubiè significârit Ambrosiam viri suadam, cujus etiam beneficiô ac DEI cumprimis gratiâ, lucro Ecclesiæ incomparabili, ab errorum tenebris ad Evangelicæ veritatis lucem traductus est *Augustinus*. Fuit cæterùm *Ambrosius*, quanquam omni virtute, specialiter tamen excelsâ quádam animi generositate præditus. Nihil apud eum potuit humanus respectus, nihil magnatum ac principum metuenda cæteroquin auctoritas, cujus argumentum est, quòd ipsummet imperatorem *Theodosium*, ob enorme quodpiam delictum, anathematis fulmine à Communione fidelium, & ingressu Ecclesiæ per tempus utcumque protractum segregare veritus non sit; nec ad ejusdem Ecclesiæ Communionem, nisi debitè pœnitentem receperit. Si, quòd displiceat, passim reticeatur veritas, nihil jam erit, quod plenissimam vitiis viam præcludat, quàm universale totius orbis excidium.

SENTENTIA.

FErveat in nobis amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratris vitia palpet, peccata dissimulet nemo: nemo dicat, nunquid ego sum custos fratris mei? est enim con-

consentire, silere, cùm arguere possis: & scimus, quia similis pœna maneat facientes, & consentientes. *S. Bern. serm. de S. Joan. Bapt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *UNicuique mandavit DEUS de proximo suo.* Eccl. 17. ut sive spiritualibus auxiliis hic indigeat, sive corporalibus, illa suggerere non negligat, qui potest, & cui de proximi necessitate constat. *Cain* malè hodiéque audit, ob crudum illud suum: *num custos fratris mei sum ego?* paris impudentiæ fuerunt, qui Judæ proditori remedium quærenti, responderunt: *quid ad nos? tu videris.* An etiam tam friget tua charitas?

II. Defectum charitatis in corrigendo proximo sic redarguit Doctor Mellifluus: *cadit asinus, & invenit qui se sublevet: cadit anima, & non est qui manum apponat.* in Medit. Quanta verò sit talium culpa, docet Augustinus: *si neglexeris corripere, pejor factus es eô, qui peccavit.* L. 16. de Verb. Dom. O, ut plures hodie forent *Ambrosii* in tanta peccantium impunitate! & forent profectò, si expenderetur pretium hujus charitatis, & zeli animarum. *Licet innumeras divitias dederis pauperibus*, inquit Chrysostomus, *non tantum facies, quantum qui lucratur unam animam.*

III. *Forent*, dicet nonnemo, *plures Ambrosii, nisi deforent Theodosii.* *Quis* enim *facilè invenitur*, quærit S. Augustinus, *qui velit reprehendi?* Epist. 87. Verum quidem, mortales passim laborare hôc vitiô: æque tamen verum, veri-

veritatem non ideo reticendam, quòd displiceat. Foret enim id non misericordia, sed crudelitas. *Vociferetur*, inquit Cyprianus, & *clamet*, & *conqueratur per dolorem æger impatiens: gratias aget postcà, cùm senserit sanitatem.* in Epist.

VIII. DECEMBRIS.

Conceptio B. V. MARIÆ.

FUit noxa Originaria, & fœda illa ingluvies, quâ protoparens noster, ut brevissimá gustum voluptatulâ pasceret, esu pomi vetiti DEI gratiam & totam felicitatis suæ substantiam abliguriit, hucusque fons ille pestifer, ex quo veluti torrentes validi defluxêre malorum & miseriarum centuriæ. Huic culpæ, velut fœcundæ nimiùm parenti, debemus indomitam passionum nostrarum ferociam, quacum luctamur quotidie, periclitamur semper, sæpe vincimur. Quâ quidem culpâ, licet quotquot mortales in mundum nascimur, in ipso matris utero sordeamus, sanô tamen & sanctô Ecclesiæ judiciô, ac fideli calculô potissimorum MARIÆ clientum, una hæc Virgo fuit semper ab hisce sordibus purissima, ab hoc nævo præservata, ante sanctificata, quàm nata in mundum. Verbô, *tota pulchra*, sine nodo vel originalis, vel cortice actualis culpæ. O quàm specialissimum hunc honorem tibi faveo, Virgo purissima!

SENTENTIA.

TU tota pulchra es, Virgo glorioſissima, non in parte, sed in toto: & macula peccati

cati ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis non eſt in te, nec unquam fuit nec erit. *Idiota de DEIp. c. 3.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn aliud ſic lædit pias clientum Marianorum aures, quàm MARIAM ob hæreditariam labem caruiſſe aliquando gratiâ, fuiſſe inimicam DEI, fuiſſe ſubditam dæmoni, fuiſſe ſecundùm animam & corpus in deterius mutatam. Aliter omninò ſentimus, puriſſima Virgo! fuiſſe nimirum illibatiſſimum tuum conceptum, parati huic veritati noſtrô etiam, ſi ſit opus, ſanguine ſubſcribere. *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.*

II. Tota ergo clientibus ſuis pulchra eſt MARIA. Pulchra in primo animationis momento, pulchra in vita, pulchra in morte. Et, profectò, talem in primo conceptus inſtanti eam eſſe decuit, quæ ſubinde, operâ Spiritûs ſancti, pulchritudinem increatam, ſpecioſum formâ præ filiis hominum in lucem erat editura. O ut nullus ſit in omni hominum numero, qui non idem & animô ſentiat, & ore loquatur! *dignare* omnes *laudare te, Virgo ſacrata.*

III. Pulchras etiam vult clientum ſuorum animas MARIA. Pulchras charitate DEI, & proximi: pulchras puritate: pulchras devotionis ſtudiô; pulchras omnigenô virtutum cultu. *Quàm pulchra es*, ita Divam alloquitur Hugo Cardin. *interiùs voluntate! quàm pulchra exteriùs compoſitione morum! quàm pulchra in activis, quàm pul-*

chra in contemplativis! Utne ullæ deinceps tibi ſordes placeant, anime mi! Marianæ puritatis imaginem tibi potenter imprime: ſic enim verè veneraberis puriſſimum Virginis conceptum: & non tantùm iſta, ſed & ipſe Rex gloriæ *concupiſcet decorem tuum.* Pſal. 44.

IX. DECEMBRIS.

S. Gorgonia.

SOror quàm ſanguine, tam virtute *Gregorii Nazianzeni*, Theologi præſtantiſſimi, variis morborum generibus à DEO immiſſis exercitata, patientiſſimam ſemper ſe præſtitit. *Cephaleâ* cùm aliquando laboraret doloris ſenſu acutiſſimô, nec tamen medicinam carnalem ſuo adhibere corpori vellet, ad templum, quantum per vires poterat, perreptans, rectà ad ſummam aram contendit, ibidémque coram auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento proſtrata, *Chriſtum* ceu ſummum archiatrum opem flagitans, caput ſubinde in ipſam aram reclinavit, aſſeverans, non inde ſe diſceſſuram, quàm medicam Servatoris ſenſiſſet manum. Et ſenſit continuò, dum non modò vehementiſſimis doloribus capitis, verùm & omni morborum moleſtiâ integrè fuit liberata, comprobante DEO per luculentum miraculum, quantùm delectaretur ejus fiduciâ. Vix non ſemper decipitur qui homini; nunquam qui DEO fidit.

SENTENTIA.

SOllicitè ſtudebat humilis prudentia tua, non vinci à malo, ſed vincere in bono ma-

malum. Vinces autem ſpem tuam in DEO fortiter figendo, & rei finem longanimiter exſpectando. *S. Bernard. Epiſt. 32.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PRæcipit DEUS, Eccl. 38. *Honora medicum propter neceſſitatem.* Et dignus honore eſt medicus, cùm, applicando infirmis medicinam à DEO creatam, DEI vicarium agat. Si tamen, quod non rarò contingit, morbi pertinacia medicorum ſolertiam eludat: aliud non ſupereſt, quàm *ponere in Domino DEO ſpem ſuam*, & hujus ſanctiſſimæ diſpoſitioni ſe prorſus committere, identidem cogitando: *ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Roman. 14.

III. Reprehenditur *Aſa*, Rex Juda, quòd ægrotus ſpem ſuam non in Domino DEO, ſed in medicorum peritia collocâſſet. 2. Paralip. 16. Idem vitium familiare nobis eſt. Pauciſſimos enim reperias, qui, niſi fatalis urgeat neceſſitas, de DEO cogitent. Aliter egit Propheta regius: qui, cùm doceret, nec confidendum eſſe in principibus, nec in filiis hominum, alibi monuit: *revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Pſ. 36.

III. Poterat citiùs *Gorgonia* malis ſuis remedium à DEO exorare, ſed noluit, quòd nôſſet, adverſitates non videri malas, niſi mentibus minùs illuminatis. Et quî malæ eſſent, cùm ſint à DEO bonorum omnium fonte? vult DEUS iſtiusmodi nos pati. *In mundo preſſuram habebitis*, inquit Chriſtus Joan. 16. Velimus & nos, ut voluntatum utrarumque, DEI ſcilicet & noſtræ concor-

diâ, temperetur, quidquid acerbitatis habet calamitatum ſuperficies. Denique, ſi orantes non confeſtim exaudiamur, cogitemus, id fieri noſtrô non damnô, ſed lucrô. *Creberrimè DEUS non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad ſalutem.* S. Iſidor. in Sentent.

X. DECEMBRIS.

S. Eulalia, V. & M.

OMnem movêre lapidem parentes, ut ſuam *Eulaliam*, vix duodecennem, à propoſito non averterent quidem, ſed tantiſper illud differre facerent, quô tenellæ decretum fuerat, ſanguinem & vitam pro *Chriſti* amore, & fidei profeſſione tormentis exponere: actum tamen egêre, quando illa clanculum ſe parentum præſentiæ ſuffurata, rectà ad judicem contendit, & eundem non modò impietatis coarguit, ſed palàm, diſſipatis etiam falſorum Numinum ſimulacris, in ipſis Præſidis faciem exſpuit. Sævitum tum eſt in tenerum adoleſcentulæ corpus uncis ferreis, tam dirè atque inhumaniter, ut nuda ubique oſſa proſtarent, Virgine non modò nullum doloris ſenſum ſimulante, ſed magnâ inſuper geſtiente lætitiâ. Projecta denique in ignem, flammarum globos avidô ore tamdiu excipere viſa eſt, dum ejus anima in candidiſſimæ columbæ ſpecie aſtra cœli velociter penetraret. O quantum probrum tot hominum milliones ſuperari à puella, & puella ætatis tantillæ!

SEN-

SENTENTIA.

DUplicem aciem producit mundus contra milites *Chriſti*: blanditur, ut decipiat; terret, ut frangat. Non nos teneat voluntas propria, non nos terreat crudelitas aliena, & victus eſt mundus. *S. Auguſt. Tom. 5. ſerm. 12. de Sanctis.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PRæſes, tentaturus *Eulaliæ* conſtantiam, blanditiis primùm rem aggreſſus eſt. Ætatem nimirùm ob oculos poſuit, tormentis imparem: generis claritudinem, orbitate tam triſti plurimùm affligendam: formam, ſorte non modò meliore, ſed imperiô dignam. Riſit tamen ad has nugas *Eulalia*: ac, ut pateret, quàm nihili faceret idola & idololatras, in impuram judicis faciem exſpuit. Vide, quàm ſit hominum ſanctorum & profanorum de mundi bonis diſpar opinio.

II. Plures martyrum, ad exemplum *Eulaliæ*, non alacres modò in martyrii aream proſilierunt, verùm & ipſos vel tyrannos, vel beſtias in ſui exitium proritârunt. *Utinam*, inquiit glorioſus Antiochiæ Præſul Ignatius, *fruar beſtiis, quæ mihi ſunt præparatæ! quas oro & mihi veloces eſſe ad interitum, & allici ad comedendum me, ne, ſicut & aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. Quòdſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo ut devorer.* An aliquando tantus tibi fuit ad ferendas adverſitates animus?

eurius degit, quàm inter homines: leonem enim, è cujus pede vulnerato grandem paliurum exemerat, non ſecus atque catellum viæ comitem habuit, & corporis cuſtodem. Angelo tutelari familiariſſimus vixit, crebris illius colloquiis recreatus, & aureâ inſuper donatus coronâ. Convenerat aliquando *Juſtinianum* imperatorem, res maximi momenti cum eodem transacturus, cùm, negotiô vixdum cæptô, hora audita eſt, quam *Tertiæ* recitandæ communis religioſorum mos ſtatuit; interrupit eô momentô ſuum cum imperatore colloquium Abbas, à majore Domino vocari ſe dictitans. O quam diſpar illius ætatis, & modernæ ſtylus!

SENTENTIA.

ANgelos, ad noſtram cuſtodiam deputatos, quotidie multipliciter offendimus, & offenſam negligentiâ cumulamus: iſti autem licet frequenter à nobis injurias patiantur, ſuſtinent tamen, & compatiuntur, ſuſtinent tamen, & compatiuntur peccatoribus, nec minor illorum circa nos cuſtodia: imò major ſollicitudò, cùm boni cuſtodis ſit, infirmis magis, quàm ſanis operam exhibere. *Petrus Damiani, ſerm. de exalt. S. Crucis.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PLurimô ſemper apud DEUM in pretio fuit vitæ & morum *Innocentia.*

Hanc

Hanc in parvulis ſic amavit Chriſtus, ut eos exemplum vellet fidelium ſuorum, & quoquô modô ſcandalizari ſeveriſſimè prohiberet, ratione adjecta: *quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui eſt in cœlis.* Matth. 18. Et quid mirum *Innocentiam* tam DEO charam eſſe? rara enim adeò eſt, ut de ea dici poſſit, quod de Virginitate aſſertum ab Hieronymo: *audacter loquar, cùm omnia poſſit DEUS, ſuſcitare Virginem non poteſt poſt ruinam.* ad Euſtoch. de cuſtod. Virgin.

II. Cultus, quô tutelarem ſuum proſecutus eſt *Sabas*, illum invicem obligavit clienti. Cuſtodia Angelica beneficium eſt longè maximum. *Mira dignatio*, inquit Mellifluus, & *verè magna dilectio charitatis*, digniſſima omni noſtro affectu, & ſtudioſiſſimâ ejus executione, quod ſuggerit idem Claræ-Vallis Abbas: *in quovis diverſorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe.* in Pſal. 90.

III. Hanc cuſtodiam non eſſe otioſam, nôrunt potiſſimùm illi, qui pericula mille, quibus indies objicimur, non ſegniter expendunt. Sanè, tutelares genii naſcentes nos in ſuam recipiunt fidem, pro nobis vigiles excubant, ſolantur mæſtos, dæmonum technas detegunt, prohibent inſultus, pericula removent, in vita fratrum more nos amant, in mortis lucta tuentur, ac ad vitam demum perducunt æternam. Benedicamus ergo DEUM, ut obſequamur Angelo momenti, & coram omnibus viventibus confiteamur illi, *quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.*

VI. DE-

VI. DECEMBRIS.

S. Nicolaus, Myræ Epiſcopus.

VIrtutem cum lacte nutricis ſuxiſſe *Nicolaum*, argumentô illud eſt, quòd feriis quartâ & ſextâ tenerrimus infans ſemel tantùm in die, idque circa veſperum id qualequale nutrimentum admitteret, eandémque conſuetudinem per totam deinceps vitam, quæ aliud non fuit, quàm juge ſelectiſſimarum virtutum exercitium, religioſiſſimè obſervaret. Inſigniter, & ſuadâ, ut ſolet melleâ, in Antiſtitis hujus laudem perorat *Bernardus*: *tot & tanta miracula Nicolai meritis cumulantur, ut omnes literatorum argutiæ ad ſcribendum vix ſufficiant, nos ad legendum; & licet ſcholarium numerus in incude rhetorica, ſub Quintiliani vel Ciceronis malleis tenuiſſimas orationum laminas extendat, ſuperat tamen gloria Confeſſoris vocem & mentem, linguam & conſcientiam. Glorificatur in mari, laudatur in terra, in omnibus periculis invocatur: denique qui deſcendunt mare in navibus, ipſi viderunt opera Domini, & Nicolai per Dominum mirabilia in profundo.* Serm. 2. de S. Nicol. Vide quanti ſit lucri, à puero virtuti fuiſſe deditum.

SENTENTIA.

VIvamus DEO paululùm, qui ſæculo viximus totum; dedimus corpori annum, demus animæ pauculos dies, tempus eſt, aliquando domui tuæ bene provideas. *Petrus Chryſolog. ſerm. 12.*

RE-

REFLEXIO.

PUNCT. I. UT felici potiamur rerum ſucceſſu, ſolidis iſtæ nitantur principiis opus eſt. Errores vitæ perperam actæ ab *adoleſcentia* quærendi ſunt, quæ, ſi inter ætatis illius petulantias diffluat, quid mirum ſit, nihil *rectum* ſequi, ſed *diſtorta & curva* omnia? ò quàm hîc alius fuit *Nicolaus!* qui, ut inſigniter de eo Leonardus Juſtinianus, Patritius Venetus S. Laurentii Patriarchæ frater germanus, *non priùs vivere, quàm DEUM venerari; non priùs comedere, quàm jejunare cœpit.*

II. Suam â *jejunio* ſanctitatem auſpicatus eſt *Nicolaus*, more ſanctis admodùm familiari. Novere iſti, & eorum nomine poſteris omnibus notum voluit magnus Eccleſiæ Pontifex *Leo*, non aliud ſic emundare nos *ab omni inquinamento carnis ac ſpiritûs*, uti *jejunium.* Colluctationes quotidianæ, *quæ ſunt inter utramque ſubſtantiam*, non faciliùs ſopiuntur, quàm *jejunii* ope, per quod etiam *animæ* ſalvum ſtat ſuum in corpus regimen. Uti enim *Venus* pediſſequa eſt ſatietatis; ſic *ſine Cerere & Bacho* illa non modò friget, ſed planè emoritur.

III. Studio mortificationis orationem; huic piam in pauperes charitatem junxit *Nicolaus.* Hâc viam præcluſit enormi flagitio, quod in tres filias meditabatur impudica parentis inopia. Fixum eſt ſanctis, ire tamdiu *de virtute in virtutem*, donec videant *DEUM deorum in Sion.* Ita ſanè egit *Nicolaus.* Ita etiam agendum tibi, quamdiu fluctuas in hoc mari magno & ſpatioſo: è quo ut in portum denique felicitatis excurras, *Nicolaus*

ar-

architalassus esto, *cujus meritis ab omni clade liberantur, qui ex toto corde quærunt illum.*

VII. DECEMBRIS.

S. Ambrosius Mediolanensium Episc.

APûm examen, quod in ore infantis *Ambrosii* melificâsse visum est, indubiè significârit Ambrosiam viri suadam, cujus etiam beneficiô ac DEI cumprimis gratiâ, lucro Ecclesiæ incomparabili, ab errorum tenebris ad Evangelicæ veritatis lucem traductus est *Augustinus*. Fuit cæterùm *Ambrosius*, quanquam omni virtute, specialiter tamen excelsâ quádam animi generositate præditus. Nihil apud eum potuit humanus respectus, nihil magnatum ac principum metuenda cæteroquin auctoritas, cujus argumentum est, quòd ipsummet imperatorem *Theodosium*, ob enorme quodpiam delictum, anathematis fulmine à Communione fidelium, & ingressu Ecclesiæ per tempus utcumque protractum segregare veritus non sit; nec ad ejusdem Ecclesiæ Communionem, nisi debitè pœnitentem receperit. Si, quòd displiceat, passim reticeatur veritas, nihil jam erit, quod plenissimam vitiis viam præcludat, quàm universale totius orbis excidium.

SENTENTIA.

FErveat in nobis amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratris vitia palpet, peccata dissimulet nemo: nemo dicat, nunquid ego sum custos fratris mei? est enim con-

consentire, silere, cùm arguere possis: & scimus, quia similis pœna maneat facientes, & consentientes. *S. Bern. serm. de S. Joan. Bapt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *UNicuique mandavit DEUS de proximo suo.* Eccl. 17. ut sive spiritualibus auxiliis hic indigeat, sive corporalibus, illa suggerere non negligat, qui potest, & cui de proximi necessitate constat. *Cain* malè hodiéque audit, ob crudum illud suum: *num custos fratris mei sum ego?* paris impudentiæ fuerunt, qui Judæ proditori remedium quærenti, responderunt: *quid ad nos? tu videris.* An etiam tam friget tua charitas?

II. Defectum charitatis in corrigendo proximo sic redarguit Doctor Mellifluus: *cadit asinus, & invenit qui se sublevet: cadit anima, & non est qui manum apponat.* in Medit. Quanta verò sit talium culpa, docet Augustinus: *si neglexeris corripere, pejor factus es eô, qui peccavit.* L. 16. de Verb. Dom. O, ut plures hodie forent *Ambrosii* in tanta peccantium impunitate! & forent profectò, si expenderetur pretium hujus charitatis, & zeli animarum. *Licet innumeras divitias dederis pauperibus*, inquit Chrysostomus, *non tantum facies, quantum qui lucratur unam animam.*

III. *Forent*, dicet nonnemo, *plures Ambrosii, nisi deforent Theodosii. Quis* enim *facilè invenitur*, quærit S. Augustinus, *qui velit reprehendi?* Epist. 87. Verum quidem, mortales passim laborare hôc vitiô: æque tamen verum,

veri-

veritatem non ideo reticendam, quòd displiceat. Foret enim id non misericordia, sed crudelitas. *Vociferetur*, inquit Cyprianus, *& clamet, & conqueratur per dolorem æger impatiens: gratias aget postèa, cùm senserit sanitatem.* in Epist.

VIII. DECEMBRIS.

Conceptio B. V. MARIÆ.

FUit noxa Originaria, & fæda illa ingluvies, quâ protoparens noster, ut brevissimá gustum voluptatulá pasceret, esu pomi vetiti DEI gratiam & totam felicitatis suæ substantiam abliguriit, hucusque fons ille pestifer, ex quo veluti torrentes validi defluxêre malorum & miseriarum centuriæ. Huic culpæ, velut fæcundæ nimiùm parenti, debemus indomitam passionum nostrarum ferociam, quacum luctamur quotidie, periclitamur semper, sæpe vincimur. Quâ quidem culpâ, licet quotquot mortales in mundum nascimur, in ipso matris utero sordeamus, sanô tamen & sanctô Ecclesiæ judiciô, ac fideli calculô potissimorum MARIÆ clientum, una hæc Virgo fuit semper ab hisce sordibus purissima, ab hoc nævo præservata, ante sanctificata, quàm nata in mundum. Verbô, *tota pulchra*, sine nodo vel originalis, vel cortice actualis culpæ. O quàm specialissimum hunc honorem tibi faveo, Virgo purissima!

SENTENTIA.

TU tota pulchra es, Virgo glorioſissima, non in parte, sed in toto: & macula peccati

cati ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis non eſt in te, nec unquam fuit nec erit. *Idiota de DEIp. c. 3.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn aliud ſic lædit pias clientum Marianorum aures, quàm MARIAM ob hæreditariam labem caruiſſe aliquando gratiâ, fuiſſe inimicam DEI, fuiſſe ſubditam dæmoni, fuiſſe ſecundùm animam & corpus in deterius mutatam. Aliter omninò ſentimus, puriſſima Virgo! fuiſſe nimirum illibatiſſimum tuum conceptum, parati huic veritati noſtrô etiam, ſi ſit opus, ſanguine ſubſcribere. *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.*

II. Tota ergo clientibus ſuis pulchra eſt MARIA. Pulchra in primo animationis momento, pulchra in vita, pulchra in morte. Et, profectò, talem in primo conceptus inſtanti eam eſſe decuit, quæ ſubinde, operâ Spiritûs ſancti, pulchritudinem increatam, ſpecioſum formâ præ filiis hominum in lucem erat editura. O ut nullus ſit in omni hominum numero, qui non idem & animô ſentiat, & ore loquatur! *dignare* omnes *laudare te, Virgo ſacrata.*

III. Pulchras etiam vult clientum ſuorum animas MARIA. Pulchras charitate DEI, & proximi: pulchras puritate: pulchras devotionis ſtudiô; pulchras omnigenô virtutum cultu. *Quàm pulchra es*, ita Divam alloquitur Hugo Cardin. *interiùs voluntate! quàm pulchra exteriùs compoſitione morum! quàm pulchra in actibus, quàm pul-*

chra in contemplativis! Utne ullæ deinceps tibi ſordes placeant, anime mi! Marianæ puritatis imaginem tibi potenter imprime: ſic enim verè veneraberis puriſſimum Virginis conceptum: & non tantùm iſta, ſed & ipſe Rex gloriæ *concupiſcet decorem tuum.* Pſal. 44.

IX. DECEMBRIS.

S. Gorgonia.

SOror quàm ſanguine, tam virtute *Gregorii Nazianzeni*, Theologi præſtantiſſimi, variis morborum generibus à DEO immiſſis exercitata, patientiſſimam ſemper ſe præſtitit. *Cephaleâ* cùm aliquando laboraret doloris ſenſu acutiſſimô, nec tamen medicinam carnalem ſuo adhibere corpori vellet, ad templum, quantum per vires poterat, perreptans, rectà ad ſummam aram contendit, ibidémque coram auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento proſtrata, *Chriſtum* ceu ſummum archiatrum opem flagitans, caput ſubinde in ipſam aram reclinavit, aſſeverans, non inde ſe diſceſſuram, quàm medicam Servatoris ſenſiſſet manum. Et ſenſit continuò, dum non modò vehementiſſimis doloribus capitis, verùm & omni morborum moleſtiâ integrè fuit liberata, comprobante DEO per luculentum miraculum, quantùm delectaretur ejus fiduciâ. Vix non ſemper decipitur qui homini; nunquam qui DEO fidit.

SENTENTIA.

SOllicitè ſtudebat humilis prudentia tua, non vinci à malo, ſed vincere in bono ma-

Digitized by Google

malum. Vinces autem ſpem tuam in DEO fortiter ſigendo, & rei finem longanimiter exſpectando. *S. Bernard. Epiſt. 32.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PRæcipit DEUS, Eccl. 38. *Honora medicum propter neceſſitatem.* Et dignus honore eſt medicus, cùm, applicando infirmis medicinam à DEO creatam, DEI vicarium agat. Si tamen, quod non raro contingit, morbi pertinacia medicorum ſolertiam eludat: aliud non ſupereſt, quàm *ponere in Domino DEO ſpem ſuam*, & hujus ſanctiſſimæ diſpoſitioni ſe prorſus committere, identidem cogitando: *ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Roman. 14.

III. Reprehenditur *Aſa*, Rex Juda, quòd ægrotus ſpem ſuam non in Domino DEO, ſed in medicorum peritia collocâſſet. 2. Paralip. 16. Idem vitium familiare nobis eſt. Pauciſſimos enim reperias, qui, niſi fatalis urgeat neceſſitas, de DEO cogitent. Aliter egit Propheta regius: qui, cùm doceret, nec confidendum eſſe in principibus, nec in filiis hominum, alibi monuit: *revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Pſ. 36.

III. Poterat citiùs *Gorgonia* malis ſuis remedium à DEO exorare, ſed noluit, quòd nôſſet, adverſitates non videri malas, niſi mentibus minùs illuminatis. Et quî malæ eſſent, cùm ſint à DEO bonorum omnium fonte? vult DEUS iſtiusmodi nos pati. *In mundo preſſuram habebitis*, inquit Chriſtus Joan. 16. Velimus & nos, ut voluntatum utrarumque, DEI ſcilicet & noſtræ concor-

SENTENTIA.

DUplicem aciem producit mundus contra milites *Chriſti*: blanditur, ut decipiat; terret, ut frangat. Non nos teneat voluntas propria, non nos terreat crudelitas aliena, & victus eſt mundus. *S. Auguſt. Tom. 5. ſerm. 12. de Sanctis.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PRæſes, tentaturus *Eulaliæ* conſtantiam, blanditiis primùm rem aggreſſus eſt. Ætatem nimirùm ob oculos poſuit, tormentis imparem: generis claritudinem, orbitate tam triſti plurimùm affligendam: formam, ſorte non modò meliore, ſed imperiò dignam. Riſit tamen ad has nugas *Eulalia*: ac, ut pateret, quàm nihili faceret idola & idololatras, in impuram judicis faciem exſpuit. Vide, quàm ſit hominum ſanctorum & profanorum de mundi bonis diſpar opinio.

II. Plures martyrum, ad exemplum *Eulaliæ*, non alacres modò in martyrii aream proſilierunt, verùm & ipſos vel tyrannos, vel beſtias in ſui exitium proritârunt. *Utinam*, inquiit glorioſus Antiochiæ Præſul Ignatius, *fruar beſtiis, quæ mihi ſunt præparatæ! quas oro & mihi veloces eſſe ad interitum, & allici ad comedendum me, ne, ſicut & aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. Quòdſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo ut devorer.* An aliquando tantus tibi fuit ad ferendas adverſitates animus?

III. Virgineum martyris invictæ corpuſculum nive mirabiliter coopertum apparuit: & ejus merita multùm declarârunt flores circa Virginis tumulum quotannis vernare ſoliti. Debebatur hic honor puritati tam exactæ, tam illibatæ. Hâc nive ſi candices, anime mi! ſi virtutum ſpires fragrantiam, nihil tibi metuendum erit ab inferorum rogis. Sin; jure timebis, ne, ſicut *Eulalia* ſputum jecit in Præſidis faciem, tu à DEO abjiciaris, audiásque: *quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Apoc. 3. v. 16.

XI. DECEMBRIS.

S. Daniel Stylita Conf.

POſitus in raptu, coràm vidit *Simeonem* Stylitam altiſſimæ columnæ inſiſtentem, atque ad idem vitæ genus ſic invitantem: *aſcende huc, Daniel! roborare in Domino, hujusque conſtantem te ſervum exhibe: ſta ſecurus, nec caſum metue.* Audiit magiſtrum diſcipulus, & poſthabitis dæmonum quàm ludibriis, tam terriculamentis, per integros triginta annos columnæ rectiſſimus inſtitit: ac triduò ante mortem à Cœtibus Angelorum familiariter conventus, laudatiſſimique curſûs ſui terminum edoctus, eô completô ab iisdem in cœlum deportatus eſt. Parem gloriam non conſequetur, niſi qui rectus perſtiterit in bene cæptis.

SENTENTIA.

NEminem audiamus, non carnem & ſanguinem, non ſpiritum quemlibet deſcenſum à cruce ſuadentem. Perſiſtamus

in

in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non noſtrâ levitate. Virtus in pace acquiritur, in preſſura probatur victoria. *S. Bernardus.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm paucis in ultima vitæ periodo licebit canere Apoſtolicum illud: *bonum certamen certavi: curſum conſummavi, fidem ſervavi.* Quamvis innumeri currere incipiant viam virtutis, potior tamen pars ante metam deficit. Grandia ſæpe meditamur, & ingenti ſpiritu enitimur ad ſublimia, durátque hic fervor aliquando per hebdomades & annos: ſubinde tamen difficultatem tædiô victi, telam retexímus, & unà nobiſcum concidunt, quæ tam operosè congeſta ſunt. An non talem rideant Angeli, dicantque? *hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.*

II. Cauſa defectionis ejusmodi etiam non minima eſt, quòd ſurſum levari aliquando cupiamus anteà, quàm ſolidô alarum remigiô ſimus inſtructi. Non fruſtra ſanè vias *purgativam*, & *illuminativam*, *unitivæ* præmittunt aſcetæ. Priùs hominem veterem exuere nos oportet, quàm novum induamus. Priùs eluendæ ſunt imperfectionum maculæ, quàm anima radiet *ſplendoribus ſanctorum.* Priùs domandæ paſſiones, quàm cum *Stylitis* ſtemus in culmine perfectionis.

III. A parvis igitur ad majora progrediendum, cavendumque ſedulò, ne minùs ſolidum fundamentum ruinam aliquando cauſet ſuperexſtruen-

darum ædium. Et quia *inimici hominis domestici ejus*, homini maximè cavendum à seipso. Stetit aliquamdiu *Judas* proditor: stetit *Saul*: stetêre alii: prolapsi tamen sunt, quòd incauti stetissent. Rectus est Dominus DEUS noster, & amat rectos corde. *Declinantes autem in obligationes, adducet* in decretorio die *cum operantibus iniquitatem.*

XII. DECEMBRIS.

B. Hayto Canonicus Præmonstratensis.

POst quinquies triumphatum hostem, & imperatorem tartarorum cum plurimis suorum ad fidem conversum, mundo dorsum obvertit *Hayto* potentissimus Armeniæ Rex, relictôque hærede regni *Tyvone* filio, in *Episcopia, Cypri* Cœnobio, per *Hugonem* de *Lusigniano Cypri* regem fundato, Canonicum Præmonstratensium institutum amplexus, deinceps *Macarius* audiit. Sic factus ex veterano belli duce candidæ palæstræ tyro, spectaculum se præbuit mundo, & angelis, & hominibus, quando cùm in virtutibus cæteris, tum potissimùm in humilitatis studio, & generoso sui contemptu, tam admirandus extitit, ut meruerit denique inter liliatorum de cœlo agminum concentus, ipse *mundi*, *carnis*, & *dæmonis* victor, ad cœleste *Pantheon* gloriosè deduci. Mundi vanitas quantumcunque palpabilis & crassa, non videtur nisi ab iis, quibus probè purgatus est animi oculus.

SENTENTIA.

O Infelicitas generis humani! amarus est mundus & diligitur; putas, si dulcis esset,

esset, quomodo amaretur ? turbatur, & tamen amatur: quid si tranquillus esset ? flores mundi quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum? *S. Augusti. serm. 3. de temp.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. MUltô studiô, nec impensis minoribus, laboravit *Salomon*, ut, si quid in orbe firmum esset, illud retegeret. *Dixi*, inquiit, *vadam, & affluam divitiis, & fruar bonis. Magnificavi opera mea, & ædificavi mihi domos &c. omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis.* Verùm in omnibus reperit vanitatem tam liquidam, ut ipsum hoc *vanitatis* vocabulum, quò majorem posteris fidem faceret, *duplicaret, triplicaret.* Et tamen, ô quàm hodiéque in amoribus est hæc *vanitas!*

II. Hæc rerum omnium nullitas, pensiculatiùs expensa, claustra replevit præstantissimô nobilitatis flore. Abjecêre in utroque sexu purpuras, diademata, sceptra, fasces : sprevêre voluptates non vetitas modò, sed & licitas. Contempserunt verò hæc omnia, quia eâdem perspicacitate, quâ *Salomon*, repererunt in omnibus *vanitatem, & afflictionem spiritûs, & nihil permanere sub sole.*

III. Utne tamen omni bonô destituta torperet eorum voluntas, cum *Haytone* voluptates quæsiverunt, sed sanctas, & stabiles. Divitiis inhiârunt, sed iis, quas nec ærugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt, ut furentur. Glo-

riam appetiverunt, ſed æternam, ad cujus poſſeſſionem conditos ſe noverant. O, ut hanc mentem induant, quotquot etiamnum terrenarum rerum affaniis & inſaniis detinentur! turpe eſt & monſtroſum, ut ait Bernardus, *caput habere ſurſum, & mentem deorſum.* Non ſic incedunt, non ſic ſentiunt, qui cum Auguſtino vanitatum pertæſi ſuſpirant: *creaſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* L. 1. Conf.

XIII. DECEMBRIS.

S. Lucia V. & M.

APud *Paſchaſium* à ſponſo ſuo chriſtiani nominis accuſata, cùm tantò magis laccenderetur ad celebrandas chriſtianæ fidei laudes, quantò ampliùs judex à ſententia eam avertere conabatur: ad ſubeundum lupanar damnata, tantô à Spiritu ſancto, cujus per integerrimam puritatem templum extitit, pondere firmata eſt, ut nullâ vi de loco dimoveri poſſet. Juſſit ergo præſes circa eam copioſum excitari ignem, & martyrem pice, reſinâ, ac ferventi oleô perfundi: verùm cum nec ſic Virginis necem promoveret Præfecti crudelitas, ejus denique mandatô *Lucia* gladiô transfixa, cùm per ſatis longum temporis ſpatium adhuc oráſſet, & vivificis ſe muniri Sacramentis feciſſet, placidè ſuam æterno ſponſo transmiſit animam. Pugnat DEUS pro caſtitatis amantibus, quando iſti puritatem animi ſui contra carnis illecebras ſtudiosè propugnant.

SEN-

Digitized by Google

SENTENTIA.

QUoties aliquod peccatum aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus, templum DEI destruimus. *S. Augusſt. ſerm. 210. de temp.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. EXimium puritatis ſtudium *Luciæ* animam eſſe fecit nobiliſſimam DEI domum. Quærenti enim Paſchaſio: *eſt ne in te Spiritus ſanctus?* intrepidè reſpondit: *caſtè & piè viventes templum ſunt Spiritûs ſancti.* Habitat Chriſtus in templis manufactis per Euchariſticam præſentiam: habitat in templis non manufactis, juſtis videlicet, per gratiam. Væ illi, cujus culpâ hoc DEI ſacrarium contaminatur! *qui templum DEI violaverit, diſperdet illum DEUS.* 1. Cor. 3.

II. Violant porrò, qui in animo collocant idolum *Veneris*; faciunt enim ex animabus ſuis fieri ſtabula beſtiarum: convertunt *ſancta ſanctorum* in *ſpeluncam latronum.* Adductus Ezechiel *in viſione DEI* in Templum Solymæum, ibidemque juſſus fodere parietem, vidit *abominationes peſſimas:* vidit *omnem ſimilitudinem reptilium animalium, & univerſa idola domûs Iſrael:* vidit *mulieres plangentes Adonidem:* vidit *viros viginti quinque, dorſa habentes contra Templum Domini.* Fode animum hominis carnalis, videbis *abominationes majores.*

III. Omni igitur curâ cuſtodiendum hoc DEI templum. Servanda *Caſtitas*, ne iſtius defectu

ſtet

ſtet in loco ſancto *abominatio deſolationis.* Vocanda in adjutorium *gratia DEI*, quâ ſine nihil; cum qua poſſumus omnia. Excubitorem hæc ſtatuet *timorem Domini*, qui *odit malum.* Prov. 8. Ædituam aget ipſa *Pudicitia*, jam Tertulliani tempore officiô iſtô perfungi ſolita. Nihil hæc immundum & profanum inferri ſinet, *ne DEUS, qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.* Tert. L. 1. de cultu fæm.

XIV. DECEMBRIS.

S. Nicaſius Epiſc. & M.

Dlu, multúmque ſubjectum ſibi populum laborabat *Nicaſius*, Rhemenſium antiſtes, ad melioris vitæ frugem reducere, verùm paſtoris optimi monita ſprevêre ſubditi, & animô in malum obſirmatô tamdiu juſtam Numinis indignationem provocârunt, quousque *Wandalorum*, *Hunnorumque* ſævitiæ traditi, diſcerent tardam quidem in ultionem eſſe DEI vindictam, eam tamen poſteà tarditatem pœnarum acerbitate compenſare. Cæterùm hæc Barbarorum irruptio optatam *Nicaſio* præbuit occaſionem, DEO & hominibus probandi ſeſe non mercenarium ignavum, ſed paſtorem ſollicitum: ut enim ab ovibus periculum averteret, ipſe ſe lupis intrepidus oppoſuit, & paganorum gladiis confectus, unà cum *Eutropia* ſorore Virgine, martyrii laurum adeptus eſt. Utinam ín adverſis quibusque non in alium aliquem cauſam rejiceremus, quàm in nos ipſos, & noſtra, quæ indies committimus, ſcelera!

SEN-

Digitized by Google

SENTENTIA.

STimulus mortis peccatum eſt, quia mortem urget & impellit in hominum cædem, ac ſi quis carnificem urgeat, dicátque: fac officium, cæde, feri, ſterne. *S. Auguſt. de variis qq. ad Simplic. q. 2.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PEccatum orbe vixdum conditô tantas fecit rerum deordinationes, ut optimus cæterà DEUS *dolore cordis tactus intrinſecùs* diceret: *pœnitet me feciſſe hominem.* Sordes illas ut elueret divina juſtitia, ruptis fontibus abyſſi magnæ, apertisque cœli cataractis, aquis diluvii omnem ferè perdidit carnem, ut pateret, ærumnas omnes omnium temporum non alteri debere ſuam originem, quàm *peccato.*

II. Ipſum deinde peccatum tantum eſt malum, ut eô majus non ſit, neque graviùs punire hominem poſſit DEUS, quàm permittendo illum labi ex uno peccato in aliud. Alia quæcunque dura & aſpera tam non refugerunt Sancti, ut iis ultrò affligi etiam cuperent: peccatum verò ſic horruerunt, ut *S. Edmundus* conſtanter aſſereret, malle ſe inſilire in rogum ardentem, quàm peccato ſcienter inquinari. *S. Anſelmus* infernum præ peccato eligere paratus eſſet. Gentiles verò ſolô rationis lumine ducti, ſic illud averſati ſunt, ut Seneca diceret: *etſi ſcirem homines ignoraturos, & Deos ignoſcituros, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem.*

III. *Rhe-*

III. *Rhemenſes*, quod aliis etiam peccatoribus in uſu, plurimùm abuſi ſunt patientiâ DEI: denique tamen experti ſunt, rigidam Numinis juſtitiam ſimulare aliquando ſomnum, dormire nunquam. Sapiunt, quotquot de futuris ſoliciti, magnum audiunt Gregorium: *nemo*, inquit, *longanimitatem DEI negligat: quia tantò diſtrictiorem juſtitiam in judicio exigit, quantò longiorem ante judicium patientiam prorogavit.* Homil. 36.

XV. DECEMBRIS.

S. Victoria, Cœleſtinarum fundatrix.

UT ſuô nomine non indignam ſe probaret, egregiam aliquando ſui victoriam in re ſummè ardua conſecuta eſt. Convenerat conſcientiæ arbitrum ab eodem perceptura meditandi modum: ille verò exploraturus, quid in *Victoriæ* animo humilitatis & patientiæ lateret, ſuam hanc filiam ad aliam matronam ablegavit, ut ab hac meditandi rationem edoceretur. Paruit *Victoria*, & fœminam illam de genibus rogans, vellet ſe meditationis inſtituendæ methodum docere, non ſolùm non audiit mollia reſponſa, verùm & ſtolidæ temeritatis increpita, juſſa eſt in magno puellarum & matronarum choro orationem recitare dominicam: in qua, cùm pudore memoriam non nihil turbante, leviter ceſpitaret, colaphum denique tulit, cum dicto: faceſſeret, arrogans, & priùs cum pueris & puellis diſceret orationem dominicam balbutire, quàm de meditatione loqueretur. Pertulit ſumma cum animi æquitate eam repulſam

&

Digitized by Google

& ignominiam *Victoria*, & sanctitatem ab actu isto heroico auspicata, sancti deinceps instituti parens audiit. Unâ tui victoriâ cunctos pariter hostes facilè conficies.

SENTENTIA.

DEcet quempiam accedentem ad Dominum, sic ad id, quod bonum est, cogere seipsum, etiamsi repugnet animus, seque ipsum compellere ad dilectionem, si dilectionem non habeat: compellere seipsum ad contemptum perferendum, & in eo eum animi magnitudine perdurandum. *S. Macarius Homil. 19.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. TAntò excellentior est victoria ex se ipso reportata, quantò est difficilior pugna secum ipso suscepta. Sæpe fudit armatas hostium acies Rex *David:* nec tamen aliquando tam glorioſus fuit, quàm, cùm *Sauli*, dum occidere eum poterat, semel, iterúmque pepercit: cùm aquam, siti ferè confectus, discrimine trium fortissimorum militum allatam, respuit, & in terram *effudit coram Domino:* cùm denique pessimas *Semei* maledictiones non infractô solùm pertulit animò, sed supplicium etiam exacturis, placidè respondit: *dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret, David.* 2. Reg. 16.

II. Tot sunt tentationes quibus impetimur, ut Bernardus indubitanter asserat, neminem unum

super

ſuper terram absque tentatione victurum: & ſi una tollatur, ſecurè aliam eſſe exſpectandam. ſer. in Pſ. 90. In his expugnandis tum demum feliciter procedetur, ubi actus quispiam heroicus pugnam fuerit auſpicatus. Res in ſe leviſſima grande aliquando negotium nobis faceſſit: pugnandum tum eſt totô virium conatu, cùm in eo eventu plus poſſit unus actus intenſus, quàm centum remiſſi.

III. Ductu patris ſpiritualis ad ſui ipſius victoriam *Victoria* pertigit. Uti felix eſt regnum, quod bonos alit Conſiliarios: ita bene habent eæ conſcientiæ, quibus de bono rectore providit DEUS. Et licet præſumptio de prudentia propria paſſim ſit damnoſa: in negotio tamen ſalutis longè eſt perniciosiſſima. *Cum ſapiente & conſcientioſo viro conſilium habe, & quære potiùs à meliore inſtrui, quàm tuas adinventiones ſequi.* Thom. Kemp.

XVI. DECEMBRIS.

S. Ado Archi-Epiſcopus Viennenſis.

MIrâ virtûtum fragrantiâ, & converſationis ſuaviſſimæ exempla ſic omnium in ſe provocavit affectus, ut *Viennenſes* Paſtore ſuô orbati, non alium eidem ſubſtitui privatim ac palam rogarent, quàm *Adonem*. Pauperum curam in Epiſcopali dignitate poſitus tam non depoſuit, ut ſuas ædes omni tempore illis patere vellet. Spiritualis ſeceſsûs amantiſſimus, certa pro ſtationibus ſanctis altaria ſibi ſtatuit; inter quæ unum Divæ *Magdalenæ* pœnitenti, alterum *S. Petro*, tertium *pio Latroni* ſacrum fuit. Amat DEUS omnem

ora-

orationem: eam tamen præ aliis, quæ in abſcondito facta, illum ſolum vult teſtem, & arbitrum.

REFLEXIO.

NIl in hac vita dulciùs ſentitur, nil aviditùs ſumitur, nil ita mentem ab amore mundi ſeparat, nil ſic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat, & adjuvat ad omne opus bonum, & omnem laborem, quàm gratia contemplationis. S. *Bern. L. de anima. c. 7.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUamvis in oratione vocali aſſiduus eſſet *Ado*, plùs tamen adhuc viſus eſt tribuiſſe mentali, quæ aliud non eſt, quàm *meditatiõ*, quam communiter deſcribunt: *attentam divinorum cogitationem, piis voluntatis affectibus mixtam.* Hanc ut ſolidam redderet *Ado*, perjurium ſuum deflentis *Petri: Magdalenæ* pœnitentis: pii denique latronis in ultima vitæ periodo ad Chriſtum converſi hiſtorias frequenter expendit. Utere conſimili modô pro materiæ qualitate, & non erunt ſteriles meditationes tuæ.

II. Quid porrò, inquies, didicerit *Ado* ex frequenter inſpectis hiſce vel tabulis, vel ſculpturis? plurimùm ſanè. Docuit enim *Magdalena*, perfecto in DEUM amori reſpondere itidem perfectam quòrumcunque peccatorum indulgentiam. Docuit *Petrus*, levem aliquando occaſionem, niſi ſedulò caveatur, cauſam eſſe poſſe ruinæ non le-

vis. Docuit denique *Latro*, nulli, etiam ſceleſtiſſimo, quamdiu quidem ſpirat, deſperandum de DEI bonitate. Quinam affectus pathetici conſiderationes has comitati fuerint, novit is, qui *hominum corda* intuetur *in abſconditas partes.*

III. Quænam ſint officia orationis quàm *mentalis*, tam *vocalis*, eleganter inſinuat Bernardus, ſic inquiens: *meditatio docet, quid deſit; oratio, ne deſit, obtinet: illa viam oſtendit; iſta deducit. Meditatione denique agnoſcimus imminentia nobis pericula; oratione evadimus.* Serm. 1. de S. Andr. Quæ ergo DEUS in animo ſibi devoto conjuncta voluit, tu, ſanctorum imitatus morem, ne ſepares.

XVII. DECEMBRIS.

S. Lazarus Maſſilienſium Epiſcopus.

FRater *SS. Magdalenæ* & *Marthæ*, cùm jam quatriduanus jacuiſſet in monumento, à Salvatore ad vitam reſuſcitatus, quod temporis reliquum habuit, triginta ſcilicet annos, non otiosè deperdidit, ſed potiſſimam eorum partem adducendis ad veram fidem Maſſilienſibus, & finitimis populis, quorum illi cura obtigit, ſolicitus paſtor expendit. Rarô elogiô ab ipſomet *Chriſto amicus* audiit. Dixerat enim Servator mortuum excitaturus: *Lazarus amicus noſter dormit.* Joan. 11. O quàm aliquando præſtabit, *Chriſti* fuiſſe amicum, quàm mundi!

SENTENTIA.

INter bonos viros ac DEUM, amicitia eſt, conciliante virtute. Amicitiam dico? imò

imò etiam neceſſitudo & ſimilitudo: quoniam quidem bonus tempore tantùm à DEO differt, diſcipulus ejus, æmulatórque, & vera progenies. *Seneca. L. de Provid. c. 1.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn omne quod *amicitiæ* nomine venit, vera eſt amicitia, cùm hæc, ipſorum etiam gentilium teſtimoniô, ſine virtute ſtare non poſſit. *Eſt quædam amicitia carnalis*, inquit Auguſtinus, *per conſuetudinem cohabitandi, colloquendi, ſimul converſandi, ut contriſtetur homo, quando deſeritur ab amico. Eſt iſta amicitia conſuetudinis, non rationis.* Homil. 38. inter 50. Vilis eſt hæc amicitia, & ſummè aliquando noxia.

II. *Amicus* verò *fidelis*, qualem facit communicatio virtutis, teſte Sapiente, *medicamentum vitæ eſt, & immortalitatis.* Non iſtum, ut priores, facit, vel ſervat vitioſa morum conſuetudo, ſed unum, & ſerium probitatis ſtudium. O quàm verò rari hôc ſæculô ſunt tales amici! quàm ii potiores, qui cum amico ad inferos deſcendere malunt, quàm ut unà in cœlum eluctari contendant. Amantur amicorum bona, non animæ: ſicque *vulgus amicitias utilitate probat.*

III. Numerô igitur amicorum tam rarô, cum *Chriſto* ineunda eſt amicitia. *Sine amico non potes diu vivere*, inquit Thom. Kemp. *& ſi JESUS non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis triſtis, & deſolatus.* l. 2. de Imit. c. 8. Verùm etiam hæc amicitia non tam eſt obvia, ut tepido cui-

cunque obtingat. *Magna ars eſt*, inquit citatus, *ſcire converſari cum JESU, & ſcire JESUM tenere, magna prudentia.* Prima amicitiæ lex eſt, ut amicorum omnia ſint communia. JESUS prior totum ſe tibi tradidit. *Vade, fac ſimiliter*, & totum toti te redde, nihil penitùs tibi reſervando. Velle, & nolle, utrinque communia ſint. *Tua, JESU! voluntas mea ſit, & mea tuam ſequatur.* Thom. Kemp.

XVIII. DECEMBRIS.

S. Modeſtus Epiſcopus.

PAtriarcha Hieroſolymitanus parentes martyres habúit. Quinquennis Senatori gentili traditus in cultu idolorum educandus, eam impietatem, ubi primùm adolevit, ſic execratus eſt, ut nihil magis cuperet, quàm utriúsque parentis exemplo fidei orthodoxæ ſuômet ſubſcribere ſanguine. DEO tamen aliter viſum tum fuit, & *Modeſtus* peſſimis quibusdam inſtitoribus in Ægyptum venditus, multa perpeſſus eſt juſtô ſeptenniô, quô ab hero crudeli vilis inſtar mancipii habitus fuit. DEI denique providentiâ & huic malo ſubductus, & Jeroſolymorum Antiſtes electus, nil priùs habuit, quàm ut inimicis ſuis tantum boni faceret, quantum ab iis mali acceperat. Arduа eſt dilectio inimicorum: eam tamen arduitatem facilè vincit, qui non obiter penſat & Chriſti Servatoris in ſimili exemplum, & repoſitum inimicorum dilectioni præmium.

SEN-

Digitized by Google

SENTENTIA.

NEmo torque aurea collo affusa, tam certò se vel divitem, vel doctum, aut nobilem probat, quàm certò quis DEI se filium esse demonstrat, qui inimicos amat. *S. Chrysost. Homil. 2. in Epist. ad Philip.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NOn tantùm in eo convenerunt *Joseph*, Ægypti Prorex, & *Modestus* Jerosolymorum Patriarcha, quòd uterque fuerit venditus ab iis, à quibus amorem omnem spondere sibi debuerant: sed in eo etiam, quòd inimicis uterque ignoverit, &, quod majus, benefecerit. Tu etiam noli reddere malum pro malo, sed vince in bono malum. Imò, si tantum tibi sit roboris, *si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, potum da illi.* Prov. 21.

II. Metuunt non pauci nomini suo labem, si faciles sint ad ignoscendum: sed falsâ laborant persuasione. Hoc enim ipsum, ex quo vanam gloriam aucupaturos se somniabant, plurimùm contemptibiles illos reddit in DEI, & virtutis amantium oculis. Fortitudo non est, mordentem remordere, sed brutalitas, & animi effæminati certissimum indicium. Ita sanè sentit S. Ambrosius, quando L. 1. Offic. c. 36. *Vindicare se*, inquit, *non est actus fortitudinis, sed abjectionis, & timiditatis.*

III. Quinimò tantò nobilior est vindictæ remissio, quantò expeditior est se vindicandi potentia in eo, qui injuriam passus est. Una *Christo*

Salvatori lingua ſupererat, à cruciatibus aliqualiter libera: potuiſſet hâc (nec injuriâ) crucifixoribus æternam dictare maledictionis ſententiam: verùm oppoſitum fecit, dum primùm illam ſolvit in hoſtium ſuorum patrocinium: *Pater*, inquiens, *dimitte illis*: ut nemini non conſtaret, quantâ etiam illos charitate complecteretur, & quàm calidè eorum ſitiret ſalutem. Quid David? *ſi reddidi*, ait, *retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis.*

XIX. DECEMBRIS.

S. Megengor.

COmes & militum Dux, vitæ ſanctitatem auſpicatus eſt à ſeria mortis memoria. Filius illi fuerat omnibus naturæ & gratiæ donis ditiſſimus: hunc infelici bellorum aleâ ſublatum, cùm exanimem *Megengor* coràm intueretur, tantam continuò caducorum omnium nauſeam animô concepit, ut omnibus mundi vanitatibus ſincerè renuntians, uni poſthac DEO, rigidum vitæ genus amplexus, famularetur. Meruit heroica iſta reſolutio, ut cœlô receptus, præter alia quæ illi obtigêre præmia, non jam *Megengor*, ſed *Megengaudius* diceretur, id quod & Religioſæ ſorori poſt obitum revelavit. Quòd mortalem homo ſe fateatur, neque tamen mortem vel cogitet, vel ad eam dignè ſe paret, res eſt omninò indigniſſima.

SEN-

Digitized by Google

SENTENTIA.

NIhil æquè tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti. Quid facies? reſpice mortem. *Seneca. Epiſt. 114.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *OPtima philoſophia eſt mortis meditatio.* Hâc quotusquisque tantum non ſapit, ut perituris abjectis, æterna cogitet, miſerè nimiùm deſipit. *Memorare noviſſima tua*, ita conſulit Spiritus S. *& in æternùm non peccabis.* Paradoxum ſanè eſt, cogitare, mortem eſſe certiſſimam, horam verò prorsùs incertam: his tamen non obſtantibus mortaliter adhuc peccare.

II. Satis ſuo ſe feciſſe officio putant hominum plurimi, ſi occaſione funeris præſentis ſemel & iterum ſuſpirent, mortales ſe dicant & credant, quidquid interim ſit de vita in meliùs mutanda. Non ſic egit *Megengaudius.* Ut primùm enim ex oculis remotum eſt juvenis filii cadaver: ipſe pariter, animô ſaltem, cùm corpore non poſſet, mundô exiit: ac ſervatâ cum conſenſu conjugis continentiâ, bonisque ſuis Eccleſiæ & pauperum bonô diſperſis, uni deinceps vivere DEO ſtatuit. Fortè volverit animô magni Baſilii dictum: *beatus, qui omni ſpe rerum hujus mundi ſeipſum orbavit, atque in ſolo DEO ſpem omnem fixit.* Orat. 7.

III. Fructus denique memoriæ mortis in *Megengaudio* fuit, quòd triennio à conjugis obitu, lætô mortem exceperit animô. Sancti per hunc numinis apparitorem ad ejus *puteal* citati, *venientes* veniunt *cum exultatione*, *portantes* bonorum operum *manipulos*. Mali verò venire metuunt. Cauſam pandit Bernardus: *opera illorum ſequuntur illos. Qualia opera? opera peſſima. Et hæc ſtabunt omnia, peccata ſcilicet, contra infelices peccatores, dicentia: tu feciſti nos: opera tua ſumus.* de Conſider.

XX. DECEMBRIS.

SS. Ammon, & Socii MM.

CUm ſub annum Chriſti ducenteſimum quinquageſimum tertium pari in Chriſtianos & latrunculos ſupplicio, etſi meritô maximè impari, ſæviretur à gentilibus: & tam illi, quàm iſti flammis exurerentur: abſterritus tormenti atrocitate Chriſtianorum nonnemo, hôc ipsô nomine ad tribunal vocatus, nutare non dubiis ſignis cæperat. Huic vacillanti ut manum porrigerent *Ammon*, *Zeno*, & *Ptolomæus* fortiſſimi pugiles, jam oculis annuere, jam manibus, jam lacrimis, jam totô corporis geſtu conſtantiam ſuadere tamdiu non deſtiterunt, dum efferatæ plebis tumultibus, & inſanô clamore ad necem poſtularentur. Non ampliorem illi vel petere poterant, vel ſibi polliceri brevis operæ mercedem. Et verò poſtulârat rei æquitas: ut tam illuſtre conſilium con-

Digitized by Goog

conſlutoribus foret optimum. Qui tibi conſiliarii ?

SENTENTIA.

NUllus fidelior tibi ad conſilium poteſt eſſe, quàm qui non tua, ſed te diligit. *S. Greg. in Regiſtro.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. HOminem ſua duntaxat curare commoda, nec alienæ ſalutis ſolicitudine tangi, res eſt hominem dedecens, & illis inſuete, in quorum cordibus ſedem fixit *charitas DEI*, & *proximi*. His non modo non difficile eſt, ſed etiam volupe, cum doctore gentium, *impendi*, & *ſuperimpendi* pro proximi bono. Hâc nimirùm ratione *charitas non quærit quæ ſua ſunt* (exceptô ſalutis propriæ ſtudiô, in quo utique incipit à ſeipſa) ſed quæ *DEI*, & *proximi*.

II. *Ammon* cum ſociis martyribus trepido Chriſtiano conſuluit optimè, in re momenti longè maximi: paruitque iſte, defecturus indubiè, ſi defuiſſent *conſiliarii* tam ſinceri. Paruit porrò inde ampliùs, quòd iidem iſti *conſiliarii*, *Ammon* videlicet, *Zeno*, & *Ptolomæus*, firmarent exemplô, quod ſuaſerant verbo. Docere bene, facere malè, quid aliud eſt, quàm *hypocritam* agere ? *bene docere, & malè vivere, quid aliud eſt, quàm ſuâ ſe voce damnare ?* S. Proſper.

III. Supplet DEUS (tanta eſt ejus bonitas) ſuis inſtinctibus fidelium conſiliariorum vicem. Hinc David: *ſignatum eſt*, inquit, *ſuper nos lumen*

vultûs tui Domine. Verùm, ô quoties repellitur hic *magni consilii Angelus*! variant aliquando consiliarii pro temporum & personarum conditione: suadent non rarò, quæ nec ipsi facerent. Non sic *consiliarius* noster *DEUS.* Fidelis est: sapiens est: nostri amans est: tantùm, si deinceps vocem ejus audierimus, ne obduremus corda nostra: hìc, non aliâ viâ, *electi usque ad finem in virtute proficiunt.* S. Gregor.

XXI. DECEMBRIS.

S. Thomas Apostolus.

ALiquamdiu dubius de veritate resurrectionis dominicæ, palpando denique fidem edoctus est, eámque deinceps non jam fidei discipulus, sed magister, *Parthos* docuit, *Medos*, *Persas*, *Hircanos*, *Bactros*, ipsòsque adeò extremos *Indos.* Arborem maximæ molis, quæ nec hominum, nec Elephantorum conatu omni locô dimoveri poterat, suô ille cingulo per decem milliaria facilè traxit, & templi structuræ devovit. Incusatus homicidii, ipsummet occisum (filius erat sacrificuli cujusdam) veritatis testem esse voluit, & homicidæ proprii parentis judicem. Denique ante crucem precibus vacans, nefariis Pseudomystarum machinationibus, quibus exosus semper fuerat, telis primùm petitus, tum hastâ trajectus, ad metam cursûs Apostolici pertigit, exemplô insigni correctæ infidelitatis orbi relictô.

SEN-

Digitized by Google

SENTENTIA.

FIdes inexercitata citò langueſcit, & crebris otioſa tentatur incommodis. S. *Ambroſ. in Pſ. 118.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Niſi videro*, inquiit Thomas, *non credam.* Corrigendæ iſti infidelitati miraculum operatus eſt Dominus: ac iteratò apparens, palpari à diſcipulo ſe paſſus eſt. Quam hîc excuſationem ſegnitiei ſuæ prætendent illi, qui à vilitate perſonarum ipſas etiam non rarò metiuntur animas, ut dum diſplicent illæ, has etiam negligant? hallucinantur nimiùm, dum vile ſibi fingunt, quod vile non eſt. *Cogita, quantum illum eſſe neceſſe ſit, quem Chriſtus ita honoravit, ut nec ſanguini ſuo pro ipſo pepercerit.* S. Chryſ. in Matth.

II. *Niſi videro, non credam.* Sic etiam loquuntur, quibus *peccare* quotidianum eſt, & conſuetudinarium. Agi ſecum vellent ut cum *Pharaone*, & ſingulis delictis ſingulas reſpondere plagas: quaſi verò plaga non ſit, & longè maxima quidem, ſi DEUS hominem ad tempus liberè peccare ſinat. Audiant, qui DEI patientiâ abutuntur, gentium doctorem: *ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii DEI.* ad Rom. 2. v. 4.

III. Vi-

Digitized by Google

III. Viva fuit divi Thomæ fides, negotiosa, non otiosa. *Fides sine operibus* ficus illa est, quæ, quòd foliis tantùm superbiret, fructu careret, maledictionem incurrit. Pridem concluſum, non illum cœlos intraturum, qui dicit, *Domine! Domine!* sed illum, cui assiduum est bonorum operum studium. *O quàm multos, titulò christianitatis tantùm insignitos, in suo gremio tenet* Ecclesia: *qui, etsi voce vel ceremoniis exterioribus confitentur se credere DEO, satis tamen cogitationibus negant.* S. Laur. Just.

XXII. DECEMBRIS.

S. Anastasia M.

S. Chrysogoni martyris martyr filia, cum vitæ innocentiâ admirabili non modò suis sese concivibus, sed & ipsis hostibus fidei, fidei alumnam, & verè christianam probâsset, cum pluribus aliis laceræ navi imposita, furentique pelago commissa, ut naufraga periret, sanctam Theodoram è cœlo submissam gubernatricem habuit & naucleram. Nec tamen hâc viâ destinato certamini se subduxit. Ut primùm enim portum tenuit, tenta denuo, tribúsque palis alligata, dum DEO sic disponente per aquas non potuit, per ignes transiit ad refrigerium. Mirabilis est providentia DEI! hos istâ; alios aliâ ducit viâ: hos tamen & illos feliciter, si modò promptè sequantur & obsequantur.

SENTENTIA.

NOn multùm iis, qui nauseâ & vertigine laborant, dissimiles sumus, qui omnia

nia ſurſum deorsúmque verti putant, cùm ipſi vertantur. Idem enim his, de quibus loquimur, accidit. Neque enim DEUM ſapientiorem ſe eſſe ſuſtinent, quamprimùm ad eventum aliquem, quales vertigine correpti, hæſerint. *S. Greg. Nazianz. Orat. 16.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UBi in *Anaſtaſiæ* & innumerorum aliorum martyrum mortem cuncta conjurâſſe ſunt viſa: cœlum non rarò tulit opem & adjutorium. Etiam tibi ſæpiùs foret propitium, ſi de Domino ſentires in bonitate: ſi ſuaviſſimæ ejusdem providentiæ potiùs, quàm hominum favori te crederes. *Quid in te ſtas & non ſtas? projice te in eum* (providum ſcilicet DEUM) *non ſe ſubtrahet, ut cadas.* S. Auguſt.

II. Qui pelagô vecti ad quosvis fluctuum aſſultus, ad omnem navis vagitum trepidi, ac buxô pallidiores, actum de ſe putant, ridentur ab aliis, quibus navarchi dexteritas, & eventuum ejusmodi frequentia magis eſt perſpecta. Quid tam quotidianum in hominum contubernio, quàm ſtantibus aliis, alios dejici & proteri? fortunæ diphteram iniquiorem inculant rerum imperiti: alii totum in providentiam divinam refundunt, illisque jugiter in ore eſt, etſi ſenſu magis chriſtianô, illud Stoicorum: *ſic erat in fatis: ſic voluêre dii.*

III. Salutaris DEI erga humanum genus *Providentia* (inquit Evagrius, uti refertur Hiſtor. Eccl.

Eccl. L. 4. c. 6.) *ante plagam inflictam remedia parare, & gladium iræ ſuâ clementiâ demulcere, & cum res in deſperationem venerunt, ſuæ miſericordiæ quaſi fores aperire ſolet.* Agnoverunt hoc ſancti, indéque ſibi ſemper ſimillimi, ſive ſecunda arrideret, ſive ſors ſequior torqueret, idem animô enuntiârunt, quod ore cordatior Job: *etiamſi occiderit me, in eum ſperabo.* c. 13. v. 15.

XXIII. DECEMBRIS.

S. Servulus Conf.

VOluit DEUS *Servulum* ſervum ſuum, cum ipſa propemodùm vita, tormenta auſpicari morte acerbiora, dum eum paralyſi laborare voluit, membrorum usque adeò diſſolutivâ, ut nullus jam iſtorum uſus eſſet. Voluit hoc ipſum & *Servulus*, non aliàs potentior, quàm cum ſic infirmaretur. Unde apud eundem non modò murmur ullum, aut querimonia, ſed cum corde tacito ac mente bene ſibi conſcia, patientia robuſta, gratiarum actio continua, pſalmorum ſuave canticum, & librorum ſacrorum lectio: quibus omnibus hoc præmii promeritus eſt *Servulus*, ut in morte ſervos haberet Angelos, imò & choraulas. Incredibile eſt, quantùm conducat robori ſpiritûs imbecillitas corporis, ſi feratur iſta, ut ferri debet, & ut fertur à ſanctis.

SENTENTIA.

QUoniam id non habeo, ut dolore vacem: hoc lucri obiter ex dolore facio, quod

quod perfero, & gratias ago, ut in rebus lætis, ita etiam in acerbis. Quandoquidem illud exploratum habeo, nihil rerum noſtrarum apud ſummam rationem expers rationis eſſe, tametſi ita nobis videatur. S. *Greg. Nazianz. Epiſt. 69.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm chriſtianè Seneca! *ægritudo in ſapientem virum non cadit: ſerena enim ejus mens eſt, nec quidquam incidere poteſt, quod eam obducat.* De vita beata c. 5. Sic ſe habuit divus noſter: nec unquam in *Servulo* fuit *animus ſervilis.* Dominabatur ſpiritus, ſerviebat caro: ac tamdiu quidem, dum ſub ægritudinis mole fatiſceret. Dixerit indubiè cum Jobo: *rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM Salvatorem meum.*

II. Uti *pinguis venter non gignit tenuem ſenſum*: ita ſanitas ſibi conſtans, nec morborum aliquando moleſtiis interrupta, vix non efficit hominem terræ, quàm cœli amantiorem. Sapiit Eremita ille, qui, quotannis variis infirmitatum generibus afflictus, cùm unô aliquando annô à talibus incommodis perſtitiſſet immunis, ſic DEUM allocutus eſt, *Domine DEUS, cur me deſeris? cur me deſolatum hôc annô non viſitaſti?* Simon Goulartius in vit. PP.

III. Vel aurum te invenit probatio divina, vel ferrum? ſi prius: morbis utitur, velut igne, ut puriorem reddat. Si poſterius: morborum iterum

ignes

ignes adhibet, ut rubiginem exurat. Utrobique non ſuum, ſed tuum quærit commodum. Langueat igitur caro; valeat ſpiritus. *Imbecillitas carnis mentis vigorem acuit, & affectis artubus, vires corporum in virtutes transferuntur animorum: ut mihi genus quoddam ſanitatis eſſe videatur, hominem interdum non eſſe ſanum.* S. Salvian. Epiſt. 5.

XXIV. DECEMBRIS.

S. Tharſilla V.

MAgni Gregorii amita, Virgo vixit in omnem vitam: utque talis viveret, jejuniis, vigiliis, lectione ſacrorum codicum, & humani commercii fugâ, velut puritatis cuſtodibus uſa eſt. Orationi verò ſic fuit dedita, ut genua à flectendi aſſiduitate in duriſſimum obrigeſcere callum. Moritura ſubitò exclamavit: *recedite, recedite: JESUS venit.* Mira cadaveris fragrantia, & quæ circa illud obtigêre prodigia, fidem fecêrunt, *Tharſillam* ſponſi thalamô, & cœleſtibus viridariis fuiſſe dignam. Orandum aſſidue, ne ſuccumbamus tentationi: illi præſertim, quâ petulans caro ſpiritum impetit.

SENTENTIA.

ORatio pudicitiæ præſidium, ac tutamen eſt: iræ moderatio, ſuperbiæ ſedatio atque repreſſio, injuriarum tenacis memoriæ expurgatio, invidiæ profligatio, injuſti-

tiæ

tiæ ſublatio, impietatis correctio. *S. Greg. Nyſſen. Homil. de Orat.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. COnſtat ex Evangelica hiſtoria *Chriſtum* in oratione tam fuiſſe aſſiduum, ut in ea non rarò etiam pernoctârit. Ipſum hunc morem tenuêre ſancti, utne à ſuo capite diſcreparent. Errant igitur, ac, utinam non totô cœlo! qui multùm ſibi præſtitiſſe videntur, ſi per *ſemihoram* diebus ſingulis (ſi tamen & iſtud fiat) qualitercunque orent.

II. Illam primùm orationem æſtimat DEUS, quæ *humilitate* conditur. Hæc ſola nubes penetrat, dum alia, quæ mentis elatæ ſinu concepta eſt, fumi inſtar diffugit, evaneſcit. Audis *Chriſtum* inter orandum procidiſſe in faciem ſuam. Cur hoc? Nyſſenum audi: *humanus uſus eſt, pronos terræ ſupplicare majoribus: unde ille, qui noſtros languores portavit, per hominem, quem ſumpſit, genuflectit, orando Patrem, ſanciens, non eſſe ſuperbiendum orationis tempore.* In c. 22. Lucæ.

III. Quantò major eſt gratia quæ petitur; tantò pro ea ardentiùs eſt ſupplicandum. At, quænam major *puritate mentis*, & *corporis?* hâc non angelos tantùm, ſed ipſum etiam DEUM noſtri amantem reddimus. Proverbiô dictum eſt ab antiquis: *aureis haſtis pugna, & omnia vinces.* Aurô cœlum expugnat, & continentiæ donum obtinet, quisquis aſſiduus eſt in oratione. *Oratio eſt theſaurus perpetuus, divitiæ inexhauſtæ, portus quietis, occaſio tranquillitatis: denique au-*

ctor, parens, fons, & radix omnium bonorum. S. Chryſoſtomus.

XXV. DECEMBRIS.

Nativitas D. N. J. C.

HÆc dies, quam fecit Dominus, tam ſtupendis inclareſcit myſteriis, ut profundiſſimam duntaxat admirationem admittant iſta, deſcriptionem reſpuant. Ecce enim *VERBUM* hodie *CARO factum* & habitans in nobis : verbum, quod in principio erat, & erat apud DEUM : VERBUM, per quod facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil. Ecce, inquam, hoc VERBUM, quàm altiſſimô ſonô ediſſerens ampliſſimum noſtri amorem; tam usque ad vilitatem noſtræ naturæ humile & *abbreviatum.* *Ergòne credibile eſt, ut habitet DEUS cum hominibus ſuper terram?* ergóne virginis uterus ſpatiô novem menſium eum clauſerit, quem cœli cœlorum non capiunt ? ergóne faſciis ſtringatur neo - genitus, cujus indumentum à tota retro æternitate *fortitudo & decor* ? anime mi! dum puſio iſte totus amorem ſpirat, dum Virginis puerperæ, dum nutritii parentis affectus ignei latiſſimas evibrant flammas, perditus es, niſi meriſſimus ignis pariter ſis, niſi robuſtiſſimè diligas, tenerrimè priùs dilectus.

SENTENTIA.

INter omnes articulos, & myſteriâ ſanctiſſimæ vitæ Chriſti, non eſt dulcius, non de-

devotius; non admiratione, & doctrinis variis plenius; hoc ſuæ nativitatis. *Ludovic. Granat. in vitâ Chriſti c. 6.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *Tranſeamus usque Bethlehem; & videamus hoc verbum, quod factum eſt.* Tranſeamus paſſibus mentis, viſuri amorem incarnatum. *Sic* nimirùm *DEUS dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* O DEUM vix non prodigum! ò *donum* omni exceptione majus! dedit quantum potuit; & quantum habuit. Avarus nimiùm eſt, cui non ſufficit hoc *maximum in minimo. Amo te Domine ob tua beneficia, quia in eis video, & exoſculor; & amplector amorem tuum.* Euſeb. Nirembeg.

11. *Tranſeamus usque Bethlehem*; talia viſuri; qualia eò usque non vidit orbis. *Hic longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo ſubdita; profunditas plana: hic lux non lucens, Verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens.* S. Bernard. Homil. 3. ſuper miſſus. *Gratias agimus tibi, clementiſſime & benigniſſime amator hominum DEUS, qui per JESUM Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, cùm non eſſemus, potenter feciſti nos: & cùm perditi fuiſſemus culpâ noſtrâ, mirabiliter liberâſti & recuperâſti nos.* S. Auguſt. in Medit. c. 4.

111. *Tranſeamus usque Bethlehem*: illic enim *parvulus natus eſt nobis*: parvulus parvulis, purus puris, amans amantibus cohabitare vult. Certent in nobis *puritas*, & *ſubmiſſio*: vigeat gra-

tiarum actio erga *genitum* & *genitricem*: triumphet amor, & DEUM è pecorum ſtabulo noſtrum in cor transferat. *Quid mihi es DEUS? miſerere, ut loquar. Quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas à me: &, niſi faciam, iraſcaris mihi: & mineris ingentes miſerias? parvane ipſa eſt miſeria, ſi non amem te?* S. Aug. l. 1. Conf. c. 5.

XXVI. DECEMBRIS.

S. Stephanus Proto-Martyr.

ANgelus in carne, Spiritu ſanctô, gratiâ & charitate plenus, omnem movit lapidem, ut exerrantes à veritatis via Judæos ad frugem reduceret: actum tamen egit. Neque enim tantum potuit *Stephani* facundia, ut duræ cervicis, & incircumciſorum aurium & cordium nequam ad recti amorem flecteret. Quinimò, utne crederet mundum abludere à ſolito ſuo more, mala pro bonis recepit, ubi inter lapidum imbres, Ordinis Levitici gemma ſuccubuit, æternam in terra non minùs, quam cœlo memoriam meritus illâ ſuâ prece, è gen bus fuſa: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum!* aude paria, quoties injuriarum grandine peteris, ut Chriſti te diſcipulum probes, & ſanctorum æmulum.

SENTENTIA.

AMas amantes te? amat & draco, amant & lupi, amant & urſi. Ut èrgo ſuperiores ſimus & gentibus & beſtiis, & inimi-

cos,

cos, & adversarios diligamus. *S. Aug., serm. 61. de Temp.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. EGo autem dico vobis: *diligite inimicos vestros.* Matth. 5. v. 44. Lectio brevis è Christi schola, sed minime ad mundi captum, minimè ad gustum: præplacet enim isti vetus illud: *oculum pro oculo, dentem pro dente.* Interim tamen ipsos etiam philosophos, etsi lumine fidei destitutos, non latuit universalis illa obligatio, omnem diligendi hominem. Senecam audi: *nemo est in genere humano, cui dilectio, & si non pro mutua charitate, pro ipsa tamen communis naturæ societate non debeatur.* Epist. 121.

II. Vidit *Stephanus* cœlos apertos, & JESUM stantem à dexteris virtutis DEI: hinc robur & animus ad non modò ferendos lapidum ictus, sed ignoscendum etiam inimicis. Nisi vox illa Christi in cruce, *Pater dimitte illis*, te flectat ad precandum similiter, ubi adversi quidpiam pateris, mereris, non è christianorum solummodo, sed & hominum censu proscribi. *Feræ non excludunt feras, & homo excludit hominem?* Ambros. l. 3. offic. c. 7.

III. Coronam immortalis gloriæ ex insigni hoc actu comparavit *Stephanus.* Corona cumprimis debetur sui victoriæ. Hâc enim non alia est illustrior. Vince te ipsum ferendo, & perferendo: vince teipsum, vincendo in bono malum, & ipsos denique inimicos vinces. *Cùm inimico tuo piô animô benefeceris, quamvis sit impius, crudelis,*

delis, & barbarus, tamen aliquando erubescet, dolebit, & pœnitere incipiet. S. Augustſ. ſerm. 165. de temp.

XXVII. DECEMBRIS.

S. Joannes Evangeliſta.

HIc *eſt diſcipulus ille, quem diligebat* JESUS; Apoſtolus, Evangeliſta, Theologus, Propheta, Virgo, & Martyr: Virginis DEIparæ tutor & filius adoptivus. Inſignia profectò decora! qualia in nullo cæterorum divorum conſpicimus. Tantum nempe favoris par erat rependi puritati intaminatiſſimæ, amori in DEUM, & charitati in proximum ſummis. Nihil potuit in *Joannem* vel relegatio in exilium, vel oleum fervens, vel venenum potum: ubique perſtitit ſibi ſimilis, DEO tantùm nixus. Omnium ſermonum ſuorum Epitomen voluit: *filioli, diligite alterutrum.* Tene iſtud perfectionis compendium, ut DEUM ames ſuper omnia, & proximum ſicut teipſum.

SENTENTIA.

DIlectio habet duas alas; ala dextera eſt dilectio DEI, ſiniſtra ala eſt dilectio proximi: nullus hominum cum una ala poterit volare ad cœlum: quare? quia nec ſola dilectio DEI ſine dilectione proximi, nec ſola dilectio proximi ſine dilectione DEI valet

let ad consequendam æternam beatitudinem. *S. Bern. de modo vivendi serm. 13.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CAusam, quare præ cæteris prærogativâ specialis amoris à Christo fuerit donatus *Joannes* Apostolus, Ecclesia esse dicit puritatem illius virgineam. Vide, quàm similitudo sit mater amoris! cùm enim *Spiritus* sit DEUS, quid isti commune erit cum illis, qui ducuntur desideriis carnis? *pœnitet*, olim inquiebat, *me feciſſe hominem.* Unde verò istud? inde sanè, *quia caro est.* Uti verò carnales homines tum obruit *Cataclysmus*; ita hodiéque ob tales potissimum immittuntur bella, pestilentiæ, terræ motus, & ipse denique inferorum ignis.

II. Modum dilectionis DEI & proximi amplissimis documentis tradidit *Joannes.* Nullum sequioris amoris discrimen est, ubi DEUS diligitur *propter se*, & proximus *propter DEum*: sic enim in DEO amatur, quod ipse DEUS in se amat: & in proximo, quod & in isto amat DEUS. *Da amantem*, inquit S. Augustinus, *& scit quid loquor*: animales autem homines non capiunt verbum istud. *Tu mihi Domine in desiderio, ut spes mea, tu fiducia mea, tu consolator meus, & fidelissimus amicus meus.* Thom. Kemp. l. 3. de imit. c. 59.

III. Utrobique, in amore nimirùm DEI & proximi, *probatio dilectionis exhibitio est operis.* Observatio mandatorum DEI: cura salutis proximi, dilectionem probant: cætera nugæ. Actuosus

eſt amor, & capitaliſſimus otii hoſtis. Habet ſemper, cur DEUM amet: habet, cur proximum diligat. Denique, *charitas nunquam excidit. Dilectionem DEI & proximi, in qua tota lex pendet & Prophetæ, ſemper mente meditemur, & opere perficiamus.* S. Aug. Tom. 4. L. de ſalutar. document.

XXVIII. DECEMBRIS.

SS. Innocentes MM.

VErè S. Auguſtinus: *profanus hoſtis nunquam beatis parvulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequiô, quantum profuit odiô.* Serm. 10. de Sanct. DEI enim providentiâ factum, ut nequam *Herodis* feritas inſtrumenti locô eſſet, ad aperiendam innocentibus iſtis compendio viam æternitatis beatæ, cujus plurimi fortè illorum, ſi ſupervixiſſent, jacturam facturi fuiſſent irreparabilem. Agite tenella, pro *Chriſto* morientium, & *Chriſto* ſubſtitutorum infantium millia, clamet nobis innocentiſſimus veſter ſanguis, non ut primi innocentis nocenter occiſi, vindictam, ſed gratiam & miſericordiam, à gratiæ auctore, & miſericordiarum Patre. Pretioſa nobis ſit, & in nobis (ſiquidem adhuc integra perſtet) & in aliis, innocentia, ut neutrôbi damnum patiatur, vel dictô vel factô.

SENTENTIA.

NOn propriorum tantummodò malorum rationem dabimus, ſed & eorum, quibus

bus aliis ſcandalum præbemus. Quodſi etiam per ſeipſas graves ſunt noſtrorum delictorum pœnæ: ubi & iſtæ accedent, quando ſalvabimur? *S. Joan. Chryſoſt. Homil. 25. in Epiſt. ad Rom.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. UTinam cum uno *Herodis* infelicis funere concidiſſent unà hypocriſes omnes, omnia innocentûm latrocinia! verùm vigent hodieque & illæ, & iſta. Quantorum vox eſt! *cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Simulant ſe quærere Chriſtum, dum templa frequentant, ſacramenta ſuſcipiunt: cùm interim animus alia omnia volvat & tractet. An ovum ovo tam ſimile, quam ejuscemodi hypocriſis Herodianæ?

II. Quid porrò *ſcandala*, quàm innocentûm latrocinia? & quid demum opus, juventutem ſeipsâ ad malum flecti facilem, impulſu ſequioris exempli ſternere? ſi, ut ait Ariſtoteles, *juventus* per ſe *voluptatum avidiſſima eſt:* ſi juxta Hieronymum *baculô opus ad eam regendam, & è lapſibus reparandam:* ſi, ad mentem Baſilii *mobiliſſima eſt, & continuis tempeſtatibus obnoxia*: quî ſuam excuſabunt nequitiam, qui datâ operâ (ceu non eſſet aliud agendum) eam inquinant & perdunt?

III. Pridem ab ethnicis monitum: *nil dictu fœdum, auditúque hæc limina tangat, intrà quæ puer eſt.* Hîc vel maximè curandus proximus: isque præcipuè, quem innocentia ſarta adhuc

& tecta DEO magis amabilem reddit. *Mola asinaria* in collo, & demersio in mare, non tantum adferunt nocumenti, quantum vel unum scandalum juventuti præbitum. *Væ homini, per quem scandalum venit!*

XXIX. DECEMBRIS.

S. Thomas, Archiep. & M.

EX Cancellario Regni Cantuariensium Archi-Episcopus, utrobique & DEO & Regi fidelem se præstitit. Ubi tamen vel illius, vel hujus gratiæ dispendium facere necessum fuit, posterius hoc elegit, & *Henrico* secundo Anglorum Regi, legibus iniquis dignitatem Ecclesiasticam turbaturo, fortissimè restitit, posthabitis non tantùm minis regiis, sed & sui, & suorum proscriptione. Revocatus post tempus aliquod, cùm deprehenderetur, exilii sedem mutâsse, non animum, in templo denique, dum vespertinis horis operam daret, à satellitibus regiis crudelissimè cæsus, in has postremò voces optimus Pastor prorupit: *pro nomine JESU, & defensione Ecclesiæ mori sum paratus.* Multos fascinat respectus humanus, cujus intuitu, ne apud Magnates impingant, istorum favori DEI gratiam posthabent. Quòd si ex Ordine Ecclesiastico sint, quis jure demùm pastores potiùs, quàm mercenarios credat?

SENTENTIA.

NOn debet esse mens justi ut cera mollis, quamlibet recipiens impressionem de

faci

facili, sed ut adamas, in perpetuum retinens primam impressionem. *S. Bernardin. Tom. 2. serm. 66.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PAstoribus Dominici gregis multa hodie occasio probandi fidem suam. *Non scindamus eam*, dixerant olim milites de inconsutili Christi toga. Aliud hodie in eorum ore, qui mysticam Christi vestem iniquis suis exactionibus, rapinis &c. distrahunt, lacerant, pessumdant. Hic igitur opus *baculo pastorali* adjungi *gladium verbi DEI*, & strictè observari illud Spiritûs sancti: *usque ad mortem certa pro justitia, & DEUS expugnabit pro te inimicos tuos.* Eccl. 4. v. 33.

II. Si Imperator neo-electus (constat ex Pontificali) super sancta DEI Evangelia jurat, *se de cætero protectorem fore summi Pontificis, & S. Romanæ Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus, & utilitatibus ejus: custodiendo, & conservando possessiones ejus, honores, & jura, &c.* quid fieri ab iis par est, qui vocati in sortem Domini, & Ecclesiæ specialiùs desponsi, singularissimam ejus in se curam suscipiunt? malè iis erit, si non ad lupi præsentiam, sed ejus umbram tantùm, trepidi, & verè mercenarii diffugiant.

III. Ibi etiam Pastores minimè ignavos esse convenit, ubi à potentiorum exemplis vitium derivatur in infirmiores. Procul hìc esto *respectus humanus*, servilem faciens animum. Liberè loquendum, ubi id incumbit ex officio: semper tamen

cum

cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quàm hodie rari ſunt, qui cum *Joanne Baptiſta* majoribus in faciem dicere auſint illud: *non licet!* aut cum Nathan Propheta: *Tu es ille vir.* Sapiunt interim, quotquot cum Davide dicunt: *corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me.*

XXX. DECEMBRIS.

S. Laurentius Conf.

QUinquenniô vix expletô durè admodùm in ſe animadvertit *Laurentius*, ciliciô renes, flagris dorſum ad ſanguinem uſque cruentando. Quidquid in aliis fieri laudabile vidit, id & ſibi faciendum continuò credidit, verè æmulatus charismata meliora. Grati â converſationis ſanctæ ſic deſuper ditatus eſt, ut neminem à ſe dimitteret, niſi magnô pietatis ſenſu & amore accenſum. Chriſti aliquando amplexu fruitus, ab hoc audiit: *Laurenti, mihi chariſſime, tuæ à me orationes exauditæ ſunt.* Frequenter ſuis inculcabat: *Filioli, hortor vos hilares eſſe: bonos & rectos corde, perfectò Deus amore proſequitur.* Immortuus denique imagini Crucifixi, caput ſuaviter inclinantis, cœlos petiit, recepturus mercedem cultæ à puero virtutis. Hæc eò robuſtiores in anima radices agit, quò maturiùs fuerit implantata.

SENTENTIA.

QUemadmodum aqua in areola digitum ſequitur præcedentem; ita ætas mollis

lis & tenera in utramque partem flexibilis eſt, & quocunque duxeris, trahitur. S. *Hieronym. de Infant. educ.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. PUlchrô ſimili expreſſit Plutarchus, quanti referat virtutis amorem à teneris imbibi: *ſicut infantium*, inquit, *membra, ſimul ac nati ſunt, formari, componique debent, ut recta, minimèque obliqua fiant; ita puerorum mores principiò aptè, concinnèque fingere convenit.* Innumeri à recto virtutis ſtatu in diſtortum vitii habitum deſciſcunt, quòd initiô iſti præ illa aditus animi reſeráſſent. *Implebuntur oſſa vitiis adoleſcentiæ ſuæ, & cum eo in pulvere dormient.* Jobi 20. v. 22.

II. Si in cunctis artibus & opificiis hoc primùm exigitur, ut maturè ſe quis illis applicet: quomodo iſtud ipſum non magis locum habiturum eſt in virtutibus & vitiis? nihil inſoliti, veteranos, & qui multis annis in religione ſtipendia fecerunt, à junioribus longiſſimis poſt ſe relinqui intervallis: quid cauſæ aliud? quàm quia ſtudium virtutis iſtorum, quàm illorum magis ſerium fuit & conſtans. Optandum cum Cleobúlo apud Stobæum, ut *nec pueri mores habeant infantium, nec juvenes puerorum; nec juveniliter ſe gerant viri, nec delirent ſenes.*

III. Suos voluit ſemper ſanctè hilares *Laurentius*, ſic enim ſolet conſcientia bona. *Non eſt regnum DEI eſca & potus*, inquit Paulus ad Rom. 14. v. 17. *ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spi-*

Spiritu ſancto. Gaudent in terris juſti, teſtimoniô conſcientiæ bonæ: ibi verò *exultabunt in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Rogatus quispiam, quid nos potiſſimùm delectare ſoleat, reſpondit: *conſcientia pura, & ſpes bona.* Hinc Eccleſiaſtes: *cognovi, quòd non eſſet meliùs, niſi lætari, & facere bene in vita ſua. c. 3. v. 12.*

XXXI. DECEMBRIS.

S. Melania Junior, Romana.

MAtronarum urbis non nobiliſſima ſolùm, ſed & ditiſſima, omnem ſuam ſubſtantiam, annuente piiſſimô conjuge *Pinianô*, pauperum propriam voluit, ut liberiùs Chriſto famularetur. Cibus ejusdem panis aridus; frigida potus; arca lignea; tumbæ mortuali ſimilis, palatium fuit & thorus. Tempus omne, utne unum iſtius momentum inutiliter diffluereț, legendis, ſcribendisque libris ſtudioſiſſima impendit. Hieroſolymis denique numeroſo Virginum cœtui præpoſita, cùm vivum virtutis exemplar annis pluribus ſe præbuiſſet, prodigia multa & rara patrâſſet; prædictô tranſitûs ſui die, læta à terreſtri ad *Solymam* cœleſtem abiit, æternùm victura. Omne tempus, cum *Melania*, perditum puta, quod augendo divino honori, & promovendo proximorum utili non impenderis.

SENTENTIA.

SI parùm auri amittas, omne damnum appellas: & ſi totos dies in diaboli operibus

bus consumpseris, nihil te amisisse opinaris. *S. Chrysost. Homil. 57.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. QUàm facile fuit *Melaniæ*, æterna pensanti, & tempori pretium ponere, quô æternitas beata comparatur, & peritura despicere. *Negotiamini, dum venio*, monuit Salvator. Pretiosæ margaritæ locô *tempus* habuit prudens Matrona, quam, ut suam faceret, abiit, & vendidit alia omnia: puta, sanguinis claritatem, divitias, honores, voluptates. *Gustavit & vidit, quia bona est negotiatio ejus.* Prov. 31.

II. Verè S. Dorotheus ad suos: *Aurum & argentum si perdiderit homo, poterit tantundem invenire, & reponere. Si verò tempus amiserit, nequaquam illud invenire, aut acquirere poterit. Sanè futurum est omnibus, ut horam hujusce temporis quæramus, desideremusque, nec eam habere, vel ullis precibus impetrare possimus.* O quàm veritatem hanc testarentur, quotquot inferorum clauduntur ergastulis!

III. Si *Cato Censorius* otiosos civium & testium jure indignos duxit; quî cœlum tales passurum est municipes? *Cùm legatur Adam*, inquit S. Basilius, *in loco voluptatis ab initio positus, ut operaretur: quis sapiens filios ejus in loco afflictionis positos ad feriandum arbitretur?* labora igitur, *sicut bonus miles Christi JESU* 2. ad Timoth. 2. Labora verbô & scriptô, pro modulo talenti crediti. Labora in tempore, ut laboribus tuis vescaris in æternitate, quam tibi & omnibus nobis felicem

licem velit *Rex regum*, & *Dominus dominantium*: *qui ſolus habet immortalitatem*, & *lucem inhabitat inacceſſibilem*: *cui honor & imperium ſempiternum. Amen.* 1. Tim. 6. v. 16.

FESTA MOBILIA.

FERIA IV. CINERUM

M*Emento homo*, *quia pulvis es*, & *in pulverem revertèris.* Obſervantiam quadrageſimalem ſancta Mater Eccleſia ſuos auſpicari vult *à mortis memoria*, quòd credat, & verè, *jejunium à vitiis*, quô ſine jejunium à carnibus nullius eſt fructûs, facilè & generoſè ſuſcipiendum, ſi homo conſideret, non modò *mortem*, ſibi certiſſimam, ſed & illa, quæ mortem ſubſequuntur: *judicium* videlicet, & poſt hoc, prout lata fuerit ſententia, vel *præmium ſempiternum*, vel *ſempiternum ſupplicium.* O ut illam *Solonis* ſententiam, quam inſculptam gerebat Delphici templi propylæum, *noſce te ipſum*, ſuo ſemper in animo circumferret homo! quàm non ſuperbè, ſed ad ſobrietatem ſaperet! *Memento, igitur; quia pulvis es & in pulverem revertèris.*

SENTENTIA.

EGrediamur ad ſepulchra, obſecro, & videamus myſteria: videamus dilapſam naturam, oſſa corroſa, corpora putrefacta. Conſidera ibi, quis ſapiens, quis prudens, quis illic Rex; & quis privatus? ubi pulchri-

tudo

tudo adoleſcentiæ, ubi gratioſus ille aſpectus? ubi oculi ſpecioſi? ubi elegans naſus? ubi flagrantia labra? nonne omnia pulvis? *S. Joan. Chryſoſt.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. HOſtes, qui potiſſimam animarum ſtragem edunt, ſunt *concupiſcentia carnis*, *concupiſcentia oculorum*, & *ſuperbia vitæ*. 1. Joan. 2. v. 16. Quid verò in eos poterit *concupiſcentia carnis*, quibus continuò in ore & corde illud Jobi ad DEUM? *memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Job. 10. v. 9. Quis credat, eum, qui ſeriò cogitat, omnem carnem in pulverem & ſaniem abituram, carnis illecebris in lapſum propellendum? *Si te luxuria tentat, ſi te libido ad peccatum incitat, objice tibi memoriam mortis.* S. Bern. Serm. 7. de tentat.

II. Pariter fieri non poterit, ut ulla rerum quarumlibet elegantia per oculos in animum tranſiens, hunc ſerviliter vinciat, ſi memoriæ occurrat vel unum illud Chriſti reſponſum nonnemini diſcipulorum datum. Dixerat hic Chriſto, ſtanti ponè templum Solymæum: *Magiſter, aſpice, quales lapides, & quales ſtructuræ.* Reſpondit Chriſtus: *vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Marci. 13.

III. Qui *ſuperbiâ* inflatur, *ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum evigilabit.* Joa. 21. evigilabit nimirum, ſi moriturum ſe cogitet, ab illa

mentis insania, quâ prius suas tantùm *qualitates*, non *quidditatem* ponderabat. Arrogantissimus fuit *Pharao*, & ad plagas omnes velut ex ære fusus: ubi tamen & intellexit, & suis ipse vidit oculis tam innumeras primogenitorum mortes, jam alius à seipso, *surgite*, inquiit ad Moysen, *egredimini à populo meo vos & filii Israel: ite immolate Domino.* Exodi c. 12. v. 31.

FERIA V.

COENÆ DOMINI.

JESUS, *cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Joan. 13. Nec in finem tantùm *vitæ* suæ, sed *sæculi*, dum usque ad hujus consummationem, in augustissimo *Eucharistiæ* sacramento, præsentem se futurum spopondit. O *Amorem*, reliquorum omnium perfectissimum, & summè notabilem! dederit enim sua quæ habuit: parùm tamen dedisse se credidit, nisi seipsum dedisset. Quàm verè Tridentinum: Christus *in hoc sacramento omnes divitias divini sui erga homines amoris effudit.* Sess. 13. c. 2. Audis, illum amoris sui divitias non guttatim *destillâsse*, sed *effudisse*? audis, inquam, ista, nec majori teneris desideriô participandi hunc amorem? quidsi & nauseam tibi pariat nobilissimus hic cibus, ut olim, *manna* Israëlitis! quid si pollutô corde receperis non rarò *purissimum agnum*? proba deinceps, apostoli monitô, te ipsum, ne ante fulminandam in te ad vitæ finem damnationis sententiam, jam modò *judicium* tibi manduces & bibas.

SEN-

SENTENTIA.

COgita quali sis insignitus honore, quali mensâ fruaris: quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri, hôc nos pascimur, huic unimur, & facti sumus unum corpus Christi, & una caro. *S. Chrysost. Homil. 60. ad Popul. Antioch.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. DE *Isaac* Patriarcha memorat caput 27. Genes. respondisse illum *Esau*, de prærepta sibi benedictione conquesto, & aliam flagitanti: *frumentô & vinô stabilivi eum* (Jacob) *& tibi post hæc, fili mi! ultra quid faciam?* S. Paschasius sensum mysticum rimatus, *hoc*, inquit, *est apertè dicere firmavi eum pane Corporis Christi, & vino sanguinis.* Tr. de Corp. & Sang. Christi. Hæc nimirum gratia fit fidelibus in novo testamento: tantáque est, ut omnes alias, sive poli sive soli divitias, longissimè transcendat. Utinam omnes dicamus cum Apostolo! *Gratias ago super inenarrabili dono.* 2. Cor. 9. v. 15.

II. *Frumentô* hôc & *vinô* stabiliuntur animæ, ut jam non ampliùs fluctuent, à desideriis, arundinum instar, agitatæ. Novimus, quantæ virtutis fuerit *panis subcinericius* ab Angelo *Eliæ* subministratus: & nobis persuadere vel nolimus, vel non possimus, *panem* hunc *supercœlestem* infinities majoris esse virtutis? parùm dignè de hoc mysterio sentit, quisquis non præstantissimum omne, quod

vel dici poteſt, vel cogitari, de hoc epulo divino ſibi imaginatur.

III. Fertur magni *Catonis* mater, cùm hanc ſobolem lactaret, alterum etiam mulierculæ plebeiæ filium unà uberibus admoviſſe. Interrogatam, cur ſic ageret? reſpondiſſe: *ut Catoni filio meo fidelem ſervum adipiſcar.* Crede, hunc ipſum eſſe finem *filio* DEI, dum ſuô te *Corpore* cibat, dum *Sanguine* potat. Tota verò tua ſervitus in eo ſita eſt, ut impenſiſſimè ames eum, qui *dilectionem erga nos eò úſque perfecit, ultra quod non poteſt augeri.* Rupertus Abb. in c. 13. Joan.

FERIA VI.

PARASCEVES.

ERit vita tua quaſi pendens ante te. Deut. 28. v. 66. Verè Apoſtolus: *Omnia in figura contingebant illis.* 1. Cor. 10. v. 11. Miſertus olim DEUS eorum, qui, ob murmur peſſimum, plagâ ignitorum ſerpentûm puniti erant, præcepit Moyſi: *fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* Numer. 21. v. 8. figuram habes? cape etiam figuratum. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis* Joan. 3. v. 14. Quem verò in finem? *Ut omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* l. c. v. 15. Tam lethalis erat morſus *ſerpentis* illius *antiqui*, de quo S. Joan. Apocal. 20. ut niſi morte Filii DEI ſanari non poſſet. Et dignus hic non ſit, in quem conjicias mentis oculos? vitâ ſanè dignus non eſt, quisquis aliâ, quàm hâc vivit.

SEN-

SENTENTIA.

O Quantùm ſumus tibi debitores, Domine DEUS noſter, tantô redempti pretiô, tantô ſalvati donô, & tam glorioſô adjuti beneficiô! o quantùm à nobis miſeris es timendus, amandus, benedicendus, laudandus, honorandus, & glorificandus, qui nos ſic amâſti, ſic ſalvâſti, ſic ſanctificâſti. *S. Aug. Medit. c. 17.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *QUis audivit unquam tale, & quis vidit huic ſimile?* Iſa. 66. v. 8. huic nimirum portento, quo æternus DEI filius, medius inter duos latrones, nec iſtis melior habitus, è fatali Crucis trunco pendere voluit? verè S. Bernardus: *Opus ſinè exemplo, gratia ſinè merito, charitas ſinè modo.* Conſidera tantiſper tria hæc vèrba: *ibi crucifixerunt eum.* Lucæ. 23. reperies innumera, quæ & in amorem te rapiant, & in admirationem.

II. Hâc die, profectò, *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia & pax oſculatæ ſunt* Pſ. 84. Quodnam denique *Lytrum* ſufficiet, ſi non iſtud? quomodo Patri non placeret, huncque placaret *holocauſtum* tam nobile, à Sacerdote ſummo, in Ara tam mirabili oblatum? *Pange lingua glorioſi prælium certaminis, & ſuper crucis trophæo die triumphum nobilem, qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit.*

III. Cùm, ut asserit Bernardus, hôc locô *de DEO triumphaverit amor*, cur non idem triumphet etiam de corde tuo, in hunc usque diem tam frigido? triumphabit certè, si ita preceris: *Domine JESU! vulnera hanc animam meam, confige cor meum jaculô tui amoris, ut dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata sum: ut ex ipsis vulneribus amoris tui ubertim effluant lacrimæ.* S. Augustus.

SABBATHO SANCTO.

HOdie *Sabbathum & requies Domini*, Exodi 35. v. 2. *Sabbathum*, Ecclesiæ nomenclaturâ, *Sanctum. Requies Domini* à grandi amoris opere, quod patravit non tam Passionis triduô, quàm annis tribus & triginta: imò ab omni retrò æternitate. Ait enim, & verè: *in charitate perpetua dilexi te.* Interim, anime mi! quando *Sabbathum* erit tibi? quandonam *feriæ* ab iniquis manuum tuarum operibus? tum saltem cor JESU tuo concede, ut in eo quiescat. Cave tamen ne aliud sit à Christi monumento, quod planè fuit virgineum, utpote novum, dum exanimem Redemptorem caperet: ab isto putredine nulla temeratum: à nullo denique deinceps homine profanatum. Nôsti prætereà, signatum fuisse sepulchri lapidem. Idem facito. Sigillum tamen aliud tibi non esto, quàm *timor DEI*: hôc enim salvô, nemo tibi Christum rapiet.

SENTENTIA.

EX nobis assumpsit, quæ pro nobis sustinuit, nasci, lactari, mori, sepeliri: mea

est

eſt mortalitas nati: mea infirmitas parvuli: mea expiratio crucifixi: mea dormitio ſepulti. S. *Bern. ſerm. 76.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *JEſum exanimem* à cruce depoſitum caſtiſſimis Virgo Mater excepit brachiis. Verùm, ô quàm alium ab illo, quem olim faſciis involutum virgineo appreſſerat pectori! ſenſit nimirùm in hac potiſſimùm *depoſitione* ſæviiſſe intrà ſe gladium illum, aliquando à *Simeone* prædictum, verè *Regina Martyrum. Plùs omnibus amavit, & plùs omnibus doluit.* S. Anſelm.

II. *JESUS exanimis* à Joſepho ab Arimathea *mundâ ſindone* obvolvitur, & in monumento novo, *in quo nondum poſitus quiſquam fuerat*, collocatur. Vides, quàm munditiem diligat JESUS noſter? de *Virgine* naſci, & paſci: nutritium habere *Virgineum*: Matrem ſuam commendare *Virginem Virgini*: *Virgineâ* tegi ſindone: *Virgineô* denique condi ſepulchrô voluit. Quodſi tuo è corde diſcedere illum aliquando contingat, diſquire, an non expulerint latentes alicubi ſordes & ſpurcitiæ?

III. Triumphatrix JESU anima Limbo Patrum ſe intulit, nuntium felix allatura perfectæ redemptionis. O quantus tum fuerit jubilus! quàm ſoluta in gratulationes ora multitudinis tam ſanctæ! plauſum proſequamur, dicamuſque Salvatori: *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine, dextera tua Domine percuſſit inimicum: & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti adverſarios tuos.* Exodi 15. v. 6.

RESURRECTIO D. N. J. C.

ECce *vicit leo de tribu Juda.* Apocal. 5. *Mortem*, videlicet, & *Infernum* ſuâ morte devicit hodie Salvator, quando de illo dictum à Gentium Doctore: *Exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo.* Ad Coloſs. 2. v. 15. ô Triumphum, cui non alter fuit aliquando ſimilis! *Leo terrori eſt feris omnibus, & hic ſolùm per confidentiam & ſecuritatem dormit intrepidus.* S. Athanaſ. Dormiit *Leo* noſter in Calvariæ clivo, juxta illud: *ego dormivi, & ſoporatus ſum.* Pſ. 3. v. 6. dormivit ſecurus: *non timebo millia populi circumdantis me.* l. c. v. 7. Exurrexit victoriolus, moriendo *mortem* deſtruens, & reſurgendo reparans *vitam.* Hoc nimirum eſt, quod per Oſeam prædixerat: *Ero mors tua, ô Mors! morſus tuus ero Inferne!* c. 13. v. 14.

SENTENTIA.

NEc ipſe itaque diabolus intellexit, quòd ſæviendo in Chriſtum, ſuum deſtrueret principatum, qui antiquæ fraudis jura non perderet, ſi à Domini JESU Sanguine ſe contineret. Sed malitiâ nocendi avidus, dum irruit, ruit: dum capit, captus eſt: dum proſequitur mortalem, incidit in Salvatorem. *S. Leo ſerm. 9 de Paſs.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. CHriſtus *ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt.* 1. Petri 3. v. 18. documen-

cumentum utique daturus, quàm dedeceat Christianum, ubi per *pœnitentiam* sæpiùs revixit, denuo tamen per peccatum mori. Et tamen, ô quàm hodie frequentes sunt ejusmodi mortes! unde verò hæc in peccatum pronitas? sapientem audi: *Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Eccl. 8. v. 28.

II. Alius longè sensus iis, qui seriò considerant *grande redemptionis opus.* Dum enim his certum, mortuum esse Christum, peccatis nostris veluti confectum & interemptum, juxta illud: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra:* nihil tam pensi habent, quam ne repetendo peccata, glorioſè triumphantem in cœlis perfidè persequantur: quin potiùs obsequi studeant Baruch monenti: *sicut fuit sensus vester, ut erraretis à DEO: decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* c. 4. v. 28.

III. Universim igitur, quò fructu potiamur resurrectionis tam gloriosæ: quò renovemur spiritu mentis nostræ: quò præservemur à morte secunda, à qua non datur resurrectio, dictum nobis credamus Apostoli monitum: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Ad Colos. 3. v. 1.

ASCENSIO D. N. J. C.

QUàm *glorioſus fuit hodie Rex Israël!* 2. Reg. 6. v. 20. post quadraginta dierum præsentiam terræ indultam, *cum sanctorum millibus* Cœlum penetrans, atque ad ipsam usque Patris dexteram

ſeſe elevans. Debebatur videlicet thronus tam ſublimis humilitati tam profundæ : quòdque ſe ad formam uſque ſervilem exinaniiſſet, exaltari dignus fuit ſuper omnes Cœlos. O ut eum ſequamur pari demiſſionis ſtudiô ! hâc enim, non aliâ viâ pertingitur ad felicem illam beatitudinis interminatæ celſitudinem. *Scire debemus*, inquit S. Auguſt. 175. de temp. Idem judicium eſt de aliis vitiis. Corruit, atque caſu non emendabili, qui olim dixit : *in Cælum conſcendam : ſuper aſtra DEI exaltabo ſolium meum.* Iſa. 14. v. 13. Aſcende igitur, anime mi ! poſt Chriſtum : ſed, deſcendendo. *Humiliamini ſub potenti manu DEI, ut vos exaltet in tempore viſitationis.* 1. Petri 5. v. 6.

SENTENTIA.

DOmino meo datum eſt ſingulariter ſedere à dextris Patris, in gloria coæquali, in eſſentia conſubſtantiali, pro generatione conſimili, majeſtate non diſpari, æternitate non poſteriori. *S. Bern. in Pſ. 109.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *CHriſti Aſcenſio, noſtra eſt provectio; & quòd præceſſit gloria Capitis, eò ſpes vocatur & corporis.* S Leo ſerm. 1. de Aſcen. Aſcendit Chriſtus, nobis paraturus locum, ut ipſe aſſerit *Joan. 16.* Et nobis adhucdum allubeat, ſcarabæorum more, repere inter ſordes fluxarum voluptatum ? non ſic, inquit Auguſtinus, non ſic : ſed, aſcen-

Digitized by Google

aſcendamus cum illo, & ſurſum corda habeamus: ſurſum nempe *ad Dominum.* Serm. 172. de Temp.

II. Quid in Chriſto operata ſit humilitas illa, quâ, cùm eſſet æqualis Patri, in terris tamen videri, & cum hominibus converſari; omnes præterea fragilitates noſtras (exceptô peccatô) in ſe ſuſcipere & experiri voluit, oſtendit ineffabilis gloria, quacum aſſumptus eſt: quæ quidem gloria nec linguis hominum, ut *Cyprianus* ait, nec Angelorum, nec cujusquam acumine ingenii definiri poteſt. *Jam naturæ humilitas in Chriſto ſupra omnem cœli militiam, ſupra omnes ordines Angelorum, & ultra omnium altitudinem Poteſtatum ad DEI Patris eſt provecta conſeſſum.* S. Leo. ſerm. 2. de Aſcenſ.

III. Fiet per DEI gratiam, ut ſimus aliquando *cives ſanctorum & domeſtici DEI:* ut pertingamus *ad civitatem DEI viventis, cœleſtem Hieruſalem, & multorum millium Angelorum frequentiam*, ſi modò, *dum adhuc peregrinamur à Domino*, converſatio noſtra in cœlis ſit: ſi ſeriò & ſine intermiſſione cum vate Regio ſuſpiremus: *quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?* Pſ. 41. v. 2.

FESTUM PENTECOSTES.

SPiritum meum ponam in medio veſtri. Ezech. 36. v. 27. Vaticinium hoc feliciter hodie impletum eſt in Apoſtolis, & electiſſima turba illa, Jeroſolymis congregata. Dicere tum ſinguli potuerunt illud Jeremiæ: *de excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me.* Thren. 1. v. 13. Et

quis

quis alius hic *ignis*, quàm amoris tenerrimi juxtà ac puriſſimi? quæ *eruditio?* illa utique, quâ apertus eſt illis ſenſus, ut noſcerent ſcripturas: & qui rudes anteà fuerant, jam per omnia linguarum genera teſtimoniis uterentur Prophetarum, ad prædicandum gentibus fidem. O Spiritum verè fortem! Spiritum virtutis infinitæ! *veni ſancte Spiritus, & emitte cœlitùs lucis tuæ radium*, quô diſpellatur *nubes illa magna & tenebroſa*, quæ, quàm olim Auguſtinum; tam nos impedit, quò minùs purgatô mentis oculô cognoſcamus DEUM ſummum & unicum noſtrum bonum.

SENTENTIA.

SPiritus S. dum repentinô ſonitu ſuper diſcipulos venit, mentes carnalium in ſui amorem permutavit, & foris apparentibus linguis igneis, intùs facta ſunt corda flammantia, qui dum DEUM in ignis viſione ſuſceperunt, intùs ſuaviter per amorem arſerunt. *S. Greg. M. Homil. 30. in* Evang.

REFLEXIO.

PUNCT. I. TErra erat initiò *inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Geneſ. 1. Aliam tamen mox faciem induit, ubi *Spiritus DEI ferebatur ſuper aquas*: tum enim omnia in ordinem pulcherrimum ſunt digeſta. En genuinum animarum noſtrarum *Iconiſmum!* in quibus, abſente *Spiritu ſanctô*, nec lumen, nec ordo.

ordo. *Sine tuo numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.* Eccleſia.

II. *Emittes Spiritum tuum,* inquit David, *& creabuntur: & renovabis faciem terræ.* Pſal. 103. O quàm immutatio ſalutaris! quàm homini neceſſaria *renovatio!* tum nimirùm renovamur ſpiritu mentis noſtræ: tum induimus *novum hominem, qui ſecundùm DEUM creatus eſt,* ubi Spiritus ſanctus ſeſe demittit in cor noſtrum. Omnia tum vivida, fervida omnia: perindèque nobis accidit, ut Petro, de quo S. Leo: *qui ſacerdotis expavit ancillam in Caiphæ domo: mundi dominam non timuit Romam.* Serm. 2. in Natal. Apoſtol.

III. *Spiritum nolite extinguere,* monet Apoſtolus 1. ad Theſſal. 5. v. 19. Extinguunt porrò ſpiritum, qui à primo ſuo fervore usque adeò deficiunt, ut in peſſimam denique tepiditatem prolabantur, digni, quos ex ore ſuo DEUS offenſus evomat. Tu, ſi ſimili malô labores, ſine mora Spiritui ſancto ſupplica: *flecte quod eſt rigidum: fove quod eſt frigidum: rege quod eſt devium.*

FESTUM SANCTISSIMÆ *TRINITATIS.*

QUi Scrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria. Ita comminatur Spiritus S. Prov. 25. Sapiunt, qui, ubi de ſanctiſſimæ Triadis myſterio ſermo eſt, cum Jeremia fatentur: *A, A, A, Domine DEUS! neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Jerem. 1. Quidquid enim vel ſubtile finxeris, vel dixeris de hoc arcano: verum tamen erit Magni Gregorii effatum: *quidquid de omnipotentia & ſub-*

ſubſtantia DEI cogitare poteſt mens humana DEUS non eſt. in Ezechiel. Cauſam aſſignabit divinus Dionyſius: *DEUS enim eſt inconceptibilis: verbum divinum eſt ineffabile: imò ipſa inconceptibilitas, ipſa ineffabilitas, ipſa innominabilitas DEUS eſt.* De divin. nomin. Sufficiat proinde nobis, ad imaginem DEI tri-unius nos factos, & in ejus nomine baptizatos eſſe: quò utrôque commonebimur, ſemper in animæ cultu & cura reddere DEO, quæ DEI ſunt.

SENTENTIA.

QUi hoc, id eſt, Trinitatis Myſterium, vel ex parte, vel per ſpeculum in ænigmate videt: gaudeat cognoſcens DEUM, & gratias agat. Qui verò non videt, tendat per pietatem ad videndum: non per cœcitatem ad calumniandum. S. *Auguſt. L. 6. de Trinit.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. NUnquam *cordi tuo DEUS excidat.* Sic tyrones olim ſuos monuit *Dorotheus.* Etiam nos ſacro-ſanctæ & individuæ *Trinitatis* memoriam ne ad momentum quidem ex animo dimittamus: cogitantes identidem, baptizatos nos eſſe *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti*: abrenuntiaſſe ob *Trinitatis* amorem *ſathanæ*, & omnibus operibus ejus: ad *Patrem* denique nos pertinere titulô creationis: ad *Filium* titulô redemptionis: ad *Spiritum S.* titulô

lô Sanctificationis: ad totam ſanctiſſimam *Triadem* titulô Conſervationis.

II. Praxis colendi ſanctiſſimam *Trinitatem* maximè fructuoſa, exercitium eſto triadis Theologicarum virtutum. *Fide* credamus, DEUM eſſe in eſſentia unum, & trinum in perſonis. *Spe* ab infinita optimi DEI noſtri munificentia exſpectemus, certa cum fiducia', hujus, ac futuræ vitæ bona. *Charitate* demum eidem arctiſſimè uniri quàm diligentiſſimè ſtudeamus. Faciet hoc exercitium, ut & in *agone* totos nos ſanctiſſimæ *Trinitati* credamus & committamus.

III. Trinitas *potentiarum* animæ noſtræ non aliud agat, quàm ut famuletur DEO uni & trino. *Intellectus*, hujus tantùm cognitione (quantùm quidem in via fieri poteſt) occupetur: *memoria* beneficiorum aſſiduâ reminiſcentiâ: *voluntas* demum amore tenerrimô: ut ſic ore & corde dicamus: *tibi laus, tibi honor, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ô beata Trinitas.*

FESTUM CORPORIS CHRISTI.

NOn eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis DEUS noſter. Deuteron. 4. v. 7. Habuit gentilitas ſua numina, ſed planè infirma, & numinum nomine nimis indigna: *ſimulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Pſ. 113. v. 12. Habet è contra Eccleſia Catholica DEUM ſuum in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, qui vivus eſt, verus eſt, æternus eſt, omnipotens eſt. Proſpicit hîc per cancellos ſacramentalium ſpecierum,

ut

ut advertat ad neceſſitates noſtras, nobisque omni momentô quàm gratioſiſſimè opitulatur. Idem præſtiturus eſt, quod arbor vitæ, plantata in medio paradiſi. Geneſ. 2. facturus nimirum, ut ejus fruitione vitam habeamus, & abundantiùs habeamus. Utinam modò non deficiat fides noſtra, cumque Angelico dicamus: *credo quidquid dixit DEI filius: nil hôc verbô veritatis veriùs.*

SENTENTIA.

DOmine, ad te veniemus poſt mortem, & ante tribunal tuum judicandi adſtabimus. Qui nobis ita familiaris eſſe dignaris in vita, quòd à nobis tractaris, conſervaris, manducaris: noli nobis alienus eſſe in morte, ſed parce nobis in die malo. *Guerricus Abb.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. M*Anbu? quid eſt hoc?* Exod. 16. Obſtupuerunt Iſraëlitæ ad *Umbram* convivii noſtri Evangelici, *Manna* videlicet illud, Angelicis manibus præparatum. Quidſi innotuiſſet iisdem *veritas*, & *res* ipſa? ſanè, quem in admirationem non rapit prodigioſum iſtud diviniſſimi *amoris* inventum, homo non eſt, ſed meriſſimus ſtipes. *O amor amorum, & dulcedo dulcedinum!* S. Bernard. ſerm. de Cœna Dom.

II. *Manna* certô colligi tempore, & certâ menſurâ debuit: de diſpoſitione nihil ſpecialiùs ſtatutum. In *Euchariſtiæ* ſumptione *diſpoſitio*

tam

tam eſt neceſſaria, ut ab hujus modo dependeat *Euchariſtiæ* fructus vel magnus, vel modicus, vel nullus. *Probet ſeipſum homo*, inquit Apoſtolus 2. ad Cor. 11. Quî autem, inquis, hoc fieri debet? *ſerpens*, ait Abulenſis, *de fonte non bibit, priusquam totum, quô turget, venenum evomat.* Idem faciamus acceſſuri ad *Altare DEI*: & acceſſiſſe non pœnitebit.

III. *Manna* famem ſedavit corporum: animos reliquit jejunos. Aliter agit *Euchariſtia*: vitam impertitur æternam, & vividos reddit animos. *O Sacramentum pietatis! ô vinculum charitatis! qui vult vivere, habet unde vivat, accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat à compage membrorum: non ſit membrum putridum, quod reſecari mereatur, non diſtortum, de quo erubeſcatur, ſed pulchrum: ſit ſanum, ſit aptum, hæreat corpori, vivat DEO de DEO.* S. Auguſt. Tr. 26. in Joan.

FESTUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

ERgonè putandum eſt, quòd verè DEUS habitet ſuper terram? 3. Reg. c. 8. Chriſtianis ſanè dubium non eſt, templa eſſe *palatia Regis æterni*, ut ea appellavit S. Chryſoſtomus: eſſe *parvulos paradiſos*, ut dicere conſuevit S. Bernardus. In his enim verus DEUS & homo, non *in nebula*, ut in templo Solymæo: ſed ſub ſpeciebus Euchariſticis. Hic ſanè, plusquam in Auguſtiſſimo illo Salomonis fano, pollicetur ſibi devotis: *elegi, & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in*

ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus 2. Paralip. 7. Interim animo tuô nunquam excidat Pythagoræ dictum: *nudis pedibus ſacrifica.* DEO videlicet in templis non famulare, niſi cupiditatibus beſtialibus longiſſimè proſcriptis, & affectu verè à peccatorum ſordibus depuratô.

SENTENTIA.

MUlti cum parvo peccato ad Eccleſiam veniunt, & cum multis & magnis ab Eccleſia domum revertuntur. *S. Cæſarius Homil. 30.*

REFLEXIO.

PUNCT. I. *DOmus mea domus orationis vocabitur*, inquit Chriſtus: idque religiosè obſervari ab omnibus usque adeò vult, ut aliud in hiſce domibus fieri non ſuſtineat. Notum enim, quàm fecerit aliquando *quaſi flagellum de funiculis*, & ejecerit crudos illos inſtitores, everſis etiam numulariorum menſis. Hoc nimirùm eſt, quod ejus nomine pridem edixit Pſalmiſta: *zelus domûs tuæ comedit me.* Pſal. 68. v. 12.

II. *Eccleſia*, ut notat S. Chryſoſt. *locus eſt Angelorum, locus Archangelorum, regia domus DEI, & cœlum ipſum.* Homil. 5. in Geneſ. Hinc domum iſtam *decet ſanctitudo.* Verùm, an non Chriſtianorum etiam vitiô fit, verificari de Eccleſiis illud L. 1. Macchab. c. 2. v. 8. *Templum*

plum ejus ſicut homo ignobilis: videlicet ſine honore. Hinc illa DEI querela: *quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* Jerem. 11.

III. Et eſto, non mox, ac viſibiliter animadvertat DEUS in ejusmodi templorum violatores: an non pœna ſatis acerba, jactura tot gratiarum? an Publicano feliciùs aliquid obtingere potuiſſet, quàm elogium illud: *deſcendit hic* (è templo) *juſtificatus in domum ſuam.* Lucæ 18. Tu temporalem hanc DEI Regiam quô potes honore proſequere, ut in *Solymam* cœleſtem transferâre, *per* cujus *vicos halleluja cantabitur.* Tob. 13. v. 22.

SOLI DEO HONOR & GLORIA. 1. ad Tim. 1. v. 17.

INDEX
RERUM
IN HOC BREVIARIOLO CONTENTARUM.

A.

ABstinentia - Pag. 517
Adversa - 35. 290. 505
Æternitas - 447. seq.
S. Agatha in tentationibus invocanda 58
Amare JESUN totâ vitâ debemus 2
Amicitia cum JESU - 30. seq. 675
Amicitia cum MARIA - 48
Amor DEI 264. 450. 464. 485. 547. 392
Amor divinus - 32. 497. 691
Amor JESU, & MARIÆ - 12
Amor proximi 83. 161. seq. 185. seq. 575. seq.
S. Angeli custodes - 651
S. Angelorum cultus - 229
Angina spiritualis - 55

Ani-

INDEX.

Animæ pretium, & lucrum 128. seq. & 333
Animas in purgatorio juvare debemus 319. 476. seq. 584
Avaritia - - 480. seq.

B.

Boni esse, non videri, debemus 113. seq.
Bonorum societas quærenda - 39

C.

Castitas 32. 108. 193. 209. 285. 329. 388. 464. 511. 559. 586. 661. 695
Castitas sit juncta humilitati - 8
Castitatis martyrium - 29
Calumniæ quomodo ferendæ 64. 105. seq. 281. 344. 574. 639
Calumniatores - - 590
Charitas - 27. 160. 695
Charitas Dei. Vide. Amor Dei
Charitas proximi - 83. 312. 327. 681
Choreæ - - 470
Christiani amici Dei sunt - 58
Christianus verus, quis? - 277
Cœlum - 5. 59. 714
Concionatores, quales esse oporteat 40. 298. seq.
Colloquia pia - 632
Colloquia prava - 158. 252
Cognitio Dei, & sui - 325. 629
Concupiscentia - - 705
Confessionis Sacramentum - 156. 307

Conjugibus neceſſaria oratio - 384. ſeq.
Conſilia, à quibus petenda - 86. 98
Conſtantia 41. 118. 410. 462. 485. Vide perſeverentia.
Contemptus ſui - 296
Contemptus terrenorum 193. 260. 297. 323. - - - 366. 617
Converſatio Religioſa - 509
Converſio - - 533. 634
Correctio fraterna - 655
Cor humanum - - 427
Corporis uſus - - 19
Corruptio - - 9
Creaturarum conſideratio - 77
Crucis Chriſti amor - 143
Crucis ſupportatio 81. 211. 219. 597. 640
Cura animarum - - 283
Cura ſalutis proximi - 221

D.

Depoſitio JESU de cruce - 711
Detractio - - 459
Devotio erga MARIAM 12. 56. 148. 169. 404. 505
Diaboli mancipia - 592. 618. ſeq.
Difficultatum contemptus - 203
Diffidentia in DEUM - 412
Diffidentia ſui - 174. 98. ſeq.
Dignitatum pericula - 87. ſeq.
Dilectio inimicorum - 677. 693
Divitiarum rectus uſus - 178. 342. ſeq.

E.

INDEX.

E.

Ecclesia Catholica - - - 358
Ecclesiæ honorandæ 722
Eleemosyna 16. 36. 95. 184. 288. 421. seq. 455. 493. 596. 642
Examen conscientiæ - 519
Exempla virtutum - 256. 558
Exemplum bonum superiorum - 605
Excusatio in peccatis - 63
S. Eucharistiæ Sacramentum 34. 109. 171. 707. 720

F.

Festorum observantia - 470
Fides viva - 141. 331. 350. 683
Fiducia in DEUM - 410
Finis ultimus - - 582
Fortitudo - 14. 440
Fragilitas humana - 634
Frugalitas - - 91
Fuga peccati - 200

G.

Gaudia justorum - - 644
Gratia divina - 18. 102. 450
Gratiæ pulsanti obsequendum - 40
Gula - - 5. 91. 452

H.

Hoſpitalitas - - 390
Humilitas 65. 121. 254. 364. 430. 434
Humilitas MARIÆ - - 53
Hypocriſis - - 114

I.

Jactantia - - 65
Jejunium - 196. 286. 306. 653
SS. Imaginum cultus - - 552
Incarnationis myſterium - 144
Indulgentiæ - - 399
Infirmorum viſitatio - - 489
Inimicis ignoſcendum - 677
Injuriæ, quomodo ferendæ 56. 245. Vide Calumniæ.
Innocentia - - 150
Inſpirationes divinæ - 86. 499
Intentio bona - 262. 394. 464
Judicia temeraria - 431
Judicium extremum - 104. 529
Juſtitia - - 227. 250
Juventus piè tranſigenda 27. 123. 243. 315. - 340. 429. 579. 600. 610. 701

L.

Laborandum homini - 553. ſeq.
Laus DEI vocalis - - 623. ſeq.
Lectio menſalis - 84

Lectio ſacra - 84. 295. 416. 568
Liberalitas - - 288
Liber vitæ - - 15
Libri, quinam legendi - 615
Lingua - - 50. 388
Litigia - - 538
Luxuria - - 173. 452. 587
Luxus veſtium - 533

M.

Manſuetudo - 100. 434. 515. 636
MARIA refugium peccatorum - 131
MARIÆ cultus. Vide devotio.
MARIÆ humilitas - 53. 337
MARIÆ nativitatis - 472
MARIÆ puritas - 53. 657
Reliqua vide in indice Feſtorum.
Martyrum exempla - 105
Matura ad DEUM converſio - 201
Maturum virtutis ſtudium - 237
Mendacium - - 207
Mentalis oratio - - 673
Miracula - - 613
Mira operari, quomodo poſſimus 18
Miſericordia 184. 374. 523. 575. ſeq. Vide Eleemoſyna.
Miſſæ ſacrificium - 190. 478
Modeſtia in veſtitu - 272. ſeq.
Morbi - 274. 562. 659. 687
Mors 268. 309. 370. 386. 453. 519. 679
Mors DEIparæ - - 424

Mors S. Joſephi - - 134
Mortificatio 4. 137. 223. 248. 378. 418. 546. 565
Mundus - 25. 436. 617
Muſica - - 623

N.

Nomen JESU - 2. 51

O.

Obedientia - 116. 527. ſeq.
Obligatio Paſtoris animarum 7. 25. 43. 87. 176.
- - 192. 327. 699
Occaſiones peccandi fugiendæ 45. 137. ſeq. 346
Oculorum cuſtodia 125. 474. 565. 628
Orationis ſtudium 135. 235. 247. 279. 368. 517
- - 443. 541. 673. 689
Oratio conjugibus neceſſaria - 384
Otium - 146. ſeq. 703

P.

Parentum exempla - 420
Paſſio Chriſti - 74. 167. 709
Paſtores animarum oportet eſſe ſcientiâ imbutos
- - 120
Paſtoris animarum obligatio 205. 354. 588.
Vide ſupra obligatio Paſtoris &c.
Patientia 35. 111. 132. 152. 182. 380. 382. 406.
- 414. 440. 495. 521. 577. ſeq.
Paupertas - 21. 525. 572

Peccati

INDEX.

Peccati cœcitas - 67. 683
Peccati malitia - - 669
Peccator captivus dæmonis - 592
Peccator DEO abrenuntiat - 56
Perfectionis ſtudium. 163. 418. 527. 663
Perſeverantia 118. 531. 625. Vide Conſtantia.
Pœnitentia - - 67. 376
Præſentiæ divinæ conſideratio - 97
Præſidentium ſanctitas. - 258
Præparatio ad ardua - 311
Principes, quales eſſe oporteat - 609
Providentia divina 23. 93. 507. 537. 564. 685
Prudentia - - 438
Pugna Chriſtiani - 61. 54. 444. 601
Pulchritudo in- & externa - 312
Pulchritudinis corporalis rectus uſus 372
Puritas MARIÆ - 52

R.

Regere animas noſtras debemus - 10
Religioſi - - 572. 403
Religioſorum felicitas - 339
Remedia contra carnis concupiſcentias 73
Reſolutio Heroica - 370
Reſpectus humanus - 42. 225. 491
Reſurrectio animæ per pœnitentiam 713

S.

Sacerdotes honorandi - 513. 594
Sacerdotum mores, quales eſſe debeant 513

San-

Sanctorum imitatio 89. 198. 352. 401. 639
Sapientia - - 13
Sacramenta - - 34. 109
Scandalum - - 697
Scientiæ - 535. 607. seq.
Scientia sanctorum 113. 180. 215. 266. 360. 438
Servitus DEI - - 4
Silentium - 188. 238. 325
Simplicitas - - 438
Socii boni - - 39
Socii mali - 46. 231. 611
Solitudo - 276. 321. 325. 362. 458
Solitudo mentis - 24. 321. 362
Somnus SS. Martyrum - 386
Spes - - 557
Spiritûs S. gratia - 70. 716
Sponsus noster Christus - 5
Stultitia sanctorum, & peccatorum 335
Superbia - 408. 468. 569. seq. 705
Superiorum obligatio - 258. 605

T.

Talentorum rectus usus - 217
Templum DEI est anima - 621. 667
Temporis cura - - 703
Tentatio - - 45. 113. 466
Tentationes dæmonis ridendæ 28. 549
Tentationum victoria - 671
Timor Domini - - 13
Torpor in oratione - 4
SS. Trinitatis cultus - 292. 718

U.

U.

Unio cum Chriſto - 127

V.

Vanitas - - 665
Verbum Dei - 165. 233
Veritas nunquam reticenda. 348. 491
Viaticum - - 649
Victoriæ genus duplex - 68
Victoria tentationum - 241. 671
Virginitas - - 76
Virtus - - 213. 444
Virtutes Theologicæ - 397
Virtutis ingenium - - 8
Vitæ longioris cura nimia - 487
Vocatio - 33. ſeq. 270. 499
Voluntatis propriæ in divinam reſignatio 154. 555
Vulnera Jesu 35. 127. 305. 378. 603

Z.

Zelotypia ſponſi cœleſtis - 339
Zelus animarum 139. 333. 445. ſeq. 646
Zelus bonus, & malus 445. ſeq. 543. ſeq.

FINIS

MAG 200 K 45

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google